This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

680.41
Hay

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THESAURI BRITANNICI
PARS ALTERA,
SEU
MUSEUM NUMARIUM
CONPLEXUM
NUMOS GRÆCOS, ET LATINOS OMNIS
METALLI, ET FORMÆ NECDUM EDITOS,
DEPICTOS ET DESCRIPTOS
A
NICOLAO FRANCISCO HAYM
ROMANO,
INTERPRETE
JOSEPHO KHELL E S. J.
IN CONLEGIO REGIO THERESIANO
BIBLIOTHECÆ GARELLIANÆ ET REI ANTIQUARIÆ
DOCENDÆ PRÆFECTO.



VINDOBONÆ,
TYPIS JOANNIS THOMÆ DE TRATTNERN,
AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.
1765.

Digitized by Google

ASHMOLEAN MUSEUM OXFORD

FEB. - 1928

Digitized by Google

INLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
GUILIELMO
DUCI DEVONIÆ
MARCHIONI DE HARTINGTON, COMITI DE DEVONSHIRE, BARONI CAVENDISH &c. &c. EQUITI NOBILISSIMI ORDINIS PERISCELIDIS.

Nunquam Excellentiæ tuæ præſens volumen inſcribere auderem, niſi de benignitatis tuæ ea amplitudine certus forem, per quam quidquid demum mihi ſumere liceret; Neque ad hoc perſuadendum aliis opus eſt argumentis, quam indulgentia illa, qua toties erga me uti placuit, dum ditiſſimum tuum numophylacium eo

Digitized by Google

conſilio perſcrutabar, ut numos, qui maximum libri hujus ornamentum efficiunt, publicam inde in lucem proferrem.

Singulare hoc favendi ſtudium nobiliſſimæ tuæ familiæ a natura congenitum, novis in te incrementis auxit magnus ille amor & cognitio, quibus elegantiores artes es conplexus. Atque inde eſt, conlectionem tuam ſeu pictarum tabularum, ſeu monochromarum & cælatarum rariſſimarum imaginum a tot inluſtribus artificibus de-

ſcri-

Digitized by Google

ſcriptarum ex pulcherrimis in Anglia & maxime locupletibus haberi; Inter omnes enim convenit, tam exquiſitæ te hoc in genere eſſe perſpicaciæ, ut ubi iſtiusmodi artefactis tua adceſſerit adprobatio, nemo jam de autographi ſinceritate vel minimum dubium admittat.

Neque inferior tuarum laudum pars eſt præſtantiſſimorum librorum & rariſſimorum numiſmatum cognitio, eaque minime otioſa, ſed cum erudito uſu ita conjun-

Digitized by Google

ẽta, ut dum te in literas abdis, ipſum laborem, quem intentus his ſtudiis animus experitur, ne perſentiſcas quidem. Fidem id ſuperabit illorum, qui neſciunt ita te ab omni vitio alienum, ut ſublimium ſolum virtutum mens tua ſit domicilium, cujus herus horas ſuas iis tantum actionibus conſecrare novit, quæ veram laudem & nobilitatem ſapiunt: unde fit, ut, quod aliis moleſtiam, tibi recreationem & voluptatem adferat.

Non paucæ hæ lineæ, verum ne liber

ipſe

Digitized by Google

ipſe ſufficeret, ſi alias præclaras dotes atque ſingularia Excellentiæ tuæ decora recenſere deberem; quid quod ita orbi univerſo innotueris, ut actum ageret, qui ad tui nominis gloriam aliquid ſe poſſe adjicere cogitaret. Id ſolum, conmemoro, te non uno titulo felicem prædicandum eſſe. Horum facile princeps eſt conjux tua Matrona prudentiſſima, nobiliſſimo ſanguine ducum de Bedford (cui familiæ pluribus modis me obſtrictiſſimum libens profiteor) oriunda; deinde numeroſam ex ea utrius-

Digitized by Google

que ſexus prolem ſuſcepiſti, in qua utriusque parentis præclarum exemplum elucet: Præterea quia in Excellentia tua gloria nobiliſſimæ originis ſummis honorum gradibus eſt conjuncta, qui in te ſine omni faſtu reſplendent: Divitiis, quibus te pleno copiæ cornu & fortuna & merita cumularunt, ita uteris, ut magnificentiam colas, oderis profuſionem: Primis regni magiſtratibus atque inluſtribus aulæ muniis non alium in finem te abdicaſti, quam ut a civilium curarum tumultu, tua te quiete involveres,

res,

Digitized by Google

res, in qua eruditam curioſitatem theſauris, quos poſſides, ita recreas, ut volupe tibi ſit, eosdem ad inſtructionem & admirationem cum aliis quibusvis communicare. Ecquid ad veram felicitatem deſiderabitur amplius? amaris ab æqualibus, colunt te & reverentur inferiores, nemo univerſim ſibi non ſummo honori ducit, te vel noſcere & venerari.

Tibi igitur ſumma cum demiſſione has chartas dedico, quarum fortuna a te defenſore, ſi earum miſeratione tangeris,

de-

Digitized by Google

dependet, etſi iſtiusmodi honore indignarum. Autor ſane, qui tibi has cum omni veneratione porrigo, & protectionem tuam ampliſſimam imploro & me profiteor

DUX SERENISSIME
EXCELLENTIÆ TUÆ

DEVOTISSIMUM, OBSTRICTISSIMUMQUE.

Digitized by Google

LECTORI

Quum in altero hoc theſauri Britannici tomo ordinem aliquantum ab eo, quem in primo tenueram, diverſum conſtituerim, monendum de meo conſilio lectorem duxi.

I. *Ut majorem ab antiquitatis amatoribus inirem gratiam, multo magis locupletem priore illum reddidi; Quare in hoc 500. & amplius numiſmata recenſebuntur, ne tamen liber alterum mole excederet, in adnotationibus eram brevior.*

II. *Præterea, quia obſervaveram, nimia laminarum æ-nearum multitudine præter incommoda alia non pauca, operis impreſſionem retardari, conpendio uſus plures numos eidem*

Digitized by Google

inſerui; imo pro numis imperatorum tabellas ab ipſo libro ſeparatas cælavi, quæ vel ad calcem operis ſimul conpingi, vel ſuis intervallis inſeri paginis, quarum numeris notatæ ſunt, poterunt.

III. *Deprebendetur præter conſueta ſigna, quæ metallum & numi magnitudinem indicant, aſteriſcus numiſmatibus quibusdam adpoſitus, bedera bæc numos ceteris præſtantiores deſignat, ſeu ob caput bactenus non editum, ſeu ob flumina & urbes minus notas: titulos adbuc non obſervatos: fixas aut erutas ex iisdem epocbas, aliudve, quod ſingularem apud eruditos adtentionem meretur. Numerus iſtiusmodi numorum bene magnus eſt.*

IV. *Inſolitis ſignis adcedunt falcatæ lunulæ quibusdam numis additæ, ad deſignandum eos nuper in Angliam ab eruditiſſimo noſtro doctore Guilielmo Sberard eſſe adportatos, qui cum pluribus annis Smyrnæ publico in magiſtratu (conſulem vulgo dicunt) res Anglicas procuraret, noſtratia muſea numis rariſſimis, & inſignibus inſcriptionibus locupletavit. Et ſane nonniſi monumenta eruditionis ſelectæ & ſingularis a Viro ſcientiſſimo expectari poterant, quæ ſe eidem per diuturnam in Aſia conmorationem magno numero offerre debebant, ut cum præſens volumen, tum conſequentia teſtabuntur.*

V.

Digitized by Google

V. *Quia numorum hoc libro comprehenſorum pars major e muſeo Excell. Domini Ducis de Devonshire eſt deprompta, ſpatii lucrandi cauſa nomen poſſeſſoris bona venia hoc modo margini adſcripſi.* D. DEVONSH.

VI. *Ne quem moveat characterum numis inſculptorum frequens diverſitas, judicabam literarum ductus, ut in ære exarati ſunt, adcuratiſſima imitatione exhibendos; Nec minor cura earundem interpunctioni eſt impenſa.*

VII. *Eundem deinde ordinem, quem in priore tomo, trium nempe claſſium tenui. Reges cum Viris Inluſtribus primum locum obtinent: tum urbes Græci alphabethi ordine conſequuntur: finem imponit fere completa imperialium numiſmatum ſeries, eorumque maximam partem Græce loquentium; Quid quod, ſi quinque aut ſex exceperis, nullum in magno hoc numero adhuc lucem vidit.*

VIII. *Etſi nulli pepercerim diligentiæ, ut opus hoc quam perfectiſſimum darem, quia tamen mens humana errorum eſt nidus, horum non paucos inrepſiſſe dubitare non poſſum; Quare ſingularis favoris loco me habiturum, noverint eruditi, ſi eorundem pro ſua benignitate me admonuerint, certosque eos eſſe jubeo, me ſuis locis non ſine honoris præfatione eo-*

)()(2 *rum-*

Digitized by Google

rundem nomina vulgaturum, id quod quemadmodum emolumentum ampliſſimum rei publicæ literariæ adferet, ita libro ipſi major gratia & utilitas conciliabitur. Utque quivis videat, mihi ne minimum tædium ex adhibendis correctionibus procreandum, ipſe hic errores aliquos hoc in volumine tum primum deprehenſos, cum iam typis excuſum eſſet, emendandos adnotabo.

IX. *Primum: Numus inter imperiales Tab. VII. N. 6. Cælatus atque Zelæ urbi Ponticæ adtributus Smyrnæ eſt reſtituendus. Errori huic occaſionem præbuere interpunctiones omiſſæ, etſi ceterum numus ſit quam optime conſervatus, neque hunc lapſum emendare licuiſſet unquam, niſi in ſimilem monetam eruditiſſimi D. Edmundi Chisbull incidiſſem, in qua etſi multum detrita ſatis diſtincte legitur:* ZM. ACI. POTΦOT. *&c. Atque quamvis litera* M *fere ut* H *ſit effecta, dubitari non poteſt, hanc eſſe epigraphes ſententiam:* SMYRNÆORUM ASIÆ; PRÆTORE RUFO FUSCO PROCONSULE. *Acuit hoc diligentiam, ut tabulas huic tomo deſtinatas, iterum cum numis conlatas, perluſtrarem, fecique operæ pretium, etenim ſequentia emendanda obcurrere: Tab.* XI. *pro* TITHΛIOC *fluvii nomine legendum* TITNAIOC. *Numus ejusdem Tab. N. 6. ut etiam Tab. XX. N. 8. aſteriſco eſt notandus. Correctio præterea adhibenda Tab. XV.*

N. 2.

N. 2. ubi pro ΚΥΒΥΡΑΤΩΝ *reſtituendum* ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ. *Tab. XXIV. N. 6. utrumque Valeriani ſcilicet & Gallieni caput eſt laureatum. Advertatur præterea Tab. XXVI. N. 4. primas literas ad caput Corneliæ ſuperæ* ΓΑΙ. *legi poſſe* ΓΝ.

In primo volumine Pag. 30. produxeram numum parte antica capite Jovis, & epigraphe ΣΕΛΕΥΚΟΥ, *in averſa vero aquila, & inſcriptione* ΓΕΡΜΗΝΩΝ *inſignem, aſt laudatus alias doctor Sherard numum geminum Angliæ intulit* ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ *inſcriptum. Eodem in primo tomo pag. 133. lapſum, quem Lico Spartano numum adtribuendo commiſi, argumenta alibi ad ſimilem D. Comitis Pembrok producendum numum adferenda dedocebunt.*

Errorum aliorum momenti ejusdem conmonitionem mihi ab eruditis, & publici boni ſtudioſis faciundam lubens expecto.

Digitized by Google

Libro jam typis excuſo Vir doctiſſimus Edmundus Chishull epiſtola me recreaverat, quam ſubjicio, ne aut lectoris voluptatem inde capiendam, aut debitam autori laudem ſuſpenderem tertium in tomum opuſculum eruditum differendo, cum in eo argumentum non ſingulare ſolum, ſed modo antiquariis hactenus non uſitato pertractetur.

Digitized by Google

EDMUNDI CHISHULL S.T.B.

AD EGREGIUM VIRUM
NICOLAUM FRANCISCUM HAYM
THESAURI BRITANNICI
AUTOREM LAUDATISSIMUM
DE NUMO CKωΠΙ INSCRIPTO
QUEM VIDE
TAB. I. N. I.

DISSERTATIO.

Habes, Vir egregie, has meas conjecturas, non inanes ſpero, nec ſuo pondere carentes, de nummo iſto plane ſingulari, quem ipſe olim accuratiſſimus *Bellorius*, ſed nec explicatum, nec bene lectum protulit. Tu vero nunc longe ſinceriorem, atque omnibus ſuis apicibus conſpicuum e *Celſiſſimi Devoniæ Ducis* theſauro depromſiſti. Mire perſtrinxit oculos nova illa & inſolita inſcriptio; neque aliud mihi in mentem primo aſpectu revocavit; quam Eφέσια quæ vocantur γράμματα; hoc eſt enormes illas, abſonas & ignotas voces, *Suidæ, Heſychioque* memoratas, quas incantamenti loco, nonnulli ſecum Epheſii circumtuliſſe dice-

ban-

bantur. At utramque numi faciem attentiore cura perpendenti, paulatim mihi viſum eſt, aperiri reconditum hoc quod ſequitur, antiquitatis eruditæ ſpecimen.

I. Prima numi facies aream videtur exhibere, inſcriptam literis ε φ & circulari quadam linea undiquaque terminatam. Huic inſiſtit cervus capitis ſui, atque colli circumductione notabilis; cui CKωΠΙ vocula, aut voculæ certe pars ſubjicitur. Hanc ego aream, literulis ε φ notatam, theatri Epheſini *Orcheſtram* eſſe arbitror; hoc eſt locum in theatro ſaltationibus deſtinatum, proprio ſuo *Scammate* ſive linea circumſeptum. Cervus agillimum animalium, notum alias Epheſiorum ſymbolum, hic appoſite ſaltatorum eximiam agilitatem denotat. At ſingularis iſta colli circumductio, cum adjecta vocis CKωΠΙ inſcriptione, tantum non clare eloquitur ſatyricam quandam ſaltationis ſpeciem, non Epheſi ſolum, ſed & tota paſſim Ionia celebratam. Nomen indidit ſaltationi avis ſaltatrix Σκώψ; Quæ *Ariſtoteli* inter edulia, & delicias admodum laudata, noſtratibus, ni fallor, *Dotterellus*, *Willughbeio Morinellus* audit. Motus ejus ſatyricos, non addito latino nomine, *Plinius* dubitanter attigit; aliique capi avem tradidere, ab aucupe iſtos motus non inſcite imitante.

Athe-

Digitized by Google

Athenæus id de oto, hoc eſt de aſione, ſive noctua majore referens, ſubdit ſtatim καὶ τοὺς σκῶπας ὀρχήσει λόγος ἁλίσκεσθαι - - - - - - γένος δὲ ὀρχήσεως ἀπ' αὐτῶν καλεῖται σκώψ. i. e. *Quin* & ſcopas *quoque perhibent ſaltatione capi. Et quoddam ſaltationis genus aliis vocatur* ſcops *lib.* 9. Paria hiſce plura *Pollux*; apud quem σκώψ & variato nomine σκωπίας ſub morphaſmo, hoc eſt ſaltatione mimica, tanquam ei cognata recenſetur: ὁ δὲ μορφασμὸς, inquit, παντοδαπῶν ζώων μίμησις. ἦν δέ τι καὶ σκὼψ, τὸ δ' αὐτὸ καὶ σκωπίας, εἶδος ὀρχήσεως ἔχον τινὰ τοῦ τραχήλου περιφορὰν, κατὰ τὴν τοῦ ὄρνιθος μίμησιν, ὃς ὑπ' ἐκπλήξεως τὴν ὄρχησιν ἁλίσκεται. ὁ δὲ λέων ὀρχήσεως φοβερᾶς εἶδος. i. e. *Morphaſmus ſaltatio fuit omnium cujuscunque generis animalium imitatrix. Fuit etiam in honore* ſcops, *ſeu quod idem eſt* ſcopias, *ſaltationis ſpecies, habens certam quandam* colli *circumgyrationem, avis iſtius imitatione, quæ attonita ſaltando capitur. At* Leonem *quod attinet, erat ea horrificæ ſaltationis ſpecies.* Vid. Jul. Poll. Lib. 4. cap. 14. & in voce μορφάσαι. cap. 13.

Nec mirum forſitan videbitur, mimica iſta ſaltatione Epheſium hunc numulum inſigniri, reputantibus quæ retulerit *Lucianus*, de Jonum ingenio in hanc rem perdite propenſo. „ Bacchica ſaltatio in Jonia præcipue & in

)( )( )(„ Pon-

„ Ponto aſſueta celebrari, ſatyrica licet fuerit, gentis il-
„ lius animos ita tamen mancipavit, ut ſinguli, ſtata oc-
„ caſione, ceterorum omnium obliti, de die in diem ſe-
„ deant, ſpectantes Titanas, Corybantas, Satyros & Bu-
„ bulcos. Saltant hæc nobiliſſimi quique, & cujusque ci-
„ vitatis principes: Nec id ut erubeſcentes certe; imo
„ eo ſe nomine longe magis efferentes, quam aut nobi-
„ litate ipſa, aut muneribus publicis, aut dignitatibus ma-
„ jorum. Hæc *Lucianus* περὶ ὀρχήσεως ubi per ſtatam occaſionem indigitat ille & annua, & quinquennalia certamina, deorum indigenarum feſta, nec non & πανηγύρεις ſive conventus mercatorios, ad quos populus magna frequentia e finitimis paſſim regionibus commeabat. Hinc in lapide honorario, quem cum aliis bene multis, ex Aſia in Britanniam transtulit Celeberrimus Doctiſſimusque Vir *Gulielmus Sherard*, L. L. D. nobiles duas feminas a Smyrnæis celebratas legimus, *quod* ſaltationem, & *omnia ad* Cereris *religionem* ſpectantia, *& myſtarum feſtum*, *magnifice exhibuerint*: ΤΗΝ ΟΡΧΗΣΙΝ, ΚΑΙ ΠΑΝΤΑ ΤΑ ΤΕ ΠΕΡΙ ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ ΤΗΣ ΘΕΟΥ, ΚΑΙ ΤΗΝ ΤΩΝ ΜΥΣΤΩΝ ΕΟΡΤΗΝ ΕΚΤΕΝΩΣ ΠΑΡΑΣΧΟΥΣΑΣ. Jam vero ut Smyrnæi Deæ Cereri, ita Epheſii Dianæ ſuæ frequentiſſimi ſaltavere. Atque hanc ob rem tot nudi ſaltatores ſymbolicas, quæ adhuc

ex-

Digitized by Google

extant, Dianæ Epheſiæ ſtatuas affabre effictì ambiunt. Tres certe iſtius numinis marmoreæ figuræ, e totidem Italiæ nobiliſſimis cimeliothecis, autóre *Claudio Menetreio* in lucem datæ, hunc ipſum clare exhibent ſaltatorem ſcopicum; idque non ſolum collo iſto circumducto, ſed (quo ΣΚωΠΑ certius cognoſcas) alato quoque humero conſpiciendum.

Sed erit fortaſſe majori adhuc oblectamento muſivam adire tabulam in villa Corſina, ad viam Aureliam erutam; atque in ea ad libitum contemplari ſaltatores duos colli-*flexos*; quibus bis geminæ hinc inde adſtant ipſæ aves *ſcopes*, ad vivum juſta magnitudine depictæ, caudæ & colli flexu mirum in modum geſticulantes. *Vid. Fig.18.* inter *Bartolii ſepulchra veterum* a Bellorio *explicatam*. Sed abſit verbo invidia; tum hancce tabulam, tum ſymbolicam illam *Dianæ Epheſiæ* ſtatuam noſter iſte numulus longe felicius explicavit.

II. Altera numi facie impreſſam habemus apem, & cum ape inſcriptionem prorſus inuſitatam; ΚΗΡΙΑ ΛΙCωΔΕ ΠΡΟC ΠΑΛΑVΡΝ. Hic enim non ſolum litera ι loco η, communi alias errato, ſubſtituitur; ſed

)( )( )(2 quod

quod nunquam alibi (ſive in numo, ſive in lapide nihil detrimenti paſſo) Α Δ Λ uno omnes ductu efformantur.

Apis iſta in Epheſiorum & Smyrnæorum numis, aliisque eorum ſculpta monumentis, teſtari videtur receptam olim apud *Jonas* vetuſtam illam traditionem; a *Philoſtrato* in imagine *Meletis* memoratam; quod nempe Athenienſibus colonos ſuos illuc deportantibus, Muſæ claſſem rexerint ſub forma *Apum*. Putarem tamen ad mellis & ceræ copiam, per omnia Epheſi confinia abunde provenientem, apem hic melius referri. Quicquid ſit, nequeo monetam hic agnoſcere jure publico receptam: non ſolum quia tot ſphalmata artificis privatam potius arguunt, quam legitimam monetarii manum; ſed quia nullus urbis magiſtratus, nulla ejus religio, in numiſmate conſpicitur. Fuiſſe ergo *ſymbolum* crediderim, *Polluci* inter *numulos* recenſitum, Latiniſque *teſſeram* nominatum; cujus ectypa, gymnaſiarchorum juſſu, magno numero percuſſa, viritimque populo diviſa, locum cuique in theatro ad ſpectandam ſaltationem darent. Interim ne ſymboli averſum latus vacuum prorſus & infructuoſum relinqueretur, occuparunt illud gymnaſiarchi, qui in ſpectaculis ſoli omnia potuerunt, pharmaci cujusdam publicatione: pharmaci dico, quod apud ipſos, aut eorum ſaltem adminiſtros,

ſtros, balneatores nempe unguentarios & jatraliptas, propalam in balneis & gymnaſiis venale proſtitit. Hoc ſuadebit certe duarum inſcriptionis partium diviſa commode interpretatio: quarum prima ſic apertius legitur ΚΗΡΙΑ ΛΙCωΔΕ, & altera paulo intricatius ΠΡΟC ΠΑΛΥΡΝ.

1. ΚΗΡΙΑ ΛΙCωΔΕ (corrupte pro ΚΗΡΙΑ ΔΙCΩΔΗ) auctoribus Ariſtotele *Plinioque*, non verebor interpretari *favos Bithymos*, ſive favos bina thyma redolentes: Favos intelligo, colore albos, melli faciundo non omnino aptos, ſed ad medicamina & varios curationum uſus apprime commendatos. Ita enim de cera, de melle, & favis agens Ariſtoteles (de Hiſt. Animal. lib. 9. cap. 40.) τὸ δὲ λευκὸν (κηρίον inquit) ἐκ ἐκ θύμε εἰλικρινὲς, ἀγαθὸν δὲ πρὸς ὀφθαλμὲς, καὶ ἕλκη. Jam locum iſtum ſic expreſſit *Plinius* (lib. 11. cap. 16.) *Album mel non ſit, quod* Bithymum *eſt, ſed oculis & ulceribus aptiſſimum exiſtimatur.* Nec hanc ſolum, ſed & alias *favi bithymi* virtutes ex *Plinio* aliud agente obiter colligimus. Nam, *Duo* (inquit) *ſunt genera thymi - - - - utraque oculorum claritati multum conferre exiſtimantur. - - - item* ſi lateralis dolor ſit, aut inter ſcapulas, aut in thorace, Lib. 21. c. 21. Celebre hoc pharmacum vetuſta diu fama & opinione nobilitatum una cum ceteris & medicinæ & luxuriæ in-

ventis (unguentis nempe, odoribus, oleis factitiis, & ceromate, poſt edita ſpectacula, ab athletis jam ſudantibus deterſo) aut ipſi illi Gymnaſiarchi aut eorum certe miniſtri in balneis & gymnaſiis venditabant. Illic enim medicinam eos factitaſſe, & mercaturam, ex autoribus abunde conſtat. Hinc *Plinius* (Lib. 28. cap. 4.) non ſine indignatione quadam *quæſtuoſorum* deprædicat *gymnaſia Græcorum*. Nec immerito, ſi eidem (Lib. 15. cap. 4.) ſic prius ſcribenti fides: *Uſum ejus* (i. e. olei *ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores*, in gymnaſiis publicando, *notum eſt magiſtratus honoris ejus octogenis* (i. e. 80000.) *ſeſtertiis ſtrigmenta Olei vendidiſſe.*

Feſto igitur tempore, jamque ad ſaltationes, ad luctatus, ad pugilatus, & ad alia id genus certamina undique confluente populo, hæc ſua *κηρία δυσώδη* balneator quis, aut unguentarius, aut jatraliptes publicavit: idque arrepta hujus *ſymboli ſaltatorii* occaſione, quo latior rei notitia per manus, hinc inde, volitaret. Latinas hujusmodi publicationes, utcunque vulgo non notatas, at revera, mercimonii ergo, a veteribus olim factas, nemo eſt qui recte pernegabit. Tales enim duas ceræ pulchre impreſſas, & a teſſeris archetypis longiuſculis more quodam typographico deſumptas, adhuc apud me ſervo,

ali-

aliquot abhinc annis, a Domino *Luſkins* Colcetrenſi, antiquitatum harum ſtudioſo, humaniter mihi communicatas, Hæ igitur ad Colceſtriam, Romanam olim coloniam, repertæ, & (quod mirandum ſubit) in uſus etiam jatraliptæ cujusdam, ſive unguentarii, fabrefactæ, dici vix poteſt, quantum & in re ipſa, & verborum formula, huic noſtræ numulariæ publicationi ad amuſſim per omnia reſpondeant. Sunt enim hujusmodi

QIULMURRANIMELI QIULMURRANISTAGIU
NUMADCLARITATEM MOPOBALSAMATADCAP

i. e. Quinti Julii Murranii Melinum, ſive ex malis cotoneis oleum, ad claritatem oculorum faciens. Iterumque quinti Julii Muranii ſtagium opobalſamatum, ſive myrrhæ oleum opobalſamo permixtum, ad cap. i. e. ad caput medicandum utile.

2. Sed his tandem adductis, redeat iterum ſub oculis inſcriptionis illa pars poſterior ΠΡΟϹ ΠΛΛΤΡΝ hanc ΠΡΟϹ ΠΑΛΤΡΙΝ legebat, & de fluvio aliquo, aut monte, ſic lectum intelligebat nuperus ejus editor *Bellorius*. Numum quoque vidimus, ad lectionis Bellorianæ formam recente ſcalpro adulteratum. Sed ſi in iſto ΠΛΛΤΡΝ nomen aliquod proprium deliteſcat, (ΠΑΛΤΡΙΝ id fuerit, ſive ΠΑΛΤΡΑΝ) oportebit

Digitized by Google

tebit eſſe aut balnei in quo venderentur hi ſavi bithymi, aut balneatoris qui illos venderet. Cum vero alterutrum horum ſenſuum nec res, nec ratio concinne pati videatur; deveniendum eſt tandem ad conjecturam: quærendumque de vocula πρὸς, poſt pharmacum ſic poſita & expreſſa, an non ſatis aperte oleat notam medicorum phraſin, qua hoc aut illud pharmacum ad hunc illumve morbum, curationem, aut partem corporis, bonum atque utile, compendio quodam commendatur.

Sic (ut cognata ſolummodo exempla adducamus) κηρίον hocce Ariſtotelis πρὸς ὀφθαλμοὺς καὶ ἕλκη. Κηρώματα Hippocratis πρὸς ἀλγήματα πλευρῶν. Melinum illud *Murranii* ad claritatem oculorum; ſtagium ejuſdem opobalſamatum ad caput; & paſſim illa *Plinii* pharmaca, ad claritatem, ad argema, ad albugines, ad luxata membra, ad nervos, ad ſanguinem, ad tuſſim, ad lateris dolores. His poſitis, in abſtruſo illo ΠΛΛVΡΝ clare mihi videor deprehendere ΠΛΕVΡΑΝ. Cumque duo thymi genera (ut a *Plinio* jam didicimus) ad lateralem dolorem faciant; neque id ſolum, ſed & ΚΗΡΙΑ quoque ab *Hippocrate* ad eundem ſæpius commendentur; lego tandem κηρία δυσώδη πρὸς πλευράν hoc eſt (phraſi *Murraniana*) *favi bithymi ad latus*: ſive favi *bina thyma* redolentes,

ad

Digitized by Google

ad lateris dolorem utiles. Artifex enim ſcalpturam (ut par eſt credere) magis quam literaturam callens, ſuum illud Λ, loco A & Δ erronee prius uſurpatum, hic quoque loco E errante effinxit manu. Et tum demum ſpatio deſtitutus, A & N literas in unum (ut fit plerumque) combinatas, eruditorum crucem, & antiquariis offendiculum reliquit. Eodem res recidit, ſi rei forte numiſmaticæ peritis ΠΛΕΥΡΟΝ potius quam ΠΛΕΥΡΑΝ legendum videatur, eo ſolummodo caſu, non jam A & N, ſed P & O literas fas fuerit combinari.

Finieram; niſi quod aliquid mihi Theologicum ex hac ethnica farragine colligendum reſtet. Eſt vero loci *Tertullianei* ad *Scapulam*, capite quarto vindicatio. Proculum quendam Chriſtianum ibi memorat *Tertullianus*, *Euodiæ procuratorem*, *qui Severum* Antonini patrem *per oleum aliquando curaverat.* Hic vero, extruſa voce *Euodiæ*, Euodî legunt emendatores; & ad Euodium nos, neſcio, quem remittunt, cujus negotia Proculum hunc noſtrum procuraſſe ſuſpicantur. At re ipſa *Euodiæ Procurator* erat ἐυωδίας, hoc eſt odorum, unguentorum, oleorum, ſub gymnaſiarcho aliquo in balneis præfectus. Cumque tales (uti vidimus) conſtanter jatraliptas agerent: Proculus noſter, eo nomine evocatus, oleo perite adminiſtrato,

)()()()(im-

imperatori ſaluti fuit. Vale, vir accuratiſſime, & dum ſolerti, quo polles, ingenio evaneſcentia indies monumenta ab interitu revocare pergis; monumentum ibi para inſcribendum REPERTIS BRITANNIÆ THESAURIS. Dabam e Villa Walthamiſtoënſi prope Londinum Calendis Februariis A. D. 1719-20.

DE

Digitized by Google

DE
REGIBUS EXTERIS.

Quia primo tomo a regibus Syriæ, & Commagenes initium dederam, ne ab ordine tum inſtituto diſcedam, alterum hunc a regibus exteris generatim exordior; In eorum diſpoſitione chronologiam ſequor exacte, non eam quidem, quæ ad regnorum ſingulorum exordia pertinet, verum ubi plurium ejuſdem regni regum eſt ſeries, a tempore, cui primus ea ex claſſe productus numus congruit, conſecutionis ratio petetur. Chorum hoc in conmentario reges duo, qui Trojanum bellum præceſſerunt, Cretæ unus, alter Arcadiæ ducunt; hos excipit Cyzicus huic Græcorum expeditioni ſynchronus: conſequuntur aliqui reges Macedoniæ, Syriæ, & Ægypti pro ſubplemento hactenus editorum: adjunguntur reges Pergami, Parthiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, Paphlagoniæ, Ponti, & Boſpori Cimmerii: agmen claudit Alannus, cujus caput adhuc non viſum; Inde ad viros Inluſtres fiet tranſitus.

Digitized by Google

TABULA I.

MINOS *Rex & legislator Cretæ* cum PASIPHAE *uxore*

Comitis de Winſchilſea.

Caput muliebre)(Caput viri barbatum, epigraphe ΚΝΩ ſcilicet *Cnoſſiorum*. Numus bene conſervatus, prominentis cælaturæ craſſiuſculus, ut fabrica ipſa eum antiquiſſimis vendicet. *Tab. I. N.* 2.

Cnoſſi principe Cretæ oppido duo viſu digna ſe obferebant: celebris ille labyrinthus, & Jovis ſepulcrum, de horum primo fuſius agam, ubi ad tractationem de urbibus & populis delabar: Alterum quod adtinet, ſunt, qui non patris, ſed Minois Jovis filii, Cretæ ex regia ſua Cnoſſo imperantis eſſe volunt; tumulo inſcriptum nempe legebatur: ΜΙΝΩΟΣ. ΤΟΥ ΔΙΟΣ. ΤΑΦΟΣ. *ſepulcrum Minois filii Jovis*. Eraſum inde fuit nomen Minois a Cretenſibus, ut non niſi verba: *ſepulcrum Jovis* ſupereſſent, ut Cl. du Pin refert, quam ob rem ita de Cretenſibus Callimachus:

Biblioth. Univerſ. des Hiſt. pag. 320.

Creta eſt, quæ ſemper mendax ſtruxiſſe ſepulcrum
Auſa tibi rex magne, aſt longum vivis in ævum
Nec periiſti unquam.

Hac igitur in urbe præſens numus eſt ſignatus, & ſuſpicor, capite muliebri indicare voluiſſe monetarios Paſiphäen Minois uxorem, & Solis juxta Ariſtotelem filiam: alte-

altera vero numi parte ſub vultu barbato Minoem, qui Cnoſſi non ſolum toti imperabat inſulæ per novem annos, teſte Homero a Pauſania relato, ſed leges etiam ſubjectis populis ſcripſerat. Nota apud poetas eſt fabula, judicem eum manium eſſe apud inferos, atque hinc conjicio, Cnoſſios tanquam propriorum ſibi numinum antiquiſſimi ſui regis, uxorisque ejusdem capita in moneta ſignare voluiſſe; vix enim aliis commode tribuentur. *Pauſ. L. III.*

ALEUS rex Tegeæ
Ejusdem

Caput venerabile diadematum, & barbatum, adjecta epigraphe ΑΛΕΟΣ)(Pallas, & Mars ſtantes, media puella, (1) inſcriptio dialecto Dorica ΤΕΓΕΑΤΑΝ. *Tegeatarum.* Numus eſt tenuis, cælaturæ non contemnendæ, atque nigra vernice tectus *Tab. I. N. 3.* Similem poſſidet

(1) Numum minus conſervatum nactus eſt Haymius; non vidit vas, quod puella ſublime tenet, atque monogramma pro ara habuit etiam. Docuit nos hæc Inl. Anonymi Galli *Recueil de Medailles de Rois a Paris* 1762. *p.* 23. *Tab.* 2. Ubi ſimilem integerrimum ex ditiſſimo ſuo muſeo nobis repræſentavit. Hanc animadverſionem jam ſcripſeram, cum ab Inl. Marchione Savorgnano X. Viro Veneto, qui ſua me benevolentia, ut olim Frœlichium, dignatur, cum de iisdem, tum de illo moneor, Martem nequaquam galeam manu tenere, atque ut de hoc convincerer (ad quod in Gallico non adverti animum) numum lineari pictura deſcriptum non miſit ſolum, ſed alia item ejusdem urbis numorum ectypa ex ſplendiſſima ſua gaza, ut rei antiquariæ promovendæ eſt ſtudioſiſſimus, ſubpeditavit, quorum aliqua in adpendicula adjicienda luci publicæ dabo, atque illum etiam Minervæ Aleæ, quem Haymius in adverſariis Maſſonii ſub finem hujus tractationis adnotatum ſolum fuiſſe dolet.

Digitized by Google

ſidet dux Devoniæ adtamen in antica ita detritum, ut diadema quidem obſervetur optime, nomen tamen ΑΛΕΟΣ legi non poſſit.

Numus hic non ſolum ob urbem Tegeam, quam in lucem profert, ſed ea, quam averſa condit, eruditione pariter, atque præcipue adverſa parte, qua regis hactenus non editi effigies cælato in capite objicitur, unus eſt de ſingularibus. Solus P. Harduinus eruditione clarus hujus numi a ſe in muſeo regis Galliæ viſi meminit, verum ex ejus deſcriptione admodum diverſum ab noſtro invenio.

Pauſan. L. VIII. c. 48. Tegea oppidum eſt Arcadiæ tam notum, ut, quæ de illa Pauſanias, conmemoraſſe ſuffecerit, ſcilicet nomen ei a Tegeate Lycaonis filio inditum; Narrat deinde ſua memoria oſtenſum ibidem fuiſſe ſepulcrum ejusdem Tegeatis, uxorisque Mœræ, quam nonnulli Atalantæ filiam habent; *Ibid. c. 52.* tum alterum, quo Philopœmenis cineres ſervabantur, cujus non ſolum epitaphium nobis adnotavit autor, ſed facta etiam ſtatuæ magni hujus ducis mentione, multa ſatis de ejus rebus geſtis adtingit, quas data opera ſuis in parallelis perſecutus eſt Plutarchus.

Vide Hard de Pop. & Vrb. p. 489. edit. in 4. L. VIII. c. 3. & 4. Caput diadematum, & barbatum obiter inſpectum Jovi tribui poſſet, niſi nomen ΑΛΕΟΣ adjectum effigiem Alei Tegeæ regis proderet, atque diadema, quo redimitum eſt, etiam confirmaret. Alei genealogiam nobis ita deſcipſit Pauſanias: Lycaone genita erat Calliſto Arcadis primi Arcadiæ, cui etiam nomen dederat, regis mater; Ex tribus Arcadis filiis nempe Azane, Aphidante, &

Ela-

Elato patri ſubceſſit Azanes, hujus filius Clitor tertius eſt in regum catalogo, ab hoc regnum hæreditate ad Epitum filium Elati tranſivit. Sub Aleo Aphidantis filio Arcadia in unum regnum (ante enim diverſis partibus tres illi Arcadis filii imperitabant) ita coivit, ut Tegeæ etiam regia conſtitueretur.

Aleo noſtro quinto ab Arcade regi tres item erant filii Lycurgus, Aphidamas, & Cepheus: parentem in throno ſecutus eſt Lycurgus, hunc vero Echemus Cephei, Lycurgi fratris filius. (2) conmigravit ſubinde rurſus in Lycurgi familiam diadema, atque Agapenoris Lycurgi ex Anceo filio nepotis caput ornavit, rex hic ab Arcade octavus Trojano bello præſens, cum Paphum ſe tranſtuliſſet, templum Veneris ibidem condidit. Conſecutorum regum ſeriem qui volet, Pauſaniam adeat, ex quo ſcimus præterea, ejus ætate adhuc Alei palatium fuiſſe ſuperſtes: Eidem regi tribuitur celebris Minervæ Aleæ templi ſtructura, cujus ſignum averſa noſtri numi pars exhibet: *Ædificavit Aleus vetuſtum illud, quod Tegeæ viſitur Aleæ Minervæ fanum, ibidemque regiam ſuam conſtituit.* Cap. 53.

Hujus etiam meminit Strabo: *Tegea*, ait, *mediocri adhuc ſtatu permanet, & Aleæ Palladis fanum.* Strabo L. VIII. Anno altero Olympiadis XCVI, qua Eupolemus Eleus in ſtadio vicerat, fanum hoc repentino incendio funditus everſum cum fuiſſet, alterum magnificentius fere eidem deæ, architecto Scopa Pario, ut teſtatur noſter autor, Tegeatæ reſtituerunt.

(2) Pauſanias nepotem facit: Εχεμος ὁ Αερόπȣ, τȣ̃ Κηφέως, τȣ̃ Αλέȣ.

Digitized by Google

Pauſan. Ibid. ibid. c. 47. ibid.

runt. Subjicit idem, antiquum Minervæ Aleæ ſignum cum dentibus apri Calydonii ſublatum ab Auguſto, Romæ ad ingreſſum fori ab imperatore ſtructi fuiſſe conlocatum. Summam hujus numinis religionem teſtantur ludi Alei in honorem Minervæ celebrati, a qua Cepheus Alei filius pro ſingulari favore, datis in ſecuritatis teſſeram reciſis a dea Meduſæ capillis, obtinuit, Tegeam nullo unquam ab hoſte capiendam.

Mars qui noſtro in numo eidem deae adverſus, huic vel porrigere, vel ab ea galeam accipere videtur, non alius eſſe videtur, quam qui Tegeæ Γυναικοθοινα a matronis ita dictus, adpellabatur, quia flagrante bello Lacedæmonio, & in prima quidem a Charillo contra Tegeatas ſuſcepta expeditione ſolæ feminæ armis correptis, poſtquam cum Spartanis conliſæ, rege Charillo capto, eosdem, viciſſent, viris excluſis Marti ſacrificarunt. Nominis originem hoc ex facinore profectam pulcerrimum hocce numiſma confirmat, quod ſimul numen præſtes virorum deam, nempe Minervam, atque mulierum deum ſcilicet Martem exhibet, id quod bene expenſum lepidiſſimo hoc ſexuum conflictu averſam noſtri numi partem inluſtrat.

ibid. c. 47. Pauſan. L. VIII. c. 47. pag. 695. Græc Lat.

Diligentiſſimus noſter ſcriptor ne quidem nos circa puellam deſtituit, quæ præ Minerva velut aliquid oblatura, ad aram, ut videtur, adſiſtit, ita enim habet: *Deæ rem divinam facit puella: quanto tempore virginitatem ſervet, non ſatis ſcio, illud compertum habeo, antequam pubeſcat, illam ſe ſacerdotio abdicare.* Hæc igitur ejus templi erat ſacerdos, cui, quemadmodum noſtro ex numo bene colligitur, nuptiis maturæ altera ſubrogabatur.

Non

Digitized by Google

Non poſſum hic omittere indicium alterius numi, in adverſariis manu ſcriptis doctiſſimi D. Joan. Maſſon adnotati, qui velut fraterculus noſtro adjungendus. Perlibenter ejus imaginem exhiberem etiam, quamvis extra Angliam adſervetur, ſi modo ejus videndi occaſio ſe obtuliſſet. Parte antica Palladis galeatum caput, ut in ære Atheni-enſi, præfert: poſticam noctua obtinet, vaſi, aut columnæ capitulo inſidens, utrique parti inſcriptum: ΑΘΑΝΑΣ.ΑΛΕΑΣ.

CYZICUS *rex.*

ΚΥΖΙΚΟΣ. *Cyzicus.* Caput ejuſdem regis inter Argonautas inluſtris, id quod quidem jam eruditiſſimus Seguinus duobus diverſis typis conjunctum vulgaverat, quia tamen alii optimi artificii & conſervationis numi partibus averſis a Seguinianis diſcrepantes mihi ſub manus venere, idem caput iterum a me in lucem profertur. *Val.Flacc. L.II.Ovid Triſt.L.I. Selꝫ Num pag. 26. & 30. edit. ſecundæ*

Horum primus typi inſolentis turrem elegantis ſtructuræ inter duas faces, quibus ſerpentes inpliciti, mediam exhibet, cui tres ſtatuæ muliebres facibus etiam armatæ inſiſtunt, adjecta in orbem epigraphe ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ *Cyzicenorum Neocororum. Tab. I. N. 4.* *D.Devons.*

Similem fere averſæ partis capiti Antonini Caracallæ adſignatam imaginem ediderat Patinus, de qua tamen peritiſſimo ceterum antiquario hæſit aqua. Impetrare a me non poſſum, ut ſubſtructio tam inſignis ſuis in tenebris diutius deliteſcat, præſertim cum tædarum ſerpentiferarum, ara luculenta media, communis in Cyzicenorum *Theſ. in 4to. p. 575.*

Digitized by Google

ære ſit cælatura, celebrem Cereris & Proſerpinæ cultum ſpectans. Quid quod recepta jam ſit opinio, oppidum hoc Myſiæ in dotem Proſerpinæ eſſe adtributum. Strabo dum in laudes Cyzici excurriſſet, hæc ſubjicit: *Tres ea civitas habet architectos, qui curam gerunt ædificiorum &c. Tria etiam armamentaria, armorum, machinarum, frumenti;* Addit: *mœnibus, arce & turribus marmoreis conſpicua erat.* Quidni iſtiusmodi turrem, & eam quidem quæ frumento condendo deſtinabatur, hocce in numo deſignatam ſuſpicari licebit, quia trium figurarum media duabus, quas gerit, facibus Cererem ſe ſatis liquido profitetur: latus ſtipantium altera Hecati, etiam Proſerpinæ dictæ eſt adtribuenda: altera Dindymenæ ſeu Cybeli, quam præ diis aliis Cyzicenorum religionibus cultam cum vicinus urbi mons Dindymus, cui templum deæ ab Argonautis ſuperſtructum, tum antiquum ejus oppidi, teſte Plinio, nomen Dindyma declarant. *L. V. c. 32.*

L. XII. p. 575. Græc. Lat.

Plinius, *Strabo* V. Pauſ. L. VIII. c. 46.

Quæ hactenus dicta ſunt, numi Commodi ibidem ſignati conprobant, atque is præcipue, qui ex ejusdem Exc. ducis de Devonshire muſeo, quia minus conſervatus a me ſolum deſcribetur: Adverſa parte caput diadematum Cyzici quemadmodum ſuperior cælatum habet: in averſa Cybele dextra facem præferens leoni gradienti inſidet; inſcriptio amplior, quia detrita, legi a me non poterat, arbitror tamen, nomen magiſtratus, & urbis cum titulo Neocoræ iis literarum veſtigiis deſignari. Numos hoc titulo inſignes eruditiſſimus Vaillantius, tempore Hadriani Imp. cuſos eſſe perſuadet, cujus permiſſu primum ſe æditu am ſcripſit Cyzicus.

Vaillant. de numis Græce loq. p. 70.

Nu-

Digitized by Google

Numus II. ejusdem regis caput ſimili ornatu exhibet.)(Capricornus cum inſcriptione ΚΤΖΙΚΗΝΩΝ *Cyzicenorum. Tab. I. N. 5.* Eſt *equitis Roberti Sutton*, qui hunc cum aliis rariſſimis Conſtantinopoli legatione regia defunctus, nuper in Angliam adtulit.

Unicum Cyzicenorum numum cum tali averſæ partis imagine a doctore Vaillantio ſub Geta Imp. productum novi, arbitrorque, cives ſymbolo capricorni utpote ex piſce & capro compoſiti duplicem qua terra, marique fruebantur, felicitatem indicare voluiſſe, quarum illam agri fertilitas, & venationis oportunitas, hanc piſcium abundantia ob vicinum mare adferebat. Neque repugnavero, ſi quis hunc typum ad deſignandam Cyzicenorum terra marique potentiam referat, cum Strabo teſtetur, Cyzicum cum præcipuis Aſiæ urbibus de magnitudine, pulcritudine ac viribus certaſſe, quas paratæ ſemper 200. naves ſatis oſtendunt, quid quod bello contra Mithradatem claſſe 400. triremium mare conſtraverint; terreſtre dominium ad 50. leucas ſe porrigebat, a Romanis ſubinde novis adceſſionibus ampliatum. *pag. 118.* *L. XII.*

Numus III. Caput idem)(Intra coronam lauream CΤΡΑ. ΤΑΡ. ΠΑΤΛΟΤ. ΚΤΖΙΚΗΝΩΝ. Β ΝΕΟΚΟΡΩΝ *Prætore Tarquinio Paulo Cyzicenorum iterum ædituorum.* Nota numeralis ex ſententia laudati Vaillantii numum ætate Caracallæ percuſſum arguit. Numus IV. Antica eadem)(ΚΤΖΙ intra lauream. *Tab. I. N. 6. & 7.* *p. 218.*

Ambos poſſidet D. *Guilielmus Croſſe*, qui ſacra dicti legati in oriente procurabat.

Digitized by Google

Quam de Cyzicenorum numis feceram obſervationem, eadem mihi a clariſſimo domino Maſſon confirmatur, ſcilicet titulum ΝΕΟΚΟΡΩΝ pro medio Ω ſemper per O eſſe cælatum.

Elegans horum numorum fabrica proverbium apud Suidam: *Cyziceni ſtateres* pro re magna cum diligentia elaborata dici ſolitum comprobat; Legitur in Sozomeno: *Monetariorum corpus fuit Cyzici*, & reapſe communis feriundorum numorum toto oriente officina hac in urbe erat conſtituta. *Ablancourtius* in notis ad Xenophontem bene arguit, ex ipſo vocabulo ΚΥΖΙΚΗΝΟϹ abjectis duabus primis literis Græcis derivatum eſſe nomen * Zecchino.

n. 198.

* *Moneta aurea Veneta.*

REGES MACEDONIÆ.

Chronologia regum Macedoniæ ea incertitudine eſt inpedita, ut de veritatis inveſtigatione fere ſit deſperatum: autores qui de hac tractant & in ſingulorum regnorum annis, & in tempore, quo reges vixerant, atque in numero etiam & ſubceſſionis ordine perſæpe inter ſe diſcrepant. Aſt in hac confuſione rerum a numis erit ſubſidium aliquod; ita quidem exiſtimabunt nonnulli, verum nec in his vel vultu, vel inſcriptione reges commode dignoſcuntur; non oris ductibus; quia plerumque antica caput Herculis, aut alterius numinis offert, non expreſſis characteribus; quia cum honorificis titulis abſunt epochæ. Quare ejuſmodi horum ſeriem, cujuſmodi continuam aliorum regum dederunt viri eruditi, nemo expectet. Solus Goltzius difficilem hanc arenam tentavit hacte-

ctenus, qui tamen, præterquam quod minore adcuratione regum Syriæ inmiſcuerat aliquos, omni ſuo labore non niſi imperfectam ſeriem concinnavit. Quare exiſtimabam præſtare, paucas hactenus non editas monetas, brevibus obſervationibus inluſtratas hic in medium proferre, ex quibus viro alicui de doctioribus, quemadmodum celeberrimus Vaillantius in Syriæ regibus & Ptolemæis verſatus eſt, campus aperiatur, hiſtoriam hanc non parum obſcuram evolvendi.

Caput regis barbatum & diadematum)(ΑΡΧΕΛΑΟΥ Equus gradiens in quadrato incuſo. *Tab. I. N. 8.* *D. Devonsh.*

Etſi ab edaci tempore aliquid perpeſſus ſit numus, de præſtantioribus tamen illum eſſe exiſtimo, cum quod citra dubium ob averſam partem eſt Macedonicus, tum quod hactenus hos inter reges nullus prolixa barba comparuerit, ut omittam nomen Archelai quadrato inſcriptum. Quare ne quis eum cum Goltziano eundem habeat, qui ſine barba oris ſpecie diverſus eſt præterea, ſed potius Archelaum primum, qui juxta Diodorum Siculum Macedoniæ præfuit ſub annum V. C. CCCXLIV. cui tempori manus monetarii aptiſſime reſpondet. *Vid. Goltz Tab. XXIX. LXIII. Olymp. XCII.*

Caput galeatum &c.)(Aquila ramo arboris inſidens, cum inſcriptione: ΒΑ. ΦΙ. *Regis Philippi* *Tab. I. N. 9.* *D. Devonsh.*

Scutum Macedonicum cum ſimili capite in medio)(Pileus Dioſcurorum ſuo aſtro inluſtris: epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Regis Philippi. Tab. I. N. 10.* Uterque integerrimus ſcitam manum cælatoris commendat. *D. Devonsh.*

Digitized by Google

Biga hæc numorum aut Philippo patri Alexandri M., aut potius ultimo Macedoniæ regi Perſes patri eſt adtribuenda: hoc loco, quia anceps hæſi, utrumque conſtitui; Magis tamen in eam opinionem propendeo, galeatum caput Philippi Alexandri patris eſſe, a Philippo patre Perſei velut reſtitutum ob præclara Philippi illius facinora, quibus regnum Macedonicum ad ſummum ſplendorem evexit. Conſtabilitur hæc opinio duobus numis mox ſubjiciendis, in quorum unius parte poſtica: BA. ΠΕ, in alterius BA. EP. inſcalptum legitur, de quibus ſuo loco pluribus. Capitis ornamentum Caninius pro cauſia diademate Macedonico habet, in formam pilei ejus opinione configurato, qualem hujus tegumenti imaginem nobis etiam deſcribit Solerius adlegata autoritate Julii Pollucis *L. X. Cap. 36.* Plutarchi in vita Demetrii, & Eumenis, Athenæi *L. XII.* & aliorum.

Inconograph. pag. 114.

Anſelm. Solerius de pileo pag. 167.

Gryphi caput in galero eminens explicatione non eget, quis enim neſcit diverſarum gentium morem atque Ægyptiorum præcipue, caput exuviis animalium, & ferarum ſimulacris ad terrorem hoſtibus incutiendum, exornandi. Ala auri adpoſita fortitudinem deſignat, obſervaturque etiam in numis Seleuci regis Syriæ, atque aliorum. Culter victimarius, inter humerum & cervicem prominens, quem tam præclaro commentario Cl. *de Boze* de ſacrificiis tauroboliis inluſtravit, ut hoc de argumento melius aliquid me legere non meminerim, reges Macedones ſacerdotes ſimul fuiſſe declarat; producitur ibi ab autore numus Philippi noſtro aliquantum ſimilis. Aquila partis averſæ ad Jovem Macedonum tutelare numen pertinere, plures eorum ſub regibus & imperatoribus procuſi eodem typo numi dubitare non ſinunt. Ut

Didor. Sic. LXI. c. 4. *Vaillant. p.* 37.

Memoires de Literature Vol. IV. p. 113 *edit. ſecundæ*

Digitized by Google

Ut ſcutum Macedonicum in horum numorum altero frequenter in hujus gentis moneta conſpicitur, ita inſolens typus eſt pileus Dioſcuri in averſa parte ſignatus, quem adhuc in Macedonico ære non vidi: hinc conjicio, numum hunc ex officina urbis maritimæ prodiiſſe, harum enim præſides dii, quemadmodum alibi dictum, Caſtor & Pollux habebantur.

Caput diadematum, cum cornu ad aurem)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Alexandri*. Leo gradivus. Eſt argenteus integerrimus & manus ſcitiſſimæ; Grana Anglica 20½ adpendit. *Comitis de Winchilſea. Tab. I. N. 11.*

Non una ex cauſa numum hunc maxime ſingularibus adcenſeo; Primum, quia Alexandri M. effigiem exhibet, quæ nonniſi rariſſime in monetis eſt percuſſa, quæ fere Jovem aut Herculem jam cum, jam ſine barba, Palladem &c. in antica habent, ubi de præſente capite cum ob regium diadema, tum ob cornu Ammonis, quo ſe filium Jovis conteſtabatur, dubitare non licet. Deinde, quia me artificium ejus ætatis magis excellens videre non conmemini, ſimillimum præterea veri vultus ectypon exiſtimari debet.

Leo averſæ partis alias fortitudinis & potentiæ indicium hic peculiari aliqua ratione ad originem Alexandri refertur, quippe Philippo patri per ſomnium objectum erat, velut deſponſatæ ſibi Olympiadis uterum gemma, cui leo inſcalptus, obſignaſſet. En Plutarchi verba: *Et Philippus aliquanto poſt nuptias in ſomnis ſibi viſus eſt uterum uxoris obſignaſſe annulo, cui leonis eſſet inſculpta imago;* *Initio vitæ Alexandri*

go; Quod ſomnium cum in malam partem reliqui arioli acciperent, accuratiusque cuſtodiendam Philippo conjugem dicerent, Ariſtander Telmiſſeus concepiſſe eam affirmavit (nihil enim inane obſignari) & parituram filium animoſum, leonisque ingenio præditam. Idem ſymbolum ſibi deinde Lyſimachus & Caſſander adſumſerunt.

TABULA II.

Caput Galeatum)(Navis dimidia cum literis BA.
D. Devonsh. AP quas lego: *Regis Aridæi.* (3) conſervationi bonæ reſpondet fabrica. *Tab. II. N. 1.*

Nullus hucusque Aridæi Macedoniæ regis numus in publicum eſt productus. Quia cælaturæ forma ad tempora Alexandri adcedit, monogramma AP minime Archelao, ſed Arideo Philippi ex ſaltatrice Lariſſæa ſpurio,
Juſt. L. IX. n. 8. Ibid. L. XIII. n. 3. & 4. Diod. Sic. L. XVIII. Plutarch. in Alex. atque Alexandri M. fratri notho adtribuo. Adfirmat Iuſtinus, illico poſt mortem Alexandri Aridæum a peditatu regem adclamatum Philippi nomine adjecto; conſecutum fuit aliquo poſt tempore etiam equitatus ſubfragium, communique conſenſu electo regi honorifica corporis Alexandri ad Jovis Ammonis templum deportandi provincia eſt conmiſſa. Idem autor & Diodorus Aridæum animo ad regnandum infirmiore fuiſſe ſcribit, quare ei tutor Antipater Caſ-

---

(3) Anonymus *Recueil de Med. de Rois* laudatus p. 10. ad Aradum urbem monogramma refert: cum in numis ſimillimis alia iſtiusmodi obcurrant puta [illegible] &c. etſi numos cum epigraphe BA. ΦΙ adjecta eadem ſigla Aridæo permittat, quippe cum Philippo II. nullus Aradi numus percuti poterat.

Digitized by Google

Caſſandri pater adtributus, qui moriturus in Polyſperchontem idem munus tranſtulit: conſtitutum præterea, ut, ſi Rhoxane, quæ tum ex Alexandro uterum ferebat, filium enixa fuerit, ab Aridæo regnum puero cedatur, id quod Olympias mater Alexandri inlata eidem, uxorique Euridice morte, poſtquam ſex annis & aliquot menſibus regis titulum tuliſſet, prævertit.

Advertit me illud in Juſtino, quamvis præmiſiſſet regi huic a peditatu Philippi nomen inditum, quo eodem eum ad finem usque vitæ conſtanter adpellat Diodorus, a Pauſania tamen & laudato Juſtino non niſi Aridæum nominari, ut in opinionem inducar, adoptionis nomen fuiſſe illud Philippi, quo ſubjectorum populorum amor conciliaretur, hoc vero nec in ſignata pecunia, nec in publicis negotiis aliis eundem fuiſſe uſum. Navem dimidiam cum malleo navibus conpingendis inſtrumento neceſſario ex Diodori mente, qui adſerit, inventa a morte Alexandri in codicillis mandata de claſſibus adornandis, portubus & navalibus extruendis, indicare arbitror ab Aridæo aut ſtationem navalem ampliatam, aut reſtitutam, vel denique magnam ad Macedoniæ defenſionem ejus imperio fabricatam eſſe claſſem *Diod. Sic. initio L. XVIII.*

Caput diadematum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ *Regis Alexandri* Eques. *Tab. II. N. 2.* *D. Devonsh.*

A cælando numo iſthoc qui adverſa parte caput diadematum, oris habitu ab Alexandri vultu diverſum repræſentat, etſi ſcalptoris artificium non ſit ea ætate antiquius, abſtinere non poteram. Eruditi cui demum cun-

que,

que, per me licet, tribuant, ſi in eo Alexandrum Caſſandri filium nolunt agnoſcere. Quod partem averſam adtinet, ea in Philippi, Alexandri, & Caſſandri numis ſe obfert.

Juſtinus L. XVI. n. 1.

D. Devonsh.

Galea)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. *Regis Caſſandri.* Pilum haſtæ. *Tab. II. N. 3.*

Caſſander Antipatri filius an bellica fortitudine, an crudelitate in ſtirpem Alexandri M. major fuerit, dubium eſt. Sunt, qui Alexandro ipſi, cui a poculis erat, ejus miniſterio, inſtigante patre, propinatum venenum volunt. Non contentus matrem ejus Olympiadem e medio ſuſtuliſſe, ambos Alexandri filios Herculem ſcilicet ex Barſine natum, & Alexandrum una cum matre Rhoxane trucidari imperavit. Uxorem habuit Theſſalonicen filiam Philippi ex ſaltatrice Lariſſæa * atque adeo Aridæi ſororem. Superſtites ſibi reliquit tres filios: Philippum, qui patrem moriendo paullo poſt eſt conſecutus: Antipatrum cujus ſcelere matri Theſſalonice vita eſt ademta: Et Alexandrum. † Cujus cæde tandem Demetrius univerſam Macedoniam ſuam fecit. Refert Pauſanias, Caſſandrum infelici mortis genere obiviſſe, aqua ſcilicet intercute diſtentum vivum adhuc a vermibus fuiſſe conroſum; quid quod ultio divina patris ferocitatem in ipſis filiis caſtigaverit, Philippus enim ſubceſſor intra breve tempus phthiſi extinctus, Antipater vero ab Alexandro fratre, matris mortem vindicaturo, eſt jugulatus.

Pauſan. L. VIII. c. 7. Juſtin. L. XV. & XVI.

** Concubinæ huic nomen erat Nicaſipolis. Pauſan L. IX. c. 7. ibid.*

† Plutarch. in Demetr. plurib. hoc factum perſequitur.

Cum galea, quæ capitis loco ſignata eſt, diverſæ for-

formæ ſit ab iis, quibus Macedones teſtibus numis utebantur, atque multo levior eſſe adpareat, hujus ſpeciei pro majore in bellis commoditate inventorem fuiſſe Caſſandrum ſuſpicor. Lancea averſæ partis ad ferarum venationes pertinet, quibus admodum delectabatur Caſſander, ſane Diodorus Siculus duobus ſuæ hiſtoriæ locis diſertis verbis adfirmat, eum poſt patris mortem regnum Macedonicum adfectantem, ne quid alii ſubodorarentur, totum ſe venationibus dediſſe. Nullum numum Caſſandri capite inſignem exhibeo, ratus majorem me a lectore initurum gratiam, huncce hactenus non editum proferendo, quam ſi numis jam vulgatis voluminis molem augerem.

Caput ſimile.)(BA. ΠΕ. *Regis Perſei.* Aquila unguibus fulmen ſtringens. Numus nulla parte adeſus artificis boni eſt. *Tab. II. N. 4.* *D. Devonsh.*

Caput idem, nec pars adverſa præter literas multum diſcrepat, præterea opere & conſervatione pari. *Tab. II. N. 5.* *D. Devonsh.*

Dixeram jam ad numum hac in regum ſerie ſecundum, videri mihi caput cauſia tectum eſſe Philippi patris Alexandri M., imitatumque parentem ſuum in eo fuiſſe Perſeum regum poſtremum, quod idem caput ob grandium illius Philippi facinorum memoriam ſua in moneta feriri juſſerit, (4) reddita præterea fuit ratio de aquila a-

 ver-

(4) Miror Haymium, qui alias in vultuum ductibus obſervandis tam eſt adcuratus, diverſo oris habitu animadverſo, capita hæc non

verſæ partis; Attamen nulla conjectura penetrare poſſum, quid ſibi velint literæ EP in numo poſteriore exaratæ, cum nullius regum Macedoniæ nomen his literis occipiat.

Solus ex autoribus Diodorus Siculus triſtem nobis Perſei mortem deſcribit, quæ victum ab Aemilio, atque duobus annis Romæ captivum miſerrime obpreſſit: quid filiis, qui eadem cum patre fortuna involuti fuerant, factum ſit, neſcitur.

Quia ſuperius & ſcuti Macedonici, & galeæ mentionem feceram, hujus quidem, dum de numo Caſſandri illius, illius vero ubi de Philippi moneta agebam, neceſſarium arbitrabar, ut ſub ſeriei finem duo Macedonoicorum regum numi proferantur, in quibus ſcutum & Galea ea forma comparent, quæ in uſu illius gentis erat maxime, horum prior *Tab. II. N. 6.* depictus, eſt equitis *Abdy*: alter *N. 7.* ex muſeo *Comitis de Winſchilſea* eſt depromtus. Scutum, cujus medium caput Meduſæ obtinet, ad Palladem Macedonum deam conſervatricem eſt referendum, vide ſi placet ea, quæ hoc de argumento Cl. de Wilde * occaſione a numis his fere ſimilibus oblata, & alibi eruditiſſimus Nonnius † ſcripſere. Literas B. A. legendas exiſtimo: *Regis Alexandri*, quin adfirmare audeam, ad quem Alexandrum pertineant ita inſcripti numi; in ſiglis ceteris explicandis aquam mihi hærere lubens profiteor.

* *Select. Numis. Tab. III. & IV.*

† *Goltz Aſiæ min. Tab. XXII. XXIV. & XXVIII.*

RE-

non iis regibus adſcripſiſſe quorum nomina monetæ præferunt; ſane poſtremus Philippus majorem multo rationem habuiſſet præ remotioris illius Philippi caput Antigoni Gonatæ avi conſignandi, qui pulſis æmulis regnum in Poliorcetis familiam traductum ſibi & poſteris adſeruit.

REGES SYRIÆ.

Subplementum hoc adpendicula erit ad numos horum regum tomo primo exhibitos.

Caput Seleuci galea cornu taurino ornata, atque infra mentum clauſa tectum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Victoria tropæum coronat. Numus ex argento flatus, grana 252 Anglica adpendit. Bonus monetarii labor etiam ſibi conſtitit. *Tab. II. N. 8.* *D. Devonsh.*

Numus hic unicus de inſigni aliqua Seleuci victoria nos edocet, quare ad eam referendum cenſeo, quam de Demetrio Poliorcete reportavit, qui trajecta Cilicia, factaque usque in Cyhrreſticam excurſione cum noctu Seleucum dormientem pene obpreſſiſſet, edita ſubinde pugna alarum alteram jam in fugam conjecerat; Excitatus graviſſimo hoc periculo Seleucus conſcenſo equo, demiſſa galea, ſcuto armatus ad primam aciem provolat, confirmatisque militum animis, ipſe in fronte conſtitutus ita prælium reſtaurat, ut fugato Demetrio omni parte vicerit, ad quam gloriam poſtea captus etiam Demetrius adceſſit, in cuſtodia poſt triennium annos natus 54. mortuus, id quod ſub annum V. C. 477. circiter, regni Seleuci 26. accidit. *Plutarch. in Demetr.*

En quam pleno jure adcommodato typo in averſa numi parte exarata ſit Victoria, conſpirat etiam adverſa, quæ nobis Seleuci caput galeatum eo fere habitu ſiſtit, quo eques ad exercitum dixit facinore tantæ fortitudinis & gloriæ, ut ejus memoriam ad poſteros tranſ-

Digitized by Google

p. 28. miſſam voluerit. De cornu galeæ inpoſito primo in volumine jam diſſerui oblata occaſione elegantiſſimi numi aurei ejusdem regis. Literæ AX quæ aream inter Victoriam & tropæum implent, forſan indicant, numum ab Achæis, qui multis injuriis a Demetrio vexati fuerant, fuiſſe percuſſum, ut ſibi hac honoris conteſtatione Seleuci benevolentiam conciliarent.

Elephas)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. - - ΕΥΚ - - *Regis Seleuci.* Caput equi infra quod anchora. Satis cetera conſervatus. *Tab. II. N. 9.*

D. Devonsh.

Elephantis typum eruditiſſimus Vaillantius ad potentiam Seleuci refert, qui teſte Diodoro CCCCXXC. harum beſtiarum contra Antigonum duxit, & Iↄ a Sandrocota pace cum eo inita obtinuerat, alebantur præterea multi, ut Strabo adfirmat, in Syria verſus Laodiceam. De cornuto equi capite alibi ſilui, quod nihil ad ejus explicationem, cui adquieſcerem, in mentem veniebat; Verum ne bis idem objectum ſine vel minima obſervatione prætercam, non tam velut mihi ſatisfacerem, quam ne lectoris reprehenſionem incurram, id unum ſubgeram, voluiſſe forſan Seleucum fortunæ ſuæ initium atque honores, quibus ab Alexandro M. cumulatus erat, hoc in ære declarare, quippe ab eo, elephantum & equitum prætorianorum præfectus juſſus, qui forſan pro vexillorum inſigni caput equi cornuti habuerint, ut Bucephali * nomen conſervaretur.

Seleucid. p. 38. Diodor. L. XX. ſub finem.

V. noſtrum Tom. I. p. 28.

* *Nomen id erat equo Alexandri.*

Præterea, ſi diligentius inſpicitur numus, etiam elephantis caput cornutum videbitur; ut adeo tam belluæ quam

quam equi cornua ſummum Seleuci in LXXII. ſatrapias imperium repræſentent, cum cornu potentiæ, & dominationis ſignum vulgo habeatur.

De anchora ſatis ſcriptum eſt alias. Numulum æneum etiam poſſidet *Comes de Winchilſea*, qui antica caput Apollinis laureatum: poſtica caput equi cornutum, ut in præſente, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. cælatum habet. *Vide T. I. p. 27.*

TABULA III.

Caput Jovis)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Fulmen infra quod delphinus; ſuperius nota incuſa anchoram refert. *Ex muſeo doctoris Sherard, qui Smyrnæ res Angliæ curabat.* *Tab. III. N. 1.*

Seleuciæ ad mare, urbis & Oronti fluvio & montibus Pieriis vicinæ, typum in moneta conſuetum fuiſſe fulmen, noſter vult Vaillantius; Atque id non ſine fundamento, cum Appianus, qui hujus oppidi incunabula exacte deſcribit, meminerit, illud cum ſtrueretur, de cœlo fuiſſe tactum, quumque propterea fulmen ab incolis deus haberetur, hymnos in ejus honorem fuiſſe decantatos, in quibus perfrequens erat fulgurum mentio. Numus, quem præ manibus habemus, docet, deum quem ſibi ſub fulminis ſpecie finxerant, Jovem eſſe, cujus caput antica in parte eſt ſignatum, neque facile deorum alteri adſcribi poterat, cum hujus ſit adtributum peculiare: Delphinus urbem maritimam indicat. *Bell. ſyr.*

Ca-

Digitized by Google

Caput juvenile galeatum)(Epigraphe eadem: Pilei Dioſcurorum clava ſubjecta. Scitæ cælatoris manui ne minimum per temporis injurias fuit detractum. *Ejusdem doctoris Sherard Tab. III. N. 2.*

Caput an Alexandri M., an Palladis, aut forſan ipſius Antiochi I. ſit, hæſito. De Caſtore & Polluce infra recurret mentio. Herculis clava ad Macedoniam pertinet originis cauſa.

Caſtor & Pollux equites.)(Inſcriptio ſimilis: Pallas ſtans d. telum vibrat, ſ. ſcuto protecta cælatura bona vitio æris caret. *Tab. III. N. 3.*

Typus Dioſcurorum equis inſidentium inſolens eſt in moneta regum Syriæ, neque ullus in Vaillantii conmentario hæc ſigna exhibet. In quibusdam tamen Tryphonis numismatibus, in uno Antiochi X. cognomine Pii divorum fratrum pileos ſignatos reperimus, quæ ſapienter admodum ab laudato autore Tripolitanæ fabricæ exiſtimantur, qua in urbe, templo eorum numini ſtructo, ſumma religione colebantur; Neque numo, quem protuli, quemadmodum præcedenti alia quærenda eſt patria. Pallas ſtirpem Macedonicam reſpicit, cujus deæ ſignum etiam in numis Seleuci hujus Antiochi patris videmus.

Seleucid. pag. 296. & 394.

ibid. p. 38.

In eodem muſeo ducis de Devonshire adſunt numi duo alii regum Syriæ, quos ſine imagine cælata indicaſſe ſuffecerit.

Horum unus parte antica caput Apollinis laureatum oſten-

Digitized by Google

oſtentat, poſtica ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ inſcripta tripodem inter arcum & clavam repræſentat. Alter non differt ab eo, quem *Vaillantius pag. 64.* nobiſcum communicavit, præterquam quod infra pedes equi adſit ſcutum rotundum anchora inſigne, quod extrema ſui parte ſummum ventrem perſtringit. Ceterum nec aſtrum nec monogramma, quale in numo *Vaillantii*, conparet.

Caput Seleuci IV. regis Syriæ diadematum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Regis Seleuci Philopatoris* Lyra, cum epocha ϚΛΡ. *anno 136.* Numus optimæ conſervationis, & excellentis fabricæ. *Tab.* III. *N. 4.*

Scripſeram de hac moneta unica tomo primo *pag. 49.* ejus ſcilicet mihi indicium factum a D. Joan. Maſſon, cum tandem Vir idem optimus eandem in ditiſſimo muſeo *Comitis Pembrock*, quo conmigraverat, invenerit, mihi fortunam obtulit numum ſingularem, ut promiſeram cum orbe antiquario conmunicandi.

De lyra ad cultum Apollinis referenda egeram alias; epocha ϚΛΡ nempe anno 136, cum incidat in penultimum vitæ annum hujus regis, ut evincit eum nullius alterius quam Seleuci IV. eſſe poſſe, ita inſcriptio ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. conprobat, titulum hunc a quibusdam ſcriptoribus ei tributum, etiam in publico ære ſignatum fuiſſe. Videatur de hoc *Vaillantius pag. 159,* qui hujus regis unum ſolum numum profert.

Digitized by Google

D. Devonsh. Vide Cicer. L. XV. epiſt. 4. ad Catonem.

Caput juvenile diadematum)(Diana gradiens, cum epigraphe: ΕΛΕ - - - - - ΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜ. - - - quod lego: *Eleuthero Cilicum ad Pyramum. Tab. III. N. 5.*

Dubitari nequit, caput hoc ætatis flore conſpicuum alicui Syriæ regum eſſe adtribuendum, quos inter vultus lineamenta Seleuco VI. potiſſimum congruunt, qui iis in regionibus, quas averſæ inſcriptio indicat, erat occiſus; nollem tamen hancce conjecturam, etſi ejusdem mecum opinionis ſit laudatus D. Maſſon, pro ſenatus conſulto numario haberi. Quod poſticam partem adtinet, ut Dianæ typus in ære regum Syriæ eſt rarior, ita inſolens omnino eſt inſcriptio, quæ in extremo circulo numiſmati, incuria tamen monetarii exerrante typario, manca circumfunditur. Conferatur cum hoc numo productus ab Harduino * Mopſveſtiæ percuſſus, ſummaque adtentione erudititiſſimi Viri legatur obſervatio adcommodatiſſimo ad hoc argumentum, marmore, ex Grutero depromto inluſtrata. Veſtigiis his indicatis, viris hac in arte peritis magis ad unguem exactas diſquiſitiones relinquo.

*Pop. & Vrb. pag. 329. edit. in 4to

D. Devonsh.

Caput radiatum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Fulmen in corona. Numus ſine vitio. *Tab. III. N. 6.*

Metallum, artificis manus, minutiæ aliæ, quæ numi alicujus patriam detegant, mihi, aliisque in hoc literarum genere verſatis perſuadent, eum Syriacæ potius, quam Macedonicæ eſſe officinæ. (5) Quare cum *Vaillantius* teſte-

Seleucid. pag. 390.

(5) Anonymus Pariſinus *Recueil* &c. pag. 107. in hac luce rei

ſtetur, nullum ſe vidiſſe Philippi Epiphanis Philadelphi Syriæ regis, niſi argenteos tetradrachmos capite diademato antica, poſtica Jovis ſedentis typo inſignes, unicus hic ejusdem regis, qui hactenus detectus fuit, æneus habendus erit. Vaillantii numus Antiochiæ percuſſus erat, noſter ut fulmen alatum indicat, Seleuciæ Pieriæ; Ex quo conſequitur Philippum, qui parti ſolum Syriæ, altera ab Antiocho Euſebe retenta, dominabatur, eam obtinuiſſe, quæ Seleucis nominata, conprehenſis ambabus his urbibus ad Ciliciam ſe porrigebat.

Caput diadematum barbatulum Antiochi XIII. atque regum Syriæ ultimi)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Regis Antiochi Dionyſi, Philopatoris, Callinici.* Jupiter ſtans d. Victoriolam ſ. haſtam tenens, typo ab aliis iſtiusmodi ſignis diverſo. *Tab. III. N. 7.* (6)

Summi pretii hanc monetam arbitror; primum ob ipſum regis caput, quod præ aliorum effigie, eſt rariſſimum:

rei numariæ cum antiquariis aliis numos hujus cælaturæ Philippo patri Perſei ex gravioribus rationum momentis adtribuit.

(6) Anonymus, qui poſt Frœlichium ſcripſerat L. cit. pag. 113. & 118. numos, qui tribus cognominibus quartum ΔΙΟΝΥΣΟΥ adjectum habent, Antiocho XII. adtribuit, nixus cum Joſephi autoritate, quam quidem Annalium Syriacorum ſcriptor elevavit, tum potiſſimum barbæ, cum qua etiam Antiochus XI. & Demetrius III. ejus fratres in monetis conparent, abeſt tamen hæc fere a vultibus, quibus tria poſteriora ſolum cognomina ſunt adſcripta, id quod tribus ſui muſei numis etiam confirmat.

mum: deinde quia mentum aliqua barba eſt adſperſum, quæ in aliis non videtur: denique ob Jovis figuram aliam, atque Dionyſi cognomen, quod nec hiſtorici, nec numi huic regi adtribuerunt. Adcedit, omnia hæc numiſmatica bellaria numo laboris præſtantiſſimi contineri, qualem in nullo ejusdem alio videram; Quæ omnia numo alioquin unico majorem ſplendorem, & æſtimationem conciliant.

REGES ÆGYPTI

Caput Ptolemæi I. diadematum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. Regis Ptolemæi, caput Berenices ultimæ uxoris, infra quod: ME. Scalpri perfectionem bona conſervatio comitatur. *Eſt ex muſeo D. Wren. Tab. III. N. 8.*

Similis quidem numus jam in celeberrima Ptolemæorum Ægypti regum hiſtoria ab eruditiſſimo *Vaillantio* vulgatus erat, in præſentis tamen averſa parte aliqua videntur, quæ in illo abſunt, ſcilicet palmæ ramus poſt caput, atque ſubjectum monogramma ME., quod Memphi urbe cuſum demonſtrat: conabar præterea ectypon meum ipſis vultibus reddere ſimilius. Ulterior explicatio ex laudato autore *pag. 26.* petatur.

Caput ſimile)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΕΩΣ. caput muliebre ſimile, infra cujus mentum cornu copiæ. Eſt integerrimus. *Equitis Roberti Abdy. Tab. III. N. 9.*

Præter diverſam ſcalptoris manum differt orthographia in nomine ΠΤΟΛΕΜΑΕΩΣ ab omni alio hujus ge-

generis numo, pro cujus certitudine meam fidem interpono.

Agnus (mallem arietem))(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Regis Ptolemæi.* Aquila fulmini inſidens, præ qua aſtrum. Elegans & boni cæli. *D. Kemp. Tab. III. N. 10.*

Numum hunc ad *Hypſelin* Ægypti urbem referendum fere certum mihi facit alter hujus oppidi productus a *Vaillantio* pag. 217., in quo agnellus etiam eſt ſignatus: laudatum autorem ſuper hoc conſule. Cujus Ptolemæi ætate hæc moneta flata ſit, divinare non auſim. *Hiſt. Ptol.*

TABULA IV.

Capita jugata & laureata)(Epigraphe eadem, caput diadematum, ut conjicio Ptolemæi I. Fabricæ eſt rudioris. *Tab. IV. N. 1.* *D. Devonsh.*

Nullum hujuſmodi numum Vaillantius adnotavit; ſi quid video, ejuſdem eum rationis eſſe arbitror cum aureo illo ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ inſcripto, quem in hiſtoria Ptolemæorum *pag. 40.* profert, ſimiles vero etiam in muſeis Ducis *de Devonshire* & Comitis Pembrok adſervantur. Exiſtimo ergo altera numi facie, ut dixeram, Ptolemæum I. repræſentari, altera exhiberi prolium capita ſcilicet Ptolemæi Philadelphi & Arſinoes ſororis & ſubinde uxoris, monetamque vivo patre percuſſam eſſe. *ibid.*

Caput diadematum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. L. N. ΠΑ. *Regis Ptolemæi anno 50. Paphiorum.* Aquila Ægyptiaca. Argenteus 216. granorum Anglicorum, ſcalptoris mediocris, cetera nitidiſſimus. *Comitis de Winchilſea. Tab. IV. N. 2.*

Ptolemæi Philadelphi ſecundi regis Ægypti vultus hic effictus proſtat, qui duobus annis patris in regno collega, eidem 38 annos poſt ejus mortem præfuit. Nullus cum hac anni nota hiſtoriam Lagidarum Vaillantii illuſtrat; Paphi urbe Cypri inſulæ ſignatus fuerit, dum ibidem anno æræ Lagidarum L. regni ſui XIIII. VC. 482. Romanos legatos * idem Ptolemæus exciperet. Vide hiſtoriam hujus regis in libro *Vaillantii* indicato, aliasque ejus obſervationes, quas ad numos pag. 38, 39. & 40. propoſitos ſubjungit.

* *Primum Romani cum exteris principibus fœdera inive-rant. D. Devonsh.*

Caput Jovis diadematum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. Aquila Ægyptiaca cum ſceptro tranſverſo, in area flos loti, intra pedes: ΕΥΛ. Conſervatio optima artificium bonum commendat. *Tab. IV. N. 3.*

Huic ſimilem poſſidet *eques Abdy*, abſente tamen ſceptro, qui integerrimus etiam, magnitudinem orbiculi C adæquat. Quæ ſententia literis ΕΥΛ infra pedes aquilæ in utroque hoc numo exaratis ſubſit, neſcio; neque enim anni cujusdam ſiglæ eſſe poſſunt, neque urbs aliqua nomen ſuum ab his elementis orditur. Atque hæ ſolæ numo aliquod addunt pretium, cum, quod ſciam, typus hicce ita omnibus Ptolemæis ſit communis, ut non facile ſingulari regi numi hujus generis adſignari poſſint.

In

Digitized by Google

In ejuſdem equitis Abdy muſeo adſervatur alter magnitudinis D. ½, in cujus antica caput Jovis laureatum: in poſtica aquila Ægyptiaca fulmini inſiſtens, conprehenſo intra pedes Λ. ad frontem in area clypeo inminet monogramma ME, diſpoſita in orbem inſcriptione ſolita: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.

Operæ pretium videbatur ſubjicere hic ejuſdem generis numos majoris formæ, & ponderis ex theſauro ejuſdem *Equitis Abdy.*

I. Caput Jovis diademate cinctum)(Aquila Ægyptiaca, cum ſcuto in area, qua roſtrum vertitur, infra pedes litera E, epigraphe cum anterioribus eadem. Numus integerrimus, diametri F ½ adpendit 708. grana.

II. Caput ſimile)(Epigraphe eadem: Aquila, ad ejus unum latus cornu copiæ, ad alterum ſimili ſigno nota incuſa, intra pedes literæ ΑΙ. conprehenduntur. Æquat orbiculum G., 1004. granorum pondere.

III. Caput ſimile cum quibuſdam notis incuſis, quas deſcribere difficile)(Aquila &c. quæ præ ſe habet clavam, inſcriptione eadem circumducta: magnitudinis ejuſdem, pondere 75. granis excedit.

IV.

Digitized by Google

IV. Caput Jovis laureatum)(Aquilæ duæ (7) ſupra fulmen, quarum altera Θ, altera ΜΕ intra pedes continet, epigraphe ab anterioribus non diverſa; magnitudine circulo G $\frac{1}{4}$ congruit, pondus eſt granorum 1152. Multos hujus generis numos vidi pondere varios, quia tamen obvii ſunt & protriti ad vitandum lectoris tædium omni obſervatiuncula abſtinui.

Caput Cleopatræ alicujus diadematum)(ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. Aquila, quæ præ ſe habet cornu copiæ, a tergo monogramma. Manus peritiſſimæ opus ſine omni metalli vitio. Ornat muſeum D. *Wren. Tab. IV. N. 4.*

Pulcerrimum hoc Cleopatræ Ægypti reginæ caput cum nullius depictarum ab laudato jam Vaillantio vultu conſentit, quare conjectura etiam abſtineo, lector effigie adeuratiſſime cælata interim fruatur.

Ca-

---

(7) Numi cum duabus aquilis hactenus fere Ptolemæo Evergeti ob Syriæ ſcilicet & Ægypti regnum adſcribebantur, verum probabiliore argumento ad Ptolemæum Lathyrum, aut IX. ejus fratrem ſunt removendi, cum ſimillimus typus obcurrat in numis Cleopatræ matris, quæ per vices cum filiis atque ſupremo quidem imperio regnabat, ut colligitur ex numo æneo cujus anticæ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ inſcriptum. filii nomine ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ in poſticam duas aquilas exhibente rejecto. Vide *Recueil de Medailles de Rois cit. pag. 45 & 46.*

Digitized by Google

Caput galeatum)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ Aquila cum cornu copiæ. *Tab. IV. N. 5.* Etiam hic divinatione ſuperſedendum, cum nullus hujusmodi numus adhuc productus, in quo præterea nihil indicii adeſt, ex quo ad hunc potius, quam alium ex Ptolemæis referatur, cornu copiæ enim nihil niſi regionis fertilitatem deſignat. Ex quo ipſo liquet, nunquam ſatis excellentis antiquarii conatum laudari poſſe, quo hiſtoriam horum regum conſcribere eſt adgreſſus, laboris quippe difficillimi, & multo magis ardui, quam qui regibus Syriæ eſt inpenſus, quippe quorum numi titulis, epochis, aliisque ſignis magnam hiſtoriæ lucem accendunt.

Tria talia galeata Ptolemæi capita inter ſe ſimilia, typarii tamen diverſi videram, quorum unus eſt Comitis *de Winchilſea*, alter *equitis Abdy*, tertius *D. Sadler.*

REGES PERGAMI.

Caput galeatum)(- - - - ΛΕΤΑΙΡ. *Philetæri.* Serpens. Artificium bonum non ſine temporis vitiis. *Ducis de Devonshire & D. Wren. Tab. IV. N. 6.*

Caput Apollinis laureatum)(ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. *Philetæri.* Tripus. Fabrica & conſervatio bona. *Comitis de Winchilſea. Tab. IV. N. 7.*

Philetærus Teji natus, ob teſticulos caſu aliquo in infantia eliſos inprolis, conſtitutus fuerat ab Lyſimacho

Digitized by Google

Vide Strabonem L. XIII. pag. 623. & Pauſan. L. I. cap. 8. ſtructi in rupe Pergameni caſtelli præfectus, atque theſauri cuſtos, utrumque tamen cum obcupaſſet juvante Seleuco, regio jure per annos 20 retinuit. Erant illi fratres duo Eumenes & Attalus. Hic ipſe Philetærus regni Pergameni ſeu Attalici fundamenta jecit ſub annum V. C. 468, ejus mortem ad annum V. C. 486. refero.

Vide Juſtin Pro fratre Philetæri natu majore Eumene Eumenes hujus filius patruo ſubceſſit, annis 22. in regno exactis obiit V. C. anno 507.

Attalus Attali fratris Philetæri junioris filius conſecutus, primus regis titulum adſumſit, regno cum præfuiſſet annis 43, ætate gravis ſub annum V. C. 549. mortuus; ex Apollonide Cyzicena filios reliquit quatuor Eumenem, Attalum, Philetærum, & Athenæum.

Vide de hoc locum pulcrum in Plutarcho initio Libri de amore fraterno. Eumenes II. regnum annis 49. poſſeſſum V. C. anno 597. ut opinor, e vita decedens Attalo II. cum tutela filii reliquit; ab hoc Pruſiæ occiſo in Bithyniæ regno ſubſtitutus eſt Nicomedes interemti filius; Mors ejus in annum V. C. 617. conferri poteſt.

Poſtremus rex fuit Attalus Philometor, qui quinto regni anno moriens populum Romanum hæredem ſcripſit anno V. C. 621.

Ad numos jam adgrediamur: Primus caput galeatum Philetæri ſpadonis mea quidem opinione repræſentare poſſet, ſi tamen non potius ſit Palladis, quo ſigno tanquam unus de Alexandri M. ſubceſſoribus Macedonicam origi-

nem

Digitized by Google

nem jactare volebat. (8) Serpens partis averſæ adhibitum a Pergamenis Æſculapio inde ab remotiſſimis temporibus cultum denotat, docente Tacito: *Conſules apud Pergamum Æſculapii compertum aſylum, retulerunt.* *Annal. lib. III. c. 63.*

Alter numus, nec Apollinis numen ab iis populis & Philetæro neglectum commonſtrat. Excell. D. dux de Devonshire alium Philetæri poſſidet, in quo cum eadem inſcriptione pro tripode arcus tranſverſus, non minus ad Apollinem referendus conſpicitur.

REGES PARTHIÆ

Caput Arſacis regis Parthiæ diadematum cum duobus aſtris & luna bicorni in area, de quibus inferius.)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Regis Regum, Arſacis Benefici, Juſti, Inluſtris, Græcorum amantis.* Rex idem ſedens d. arcum tenet, poſt ſellam aliquid inſtrumenti, quod ob barbaram fabricam diſcerni nequit. Si literas aliquantum detritas excipiam conſervationis eſt opti-

(8) Poſterior conjectura multo eſt probabilior, quia in numis tetradrachmis, quorum ſex ſuo ex muſeo Anonymus Pariſinus *Recueil &c. Tab. XVII.* nobis depictas ſiſtit, idem ſemper Palladis ſedentis ſignum conparet. Qua occaſione illud lectorem monendum duxi, in indicatis numis etſi vultus lineamenta multum diſcrepent, ut ad unum certo referri non poſſint, inſcriptum tamen aliud nihil quam ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. ut adeo idem apud Pergamenos mos fuerit, qui apud Lagidas & Arſacidas, retinendi fundatoris nomen nova antiquariorum moleſtia, qui ex ſolius oris habitu reges definire cogentur.

optimæ, probique argenti granorum 61. Ex muſeo *D. Richardi Edgecumbe*. *Tab. IV. N. 8.*

Explicationem hujus tribus aliis *ducis de Devonshire* ante deſcriptis ſubjiciam.

D. Devonsh. Caput ſimile, pro altero aſtro adeſt aquila roſtro coronam ferens)(Epigraphe & typus ſimilis. Opus ſcalptoris aliquantum melioris, & magis integer literis formæ non nihil diverſæ, adpendit grana 55. *Tab. 4. N. 9.*

D. Devonsh. Caput diadematum ſuperiori diſſimile)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Regis Magni Arſacis, Theopatoris, Evergetis.* Typus ſimilis, cælaturæ mediocris pondere granorum Anglicorum 53. *Tab. IV. N. 10.*

TABULA V.

D. Devonsh. Caput diadematum barba promiſſa)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Regis Magni Arſacis Epiphanis.* Integerrimus, & ſciti artificis manu ſcalptus, 62 grana æquat. *Tab. V. N. 1.*

Quo ſinguli Parthiæ reges vixerint tempore, incertum eſt omnino, in numis enim, cum omnium commune nomen ſit Arſaces, non ſatis diſtinguuntur. (9) Quare ſoli probabilis

(9) Bona rei numariæ fortuna duorum regum cognomina in eorum

bilis alicujus de his formandæ conjecturæ fontes ſunt; titulorum diſtinctio, vultuum ductus diverſi, atque fabricæ ratio: hisce obſervationibus adjuto mihi, producta numismata ad tres diſtinctos Arſaces referenda videntur, arbitror ſcilicet primum, & ſecundum reliquos antiquitate præſtare, tertium ætate poſterius alterius eſſe Arſacis, quartum vero alicujus eorum regum, qui teſtimonio elegantis cælaturæ tempora vixerunt liberalibus artibus magis exculta, atque adeo nobis præ aliis magis vicina. (10)

Ad ſingularia deſcendamus: Reliquit nobis Juſtinus ad omnes apices exactam decem regum ſeriem, inde ab Arſace primo, regni Parthiæ fundatore ad Phraatem, qui Auguſti ætatem adtingit; hinc reliquorum regum ordinem ex numiſmatibus, id quod hactenus a nemine tentatum eſt, diſponi poſſe exiſtimo. Quare partibus meis hoc ſuper argumento minime deero, ubi tam præclaram de hac hiſtoria bene merendi occaſionem cum varia Angliæ muſea, tum libri ſubpeditant. *Juſtin. L. XLI & XLII.*

rum monetis hactenus detecta ſunt ſcilicet Arſacis XI, qui in numo Pariſiis adſervato SINATROCKES, & Arſacis XX qui GOTARZES inſcribitur in numo a Cl. Viro Barthelemy numophylacio Regis Galliæ præfecto proxime ſuperioribus annis in ſuo per Italiam itinere coemto.

(10) Cum Parthi ſub Antiocho II Syriæ rege defecerint, artium vero perfectio, ut nos docent numi Syriaci, poſt mortem Alexandri M. aliquanto tempore viguerit, numi elegantioris fabricæ prioribus regibus probabilius ſunt adſcribendi, quare numiſma quarto loco poſitum reliqua antiquitate præcedit.

Comment. Hiſt. T. II p. 83. De præſt. num. p. 426 edit. in 4. Specim. Tab. 23. Theſ. Brit. p. 157 in Not. D. Maſſon.

Mea igitur opinione numi a Triſtano, Spanhemio, & Morellio prolati Arſaci I ſunt adſcribendi, utpote & oris habitu, & titulis fere ſimiles, (11) qui, ut tomo I. dixeram, regno ſub annum V. C. 498 fundato, quia juxta communem autorum ſententiam admodum ſenex mortuus, 20 circiter annos præfuerit.

Spanhemii alter numus loco indicato ſcalptus, cujus ſimiles in muſeis Angliæ non vidi ſolum, ſed adcuratius inſpexi, conſiderato artificio, & vultu diverſo ab Arſace ſecundo primi filio ſignatus fuerit, cujus regni initio ad annum V. C. 518 adfixo finis in trigeſimum circiter inde annum incidet, cum Juſtinus adſerat, ab eo bellum cum Antiocho Seleuci filio geſtum, id quod juxta *Vaillantium* cum anno V. C. 542 congruit.

Hiſt. Reg. Syr. p. 99.

Pri-

(11) Ipſi hi tituli præter rudioris ſcalptoris manum hos ad Arſacem XV detrudunt, exiſtimo enim cum hodiernis antiquariis primos Parthiæ, ut Syriæ, reges in titulis modeſtiores fuiſſe, qui creſcente arrogantia & adulatione tempore augebantur; & ſane detecti fuere hactenus ejusmodi: ita Arſaci I ab autore anonymo *Recueil* &c. tribuitur numus ſolum ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΣΑΚΟΥ inſcriptus, alter a Frœlichio ex theſauro FRANCISCI IMP. AUG. productus *Notitia Elem. numiſ. p.* 176 *Tab. XIV* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ præferens ob unicum ΜΕΓΑΛΟΥ titulum non primo, ſed ſecundo, fratri nempe Tiridati, cui idem cognomen Oroſius tribuit, ob ſimplicitatem adſignatur. Ut nihil dicam in hujus generis numismatibus detectas eſſe epochas, quæ Haymii, atque etiam Vaillantii conjecturam penitus evertunt. Ex quo conſequitur tutius interim eſſe hodiernum ſyſtema, quo numi ſpectata eleгantia

Digitized by Google

Primus noſtrorum numorum, ei fere geminus, quem Patinus male depinxit, tertium Arſacem Priapatium dictum referre mihi videtur, cui cum Juſtinus 15 regni annos adſcribat, neceſſe eſt, ut ejus mors anno V. C. 563 reſpondeat. Alterum noſtrum numisma ob oris ſimilem habitum ejusdem regis eſt, tardius tamen percuſſum, cum barba in tres ordines compoſita longior ſit aliquantum. *Theſ. in 4to pag. 32.*

III numi caput Phraatis I filii Arſacis III eſſe conjicio, poſt 21 annos in throno actos ſub annum V. C. 584 vita defuncti. Velim titulos ab aliis diverſos præter faciei lineamenta alia conſiderari; Ne quis tamen hos inter Phraatis nomen abeſſe miretur, cum Juſtini teſtimonio idem Arſacis nomen omnibus Parthiæ regibus fuiſſe liquido confirmetur. *Vide etiam Dion. L. XL Strab. L. XV. pag. 702.*

Hinc velut conſequitur, IV in numo ſignatum Mithradatem primum præcedentis fratrem, & vero a diligente obſervatore aliqua cum fratre ſimilitudinis veſtigia deprehendentur, quin tamen pro eodem haberi poſſit, quod ipſi præterea diverſi tituli conficiunt. Quia Juſtinus eum ætate gravem & gloria plenum ſupremum diem obiviſſe ſcribit, cenſeo, eum 34 annos regnaſſe, atque octogenarium circiter ut primum Arſacem, eſſe mortuum ſub annum V. C. 618. Ab eodem hoc Mithridate Demetrius II rex Syriæ captus eſt. *Vide T. I pag. 70 & 88.*

Caput

---

gantia vel ruditate etiam literarum, tum titulorum paucitate vel multitudine inter notos tres Arſaces, ſcilicet II, XI & XX velut totidem terminos diſponuntur.

Digitized by Google

Caput thiara redimitum barba promiſſa)(typus idem cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Regis Regum Magni, Arſacis, Inluſtris.* Omitto pondus, quia numiſma foramine pertuſum eſt. *Tab. V. N. 2.* *D. Devonsh.*

Et oris habitus priori non nihil diſſimilis, & thiara cum titulo regis non nudo eo quidem, ſed adjecto ΒΑΣΙΛΕΩΝ, quo carent numi duo ultimi, mihi perſuadent, a Phraate II filio Mithradatis I hunc numum feriri juſſum, cum enim ei cum Antiocho rege Syriæ Demetrii fratre, quem in captivitate parens mortuus reliquerat, bellum eſſet, more primorum regum Parthiæ, qui cum Syriæ regibus armis conliſi erant, titulum regis regum adſumſiſſe arbitror. Ab ejusdem Phraatis benignitate non ſolum ejus ſororem Rhodogunam conjugem, ſed reſtitutionem etiam in regnum ſub annum V. C. 623 ſecundum *Vaillantium* obtinuit Demetrius. Parthis imperaverit annis 40, in expeditione Scythica occiſus circa annum V. C. 658. *Hiſt. reg. Syr. p. 303.*

Septimus Parthiæ rex erat Artabanus patruus deceſſoris, thronum tamen modico tempore poſſedit, ex vulnere brachii in pugna contra Tocharos accepto extinctus, anno V. C. 659, neque enim eum ultra annum regnaſſe, neque numos illius effigie ſignatos reperiri arbitror.

D. Lovr. Caput thiara ornatum)(Parthus ſedens ut in aliis: Inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. *Regis Magni Arſacis, Philopatoris Inluſtris, Græcorum Amici, Imperatoris.* Numus integer pondere ab aliis parum differt. *Tab. V. N. 3.*

Nu-

Digitized by Google

Numiſma, quod exhibeo, citra omne dubium Mithradatis II eſt, filii Artabani, atque VIII regis Parthorum; ea confidentia id adſero, quia hic Juſtino teſte præclaris facinoribus nomine Magni ſibi conparato, gloriæ avidiſſimus virtute majores ſuos omnes prætergreſſus, bellis ſumma fortitudine cum finitimis gentibus geſtis Parthici imperii limites ſuis victoriis protulit. Injurias parenti a Scythis inlatas ultus, eo merito cognomen Philopatoris, ſeu patrem âmantis tulit, quo & Magni & Imperatoris (inſolentem apud Parthos) titulos ob bellicæ virtutis inſignem laudem ſibi adjecit. Ultima expeditione contra Artavasdem Armeniæ regem movit. Adtamen iisdem præclare geſtis excæcatus tantam in arrogantiam & crudelitatem fuerat prolapſus, ut tandem regni gerendi incapax habitus a ſubjectis populis, fratre ſubſtituto, throno dejectus fuerit, quem annos forſan 30 tenuerat; Ejus mortem ad annum V. C. 689 defigere licebit.

L. XLII. cap. 2.

Obſervatione dignum, Tryphonem Syriæ regem primum fuiſſe, qui 40 circiter annos ante ſupremi Imperatoris titulum ſibi adſcripſerat.

Orodes frater vix regni habenas ceperat, cum admota Babyloni, quam in urbem Mithradates dejectus ſe receperat, obſidione, eandem fratre ſe dedente, ſubinde tamen occiſo, expugnavit. Hic ipſe bello cum Romanis geſto Craſſum cum filio Publio ea in expeditione an. V. C. 701 interemtos vicit, victus tamen deinde a Ventidio. Ex 40, quos genuerat, filiis peſſimum ſubceſſorem deſignavit, mortuus juxta Dionem *L. XLIX.* V. C. anno 719.

Pro earum confirmatione, quæ ad numum III dixeram, notandum, a Plutarcho in Vita Craſſi regem hunc Arſacem nominari.

Phraates III rex ab Arſace I decimus patre & 29 fratribus occiſis regnum invaſit, Antonium, qui eum cum Romanis adgreſſus erat, non ſine magna clade repulit. Verum ipſa hæc victoria cum ferocem eum reddidiſſet, ob crudelitatem regno excidit, Teridate ſubfecto, quod tamen

Vide Dionem.

deinde recuperavit. Idem ad conciliandum ſibi Auguſtum ereptas legionarias aquilas cum militibus bello Craſſi & Antonii captis Romam remiſit, teſte Juſtino; Plutarchus in Craſſo & M. Antonio, Dio Caſſius *L. XL.* & deinceps, Appianus Alexandrinus pluribus de poſtremis his duobus regibus ſcripſere.

V.C. 733.

Obſervationes breves in numos præmiſſos.

Tam in primo, quam ſecundo numiſmate verruca fronti utriusque vultus inſidens conſpicitur. Aſtra duo ſeu ſoles & luna regum horum dominium ab oriente in occidentem porrectum indicant. (12) Aquila, quæ in numorum altero caput regis coronat, cum ſit Jovi ſacra avis, mihi perſuadet, divinos huic honores per apotheoſin eſſe delatos, unde ſubinde titulus ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ, qui in ejus numo conparet, derivabatur. (13) Neque illud negligendum, figuram ſedentem in partibus averſis repræſentatam eo fere modo veſte transverſis virgis ornata indutam, quo alter ille Parthus genu flexo in numis Auguſti cum epigraphe: *Signis Receptis:* qui melius etiam in imagine primi numi familiæ Durmiæ, & tertii Petroniæ apud *Vaillantium*, atque omnium optime tribus

(12) Ad cultum potius horum ſiderum iſthæc ſigna referenda, vel ad eam arrogantiam, qua teſte Amiano Marcellino *L. XXIII. c. 6:* ſe ſolis & lunæ fratres dici volebant reges.

(13) Plures cum inminente capiti aquila numos ex gaza FRANÇISCI IMP. AUG. tractavi manibus, qui tamen ob fabricæ ruditatem ad Arſacem XVIII. potius tribuendi; aut reſtitutas a patre aquilas legionarias, aut Romanorum favores, quos Vono obſes expertus erat, ut jam Vaillantius exiſtimavit, cælata aquila deſignat.

bus in numis *pag. 36 & 37* in Patini theſauro *editionis in quarto* depictus eſt.

Videmus præterea figuram, de qua loquimur, in tenſione arcus obcupatam; in vulgus notum ex conpluribus autoribus, hoc armorum genus apud Parthos fuiſſe præcipuum. Denique non ad titulorum ſolum diſcrimen, ſed ad characterum etiam in horum numorum quovis diverſitatem, unde temporum intervalla, quibus cuſi ſunt, arguuntur, eſt adtendendum; fidem meam benevolo lectori obligo, nulli me diligentiæ in numis hisce quam adcuratiſſime cælandis pepercisse, qui tamen, quamvis rariſſimi, & majori propterea cum ſtudio tractandi, ab aliis quodam modo fere neglecti fuerunt.

Numus VII, quem ex Parthicis profero, depictus *Tab. 5. N. 4.* metalli alicujus inter ferrum, argentum & cuprum medii eſt, interiori tamen in lamina, quam antiquarii vulgo animam nominamus, ferrum prædominatur, bractea bene denſa veſtitum, in qua argentum ceteris prævalet, quare inferior pars, quæ una ex parte prominet, ferrugine eſt adfecta, exteriorem vero vernix nigra ærugini permiſta conveſtit. *D. Devonsh.*

Literæ ſunt Parthicæ: in averſa conſpicitur ara gemmis undique, ſed labore barbaro, exornata. Quid de hoc numismate dicam, linguæ, qua concepta eſt inſcriptio, ignarus neſcio; Ediderat ſimile *Claudius Bouteroue*, verum cum ejus liber jam inter rariſſimos ſit, illud meliore modo expreſ- *Recherches cu-*

 ſis

rieuſes des monoyes de France, pag. 36 Paris. 1666. D. Devonsh.

ſis characteribus reſtituendo gratiam me ab eruditis conlecturum puto. (14)

Caput Vologeſis III Parthiæ regis)(ΒΑϹΙΛΕ - - - ΑΓΑϹΟΥ - - - ΕΠΙΦΑΝΟΥϹ - - - ΙΛΕΛΛΗΝΟϹ *Regis Vologaſis, Inluſtris, Græcorum amici* ΑΞΥ. *anno* 461. Ejusdem cum præcedente eſt metalli, & formæ. *Tab. V. N. 5.*

Theſ. in 4to pag. 209.

Geminum fere numum exhibuit Patinus, ſi epocham aliam excipis, & figuræ in averſa parte ſtantis ſexum, quæ enim ibi feminam refert, vir hic eſt diademate regio, quali rex ſedens, cui adſiſtit, revinctus, id quod in eam cogitationem me adducit, regem Armenum, aut fœderatum alium deſignari. Epocha 461 juxta calculum laudati D. Maſſon cum anno V. C. 959, Caracallæ X, quo Vologeſes III regnaverat, congruit; cui Artabanus filius ita ſubceſſit, ut ab Arta-

Vide noſtrum T. I. pag. 156.

(14) Saſſanidarum pyrolatrarum numus eſt, cujusmodi ſingularem collectionem 21 in laudato Cæſareo theſauro adſervatorum cum voluptate vidi, quorum 14 ſolum meminit Inll. C. Ant. Kevenhüller *Reg. Veter. numiſmata anecdota &c.* pag. 66 & Tab. II. quatuor cælatos repræſentari fecit; In horum ſingulorum averſa magi utrinque ad aram luculentam adſiſtunt, qui arte collabaſcente admodum deformes vix hominum ſpeciem præferunt. Characteribus barbaris, qui ad currentem, ut dicimus, ſcripturam potius, quam ad eos, quos in ruinis Perſepolis deteximus, adcedunt, veterem Perſarum linguam ſubeſſe ſuſpicamur, quos tandem bona fortuna forſan legemus, ubi miſſus hanc ob rem ab rege Galliarum eruditus, a ſacerdotibus Pyrolatris, (Guebres) qui cum antiqua religione linguam retinent, alphabethum, & ſubjectas notiones ad nos retulerit.

Digitized by Google

Artaxerxe Perſiæ rege victus perdurans hactenus in Parthia Arſacidarum imperium ſua ruina contumulaverit. Titulus ΦΙΛΕΛΛΗΝΟϹ in numo hoc antiquitatis certæ eruditorum ingenia exercebit.

Non ſatis mirari poſſum ab Herodiano adcuratiſſimo, & ſynchrono hiſtorico quidem nomina duorum horum regum fuiſſe confuſâ, quippe qui tam de rebus geſtis Severi, quam Caracallæ ſcribens nulla omnino Vologeſis mentione facta, regem utriusque ætate viventem non niſi Artabanum conpellat, dum tamen Dio ejusdem temporis ſcriptor in epitome eos quam optime diſtinguit; Quare cum ob momentum tam gravis autoris, tum quam maxime ob numi autoritatem locus Herodiani indicatus eſt emendandus.

Numus *Tab. V. N. 6.* cælatus a duobus capitibus quæ exhibet, & diverſo quidem ornatu, pretium habet. Sententiam ignotis mihi literis ſubjectam non adſequor, Parthiæ aut Perſiæ regis monetam eſſe conjicio: operi barbaro metallum multo ære mixtum reſpondet. *D. Devonsh.*

DE REGIBUS CAPPADOCIÆ.

Vultus quinque Cappadociæ regum ad hanc diem in numis deteximus, non ſolum oris habitu, ſed titulis etiam diverſos. Non parum negotii nobis hic faceſſunt hiſtorici, quia, dum novem regni Cappadocici principes ſolo Ariarathis nomine indicant, dubium relinquunt, cui horum eruta

numiſmata adſcribenda ſint. Soli eruditiſſimo Begero, quod ſciam, ea laus debetur, primum illum fuiſſe, qui non bonis modo, ſed perſpicuis nixus argumentis ſingulis regibus ſuas monetas reſtituit. Hoc duce fretus conmentariolo brevem hiſtoriam conplectente eos inluſtrabo, additis, quas reperire potero epochis, effigies ex numis in Anglia adſervatis prototypo quam ſimillimas depingam, numerorum notis, quæ infimum ſegmentum obtinent, minime neglectis, ne labor meus harum literarum ſtudioſis ſit inutilis.

Fragm. II. L. 31 *Juſtin. L. XIII c.* 6 *Diod. L. XVIII. Plutarch. in vita Diod. Sic. Fragm.cit. Sub finem L. XX.*

Diodorus Siculus Cappadociæ reges a Cyro Perſiæ rege deducit. Adtamen certam aliquam notitiam de nullo ante Ariarathem, a Perdicca poſt mortem Alexandri circa an. V. C. 431 multorum ſcriptorum teſtimonio occiſum non habemus. Huic ſubceſſit Eumenes Cardianus ab Antigono an. V. C. 438 captus & necatus. Rex III erat Ariarathes hujus nominis alter, filius primi, qui regni retinendi deſperatione in Armeniam profugus, ope Ardoati regis ejus provinciæ paterno throno eſt reſtitutus, adfinitate ſubinde cum Antiocho I Syriæ rege, Stratonice ejus filia Ariarathi natu majori ſuo filio data in matrimonium, conciliata.

Duorum aliorum Mithradatum Cappadociæ & Paphlagoniæ regum meminit Diodorus Siculus; horum priori regni annis 35, alteri hujus filio 36 adſcriptis. Etſi obſervem in temporum ſerie aliquem deeſſe, quo tamen hos referam, hæreo.

Ibid.

IV regem eundem illum Ariarathem conſtituo, cui pater contractis cum Stratonice nuptiis regnum ceſſit. Reliquit a morte filium admodum puerum, cui Ariarathi nempe

V

V numos cum titulo Euſebis ſeu Pii, mox deſcribendos tribuo. Ubi adoleverat ſub annum V. C. 562 Antiochiden Antiochi M. filiam duxit, quæ, ut erat aſtutiſſima, ſterilem hactenus ſe videns, maſculas duas proles ſubpoſuit, filiorum horum alteri Ariarathis, Holophernis nomine alteri indito: Adtamen præter omnem ſpem ſubinde gravida duas primum filias, dein Mithradatem filium eſt enixa. *Ibid. Beger. Theſ. Brand. T. II. p. 11. Vaill. Hiſt. reg. Syr. p. 117. Diod. Sic. loc. cit.*

Caput diadematum)(Pallas ſtans d. Victoriolam ſ. haſtam cum ſcuto. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. *Regis Ariarathis Euſebis.* Numi hujus regis argentei ſunt, atque ſi, quemadmodum tres *Tab. 5. N. 7. 8. 9.* depicti, ſine vitio reperiuntur, eorum pondus inter 63 & 65 grana variat. (15) *D. Devonsh.*

Quotquot in numis hujus regis videram capita, eandem fere ætatem præferunt; Quare exiſtimo, numos ſignari cœptos, cum e tutorum poteſtate (dixeram enim eum in infantia patrem amiſiſſe) exiviſſet, atque hinc numeratos regni annos, qui ad 33 ſe porrigunt, ut ex ſubjecto catalogo liquet: Adnotaverat P. Harduinus annos: 4, 12, 14, 31 & 33, in muſeis vero Angliæ numos cum anno 5, 13, 32 obſervavi. Lucius Florus diſertis verbis adfirmat Ariarathem hunc an. V. C. 587 Coſſ. C. Sulpicio & Marcello mortuum. *Epit. Livii L. XLVI.*

Inſſ.

(15) Anonymus in *Recueil* &c. Ariarathis I aut II numum tetradrachmum cum Pallade, ut in numiſmatibus Lyſimachi, ſedente protulit, *pag.* 197. *Tab. XX.* qui ob molem & pondus ſingularis eſt præſtantiæ, quia hactenus unicus.

De præſt. num. pag. 442. Editio in 4to.

Inl. Spanhemius numum exhibuit inſcriptum ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. qui vel Ariarathi, de quo loquimur, aut ejus filio dari poterit, cum uterque populi Romani amicitiam coluerit, ut teſtatur Titus Livius *L. XXXVIII* & Polybius in legat. num. 109 & 112. Pallas, quæ in omnium horum regum averſis partibus eſt cælata, originem a Macedonibus inde ab Eumene declarat.

Diod. Fragm. II. L. XXXI.

Juſtin. L. XXXVII.

VI ordine rex Euſebis filius fuit, Mithradates primum, poſt etiam Ariarathes dictus, regnare cœpit circa annum V. C. 587. Vir erat eruditione & obſervantia erga patrem inſignis, cum enim in eum vivus regnum transferre vellet, non hoc recuſavit ſolum modeſtus filius, ſed ejus mortem ſumma moderatione expectavit. Philoſophiam ita coluit, ut ob doctrinam a multis ſapientum frequentaretur, tam ſemper fidus Romanorum ſocius, ut in pugna contra Ariſtonicum interierit an. V. C. 623, hinc factum, ut eum in filiis remuneratura respublica Lycaoniam illis & Ciliciam permiſerit. Tanta decora probabilem mihi conjecturam ſubficiunt, qua numum ſequentem Epiphanis, ſeu Inluſtris titulo conſpicuum eidem adtribuam.

Caput diadematum)(typus idem: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Regis Ariarathis Epiphanis.* Nitide conſervatus grana 62 æquat. *Ex muſeis D. Maſſon & Love. Tab. V. N. 10.*

Etſi annus infima numi parte ſignatus in numiſmate D. Maſſon liquido non diſcernatur, certum tamen Δ annum 4 deſignans conſpicitur in altero. P. Harduinus horum aliquos recen-

Digitized by Google

recenſet cum nota anni 2, 4 & 6. (16). In nullo adhuc libro regis hujus vultum depictum me videre memini. De poſtica parte actum ſuperius.

Ariarathem filium regem VII Cappadoces habuere, qui occiſis a matre Laodice quinque fratribus, vix ſextus ipſe feminæ regnandi avidæ inſidias vitavit, dum tandem digna tantis ſceleribus pœna eam eſt conſecuta. Uxorem habuit Mithradatis Ponti dein regis ſororem, verum graviſſimum, quod inter ambos intercedebat odium eo tandem evaſit, ut juſſu Mithradatis per Gordium ducem e medio tolleretur, idem ſcelus in Ariarathis filios, ut Cappadociam ſolus retineret, executus fuiſſet, niſi Nicomedes rex Bithyniæ ducta interemti vidua mala conſilia obcupaſſet. Id hic notandum Ariarathem noſtrum circiter 11 aut 12 ante Mithradatem Ponti regem, de quo inferius pluribus ſuo poſt reges Bithyniæ loco, regnare exorſum. *Juſtin. L. XXX-VIII.*

Mithradates hic ut alias ex aliis nectebat fraudes, ita odio in ſororem ob contractum cum Nicomede conjugium concepto, Cappadociæ throno legitimum mortui regis filium inpoſuit, adtamen eo ipſo tempore in omnem eum evertendi occaſionem intentus. Hinc factum, ut inſidiis caute vitatis juvenis cum exercitu ei obviam progrederetur, verum ubi in conloquium aliquod conventum eſſet, inſpectante utroque exercitu barbarum in modum a Mithradate eſt occiſus. Ariarathes hic VIII ordine Cappadociæ præfuit, atque hujus vultum in deſcribendo numo expreſſum cenſeo. *Ibidem.*

G Caput

(16) In numo theſauri Auſtriaci Vindobonenſis adſervatur ejuſdem

Caput diadematum)(Typus ſimilis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. Θ. *Regis Ariarathis Philometoris* anno. IX. Conſervatione & pondere ſuperiori æqualis. *D. Love Tab. V. N. 11.*

Sub hoc rege numum eſſe percuſſum duo mihi argumenta perſuadent: juvenilis vultus primum, deinde titulus: *Amantis matrem*, quem adſumſiſſe videtur, ut Mithradati, qui ſororem, quemadmodum dictum, oderat, adverſaretur. Ab Harduino deſcriptum quidem fuit numiſma ſimile cum anno 11, verum a nullo adhuc ejus effigiem in lucem datam obſervavi: Argui hinc poterit, regem hunc, quantum ex numis eruitur, 11. aut 12. circiter annos regnum tenuiſſe.

Ibid. Ariarathes IX. Cappadociæ rex octennis filius a Mithradate patre intruſus eſt, ſub tutela perfidi Gordii, qui Ariarathem VIII. trucidaverat. (17) Iniquis jam oculis machi-

dem Ariarathis numus cum E ſeu anno V., cui in cimelio Auſtriaco per errorem adſcriptum erat I ſeu annus X ob dubiam characteris formam, quæ tamen, ut ipſe inſpexi nuperrime iterum, conlata cum E vocabuli Επιφανης, ad hoc elementum magis, quam ad I adcedit.

(17) Veniam dabit æquus lector, me Haymii ſententiam adjectis pauculis verbis emendaſſe, neque enim Juſtinus dum ait: *Regnum Cappadociæ octo annorum filio, impoſito Ariarathis nomine, additoque ei rectore Gordio tradidit.* Alium, quam Mithradatis filium intelligere poterat; nam cedo, eccur Cappadoces fratrem regis occiſi contra ejusdem filium puerum evocaſ-

machinationes & obpreſſiones Mithradatis contuebantur Cappadoces, quare ut hoc ſe jugo liberarent, fratrem Ariarathis ex Aſia adcerſivere, qui tamen armis cum Mithradate congreſſus, victus Cappadocia excedere eſt coactus; nata inde ægritudo, in morbum ſe exonerans adoleſcentem regem paulo poſt e vivis abſtulit. Induxerat tum metus a Mithradate novi regni adceſſione aucto Nicomedem, ut elegantis ſpeciei juvenem ſubornaret, qui tanquam tertius Ariarathis filius jus in regnum ſibi Romæ vindicaret, verum uterque ſpe ſua deluſus eſt, ſenatus enim fraudes Nicomedis ſubodoratus, liberam eſſe juſſit Cappadociam, cum tamen præ libertate, quam æſtimare ignorabant, regem ſibi dari peterent, electus eſt Ariobarzanes, qui poſtea inſtigante Mithradate a Tigrane Armeniæ rege pulſus Romam ſe contulit, quemadmodum jam ante Nicomedes, ab eodem Mithradate regno ejectus: Ambo reges ſenatus autoritate an. V.C. 660. ſuis regnis ſunt reſtituti. Ariobarzanes quidem iterum throno exturbatus, pace tamen Sullam inter & Mithradatem facta eidem eſt redditus. Stirps hujus regis de ſententia Strabonis ultra generationem tertiam ſe non porrexit. *Petav. de Ration. temp. pag. 417.*

TABULA VI.

Caput diadematum)(Pallas ſtans ut ſupra: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. ΙΕ. *D. Devonsh.*

caſſent? Quid opus erat Ariarathis nomen ei inditum, hac in familia domeſticum conmemorare, niſi alia fuiſſet ex gente protractus? Denique nec Haymius paullo inferius ſubornatum ab Nicomede juvenem tertium Ariarathis VII. filium dicere poterat, ſi anteriora in Italico autographo ſibi conſtant.

Regis Ariobarzanis Romanorum Amici. anno *XV.* Numus nulla parte læſus pondere granorum 58. *Tab. VI. N. 1.*

Laudatus alibi Begerus ob titulum Amici Romanorum ab hocce Ariobarzane adſumtum probabilibus & bene firmis rationibus numiſma Ariobarzani hujus nominis II. adſcripſit (18). Referuntur a P. Harduino hujus regis numi cum annis 22. & 24, præter hos conditi in Anglia annos 13. & 15. repræſentant (19). Frater hujus erat Ariarathes ΕΥΣΕΒΗΣ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ, & quia in regno conlega titulum *fratrem amantis* ſibi adſcivit (20) Ejus numus inſpiciatur apud Begerum *Tab. II pag. 14.* ad quem pro explicatione horum duorum numorum lectorem remitto, atque Cappadocicis regibus deſcriptis ad Bithynos tranſeo.

DE

(18) Ex præclaris duobus marmoribus anno 1743. Athenis a quodam Turca primum detectis, atque *T. XXIII. Mem. des Inſcr. & bel. letr. Hiſt. pag.* 189. a Cl. Belley conmunicatis non ſolum docemur, tres fuiſſe poſterioris lineæ Ariobarzanes, quod eruditis ad id tempus ignotum aut controverſum, ſed ſingulorum titulos, primi ſcilicet ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. filii ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, nepotis denique ſeu III. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. ex quo conſequitur, numum deſcriptum Ariobarzani I. reddendum. Quæ omnia optime cum Strabone conſentiunt.

(19) *Recueil cit.* indicat numum cum anno ΘΚ. 29, & indicato ſuperiore nota tomo adnotatur etiam annus ΓΛ. 33. tanquam ex detectis poſtremus.

(20) Nec Filius hujus, ut cogitabat ex Strabone Frœlichius, nec ejus, ſed Ariobarzanis III. frater erat.

Digitized by Google

DE REGIBUS BITHYNIÆ.

Chronologia regum Bithyniæ multo magis intricata, & tenebris involuta eſt, quam Cappodocum, neque in hanc diem quiſquam eam his difficultatibus expedire eſt conatus. (21) Scriptores hanc hiſtoriam pertractantes adeo inter ſe diſcrepant, ut dubium ſit, an in iis quæ adfirmant, fidem mereantur.

Occaſione numorum Pruſiæ & Nicomedis Epiphanis mox exhibendorum epochis horum regum, quas detegere potui, quin annis in quibuscunque Bithyniæ numis obcurrentibus adnotatis, aliquam, quamvis inperfectam regum horum chronologiam dabo; viderint eruditi, quomodo difficultates modico hoc a me ſubpeditato adjumento concilient, ego enim moleſtiam tam ardui laboris eo libentius in eorum humeros exonero, quod ne quidem conſtituta brevitas id mihi permitteret.

Herodotus *L. VII.* quod originem Bithynorum a Thracibus adtinet, cum Appiano de bello Mithradatico conſentit. Memnon, cujus fragmenta Photio debemus, regem I. Bythiniæ *Dydalſum* Amyntæ Macedoniæ regi coævum conſtituit. Subceſſorem habuit *Botiram*, qui vi-

pag. 722. Græc.Lat.

Ibid.

(21) Tentavit id Cl. Sevin ſub annum 1736, eique labori tribus commentariis ad Nicomedem II. perducto eſt inmortuus, Vide *Mem. de l'Acad. des Inſcr. & bel. let. T. XII. p.* 316. *T. XV. p.* 21. *T. XVI. p.* 141.

vitam regni annis conprehenſis ad annos 75. produxit, ætate Philippi Macedonis patris Alexandri. *Bas* rex III. Botiræ filius 50. regni, 71. vitæ annos exegit temporibus Alexandri M. cujus etiam ducem aliquem vicerat.
Ibid. IV. *Zipoetes* patri ſubceſſit, mortuus ætatis 76, ex quibus 47. regno impendit, Lyſimacho æqualis. Filios 4.
L. XIX. reliquit. Diodorus Siculus ejus ſub annum V. C. 439. meminit.

Nicomedes I. natu major *Zipœtis* filius, regum V. in fratres crudelis horum duos enecuit. Rex hic Nicome-
V. C 474. diæ fundator Galatas in Aſiam induxit. Nuſpiam vel an-
& 475. nos vitæ, vel regni adnotatos reperio. (22) Synchronus
Ibid. erat Antigoni. Poſt ejus mortem patruelis tutelam Pruſias Nicomedis frater ſine regis titulo geſſit. VI. Ordine
Ibid. Bithyniæ præfuit *Pruſias* I. Nicomedis filius (23) dictus *Claudus* ob crus ex vulnere in bello accepto læſum. Philippus pater Perſei tum in Macedonia regnabat. Regem
Appian. Alex. VII. Bithyni habuere *Pruſian* II. cognomine *Venatorem*, degebat cum filio Nicomede Romæ an. V. C. 587. juxta Livium *L. XXXXV.*, cumque bellum moviſſet Attalo Pergameno, a Romanis ad pacem conpulſus eſt an. V. C. 601. Pruſiam Nicomedes filius juvante Attalo conmemorato e medio ſuſtulit an. V. C. 606. Epitome T. Livii *L. XXXXIX.* Ad hunc mea opinione referendi ſunt numi ſequentes.

Ca-

(22) Cl. Sevin mortem ejus ad annum II. Olymp. CXXXIII. adfigit.

(23) Non filius ſed nepos erat ex Ziela, vel Zela, qui a morte patris Nicomedis regnavit.

Digitized by Google

Caput *Apollinis* laureatum cum duabus notis incuſis ad eundem deum pertinentibus, altera enim harum ejus caput, lyram altera repræſentat.)(Victoria galeata cum ramo: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΡΟΥΣΙΟΥ. *Regis Pruſiæ.* Ex muſeo *D. Wren. Tab. VI. N. 2.*

Caput idem)(Arcus cum pharetra: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΡΟΥΣΙΟΥ. Eſt *D. Croſſe Tab. VI. N. 3.*

Victoria cælata innuere videtur bellum cum Attalo geſtum, de quo, qui volet, Appianum loco indicato conſulat. Adtributa in altero numo ſignata cum ſint Apollinis, Pruſiam ejus numini plurimum devotum arguunt.

Caput forſan Apollinis)(Centaurus lyram tenens. Epigraphe eadem. Adſervatur inter cimelia *D. Wren.* Bonum artificium vernice rubra conveſtitur. *Tab. VI. N. 4.*

Etiam hujus averſæ partis ſignum Apollinem reſpicit, cum in numis Gallieni parvi æris admodum vulgaribus idem deus ſub centauri ſpecie hac inſcriptione: APOLLINI. CONS. AVG. indicetur. Non negavero, hunc atque anteriorem typum, venationem, qua ſicut delectabatur maxime, ita inde venatoris cognomen juxta dicta tulit, deſignare poſſe.

Nicomedes II. cognomine *Epiphanes* apud Appianum Alex:, mortuus eſt ſecundum Juſtinum an. V. C. 660. circiter *Juſtin. L. XXX-VIII. n. 1.*

citer, ex quo ſequitur, eum annos 54. regnaſſe. Res ab illo geſtas fuſe deſcribit Appianus.

Nicomedes III. ab eodem ſcriptore dictus *Philopator*, regno Bithyniæ poſt mortem patris, non ſecus ac Ariobarzanes in Cappadociam ab Romanis reſtitutus fuit, ambo enim a Mithradate Pontico ejecti fuerant. Exceſſit e vita, populo Romano hærede ſcripto an. V. C. 679. poſt regni annos 18.

Juſtin. loc. cit.

D. Devonsh.

Caput diadematum *Nicomedis II.*)(Juppiter ſtans d. lauream ſ. haſtam gerit, præ Jove aquila cum fulmine. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. ΕΞΡ. *Regis Epiphanis Nicomedis* anno 165. Adpendit grana 257. *Tab. VI. N.5.*

Ejusdem.

Numus ſimilis præter epocham ΗΟΡ. ſeu annum 178. granorum 256. *Tab. VI. N.5.*

Caput diademate cinctum *Nicomedis III.*)(Epigraphe & typus idem, annus vero Σ ſcilicet 200. æquat grana 267. *Tab. VI. N. 7.*

Caput idem)(Signum averſæ partis, & inſcriptio non differt a ſuperioribus, annus legitur ΕΣ. nempe 205. Pondere granorum 259. *Tab. VI. N. 8.* Poſteriores duo numi ſunt *Equitis Roberti Sutton.* Singuli ſunt argentei, præclari cælatoris, & nitidiſſimi.

Priusquam his de numis mentem meam aperiam, epochas

Digitized by Google

pochas omnes Bithynicas hactenus detectas in laterculum conjectas ſiſto, ut harum ope earum initium reperiatur.

EPOCHÆ BITHYNICÆ.

Quas aſteriſco notavi, editæ jam ſunt.

	(24)	
In muſeo Equitis Hans Sloane adeſt annus	162	Ad Nicomedem II. referendæ
Ducis de Devonſhire - - - -	165	
Equitis Caroli Hedges - - - -	169	
* Apud P. Harduinum - - - - - -	175	
Ducis de Devonſhire - - - -	178	
	(25)	
* Apud P. Harduinum - - - - - -	183	
D. Edges - - - - - - - -	187	
	(26)	
Comitis Pembrok. - - - - -	198	
Eq. Roberti Sutton - - - -	200	ad Nicomedem III.
* Ibidem & apud P. Harduinum - -	205	
* Apud D. *Vaillantium* in familiis - - Romanis Tab. 106. T. II. p. 208.	222 224	numi Papiriï Carbonis
* Apud *Morellium* Electa rei numariæ Hamburgi 1709. p. 62.	232	Vibii Panſæ & Julii Cæſ.

(24) Apud Anonymum *Recueil &c.* annus multo anterior reperitur ſcilicet. NP. 150.

(25) In muſeo olim Apoſtoli Zeno repertus eſt annus ΑΠΡ. 181.

(26) Laudatus Anonymus numum exhibet cum anno ΗΠΡ. 188.

Digitized by Google

P. Harduinus in *Chronol. V. Teſtam.* epochæ Bithynicæ initium an. V. C. 442. conſtituit, quo item altera Seleucidarum occœpit: *Vaillantius* medicus & Morellius ejus ortum ab an. V. C. 476. deducunt. Verum ex rationibus adducendis neceſſe eſt, initium ab an. V. C. 474. derivandum, eccas: quia numi omnes, qui anno aliquo anteriore ultra 187. percuſſi ſunt, ſimilem regis vultum exhibent, quem I. & II. numo cælavi, cui anno ſi adjungatur annus epochæ 474. dabit annum V. C. 660, quo ipſo per ſuperius dicta mortuus eſt *Nicomedes II.* (27) In numis tribus aliis ſcilicet cum annis 198, 200. & 205. ob oris lineamenta diverſa *Nicomedes III.* agnoſcitur, quorum poſtremus cum anno 678. ejus mortem præcedente adcuratiſſime conſentit. Anni in numis C. Papirii Carbonis ſignati, ad annos V. C. 695. & 697. aſcendunt, quibus prætoria poteſtate Bithyniam obtinuerat, annis 15, poſtquam in provinciam eſt redacta. Numus Julii Cæſaris a Morellio adnotatus epocham habet, quæ in annum V. C. 715. incidit, quo ipſo Cæſar ab Lepido dictator eſt creatus juxta Dionem *L. XLI.* (28)

Hac

(27) Cum numus, de quo nota præcedenti, ſimillimus ſit aliis Nicomedis II. ipſius Haymii argumento mors hujus regis in annum æræ Bithynicæ 187. ſeu V. C. 660. conferri non poteſt.

(28) His non obſtantibus maluit CL. Frœlichius æræ Bithynicæ initium ab an. V. C. 466. cum Syncello ducere ob numum epocha 207. in muſeo Theupoli inſignem, qui ultra mortem Nicomedis III. in ſtatutis ab Haymio calculis excurreret, maluit, inquam, donec nempe ex pluribus detegendis numis certius aliquid eruatur. Vide *Notit. Element. Numis. c. IX. pag.* 196.

Digitized by Google

Hac igitur ratione difficultatibus omnibus rem expeditam exiſtimo, atque æram dictam conſtabilitam eſſe ad illa Nicomedis I. tempora, quibus inita cum Gallis ſocietate, eorum auxilio plenam & ſecuram Bithyniæ poſſeſſionem ſibi adſeruit. Declarandum adhuc ſupereſſet, quare poſtremi duo reges eodem cognomine uſi fuerint, cum Appianus eos diverſis titulis primum nempe *Epiphanis*, alterum *Philopatoris* diſtinguat. Verum cujuscunque demum ſcriptoris momentum numorum autoritati debet concedere, quin imo probabile eſt, eadem honoris conpellatione uſum fuiſſe filium, qua patrem, etſi dum ambo viverent, alio aliquo cognomine ab illo diſtinctus fuerit.

PYLEMENES REX PAPHLAGONIÆ.

Caput juvenile cum clava)(Victoria ſtans d. coronam, ſ. ramum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΛΑΙΜΕΝΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥΣ. *Regis Pylæmenis Evergetis.* Integerrimus præſtantem cælatorem magis commendat. *D. Guilielmi Croſſé. Tab. VI. N. 9.*

Sponius ab eruditione celeberrimus libro: *Recherches curieuſes d'Antiquités* ejusdem Paphlagoniæ regis numum alterum nobis conmunicavit, cujus occaſione cum plenam horum regum notitiam doctrina varia refertam dederit, ad ejus conmentarium lectorem plura ſciendi avidum invito. Omiſſo præconio de horum numorum raritate, quos unicos eſſe eruditi probe norunt, id diſſimulare non poſ-

Diſſert. XXII. pag. 307.

poſſum, numum noſtrum alteri præſtare, quippe qui antica ſolum caput bovis, poſtica caduceum alatum cum eadem epigraphe refert: cùm in noſtro ipſam Pylæmenis effigiem, etſi diadema abſit, repræſentari arbitrer ſub ſpecie Herculis, qui forſan tanquam præcipuum earum gentium, robore & fortitudine præſtantium numen colebatur.

Signum poſticæ partis ad victoriam illam referri poterit, de qua Jornandes apud laudatum autorem ſcilicet: *Pylæmenem Paphlagoniæ regem, amicum populi Romani, cum a diverſis hoſtibus infeſtaretur, Romanorum inploraviſſe auxilia, atque poſtquam de iis ultionem ſumpſiſſet, regnum ſuo eidem rei publicæ teſtameuto tradidiſſe.* Id quod temporibus Mithradatis congrueret, verum cum Jornandis narratio cum Strabone & Appiano pugnet, numum prius percuſſum ideo etiam lubentius arbitror, quia monetarium artificium in hoc numo ita excellit, ut ea artium perfectio non videatur tempori congruere, quo Ponto vicinæ regiones perpetuis excurſionibus a Mithradate adflictæ ad incitas fere fuerunt redactæ. Quare numum præſentem, dum res eſſent minus iniquæ & feliciores, percuſſum cenſeo, cui meæ conjecturæ ipſa Mithradatis, & Nicomedis numiſmata adſtipulantur, quæ etſi ſcalptoris ſint minime inperiti, arte tamen a noſtro Pylæmenis ſuperantur. Has ob rationes cui Pylæmeni, id quod definiendum mihi non ſumo, moneta ſit adtribuenda, liberrimum eruditis arbitrium relinquo.

Spon. Ibid. pag. 314.

MI-

Digitized by Google

MITHRADATES REX PONTI.

Caput diadematum)(Cervus intra coronam. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. Γ. Κ. Σ. *Regis Mithradatis Eupatoris. anno 223.* Opus artificis boni ſine ullo ætatis vitio. *Tab. VI. N. 10.* *D. Devonsh.*

Mithradates bello 40 annos & amplius contra Romanos geſto adeo inclaruit, ut fruſtra eſſem, ſi hic de eo plura; Neque numum operi meo inſeruiſſem, niſi anni characteribus, hactenus non obſervati, foret inſignis. Oris ductus prototypo, ut eſſent quam ſimillimi, dum curavi, omiſſis, quæ dici poſſent, aliis, annos ſolum, quibus regno præfuit, ſecundum probatorum autorum ſententiam adnotabo, cum hiſtoriæ Romanæ ſpeciem quandam epochæ inferant. Mortuus eſt Mithradates an. V. C. 691 A. X. 63; Ex ſententia Plinii, qui regni annos 56 adnumerat, thronum conſcendit an. V. C. 635.

Appianus Alexandrinus, dum laudes hujus regis contexit, in hanc loquitur ſententiam: *Originem illum duxiſſe a Dario Perſarum rege ordine generationis XVI, a Mithradate vero illo, qui Macedonibus rebellis regnum Ponti abripuit, VIII. Vixiſſe eum annos 68 aut 69, in regno exactis 57, quia in hoc patri mortuo puer ſubceſſit.* Alibi vero ſcribit: *Bellum Mithradaticum cœpiſſe Olymp. CLXX, atque annos 42 duraſſe.* Quod epocham regum Ponti adtinet, eandem eam habeo cum æra regum Sauromatarum, mox recenſendorum, quare *De bellis Mithrad.*

 ſtatuto

Digitized by Google

ſtatuto ejus initio an. V. C. 458 numus noſter malleum ſubivit an. V. C. 680, qui belli cum Romanis geſti erat 30.

Lunam cum aſtro quod adtinet, revoco in memoriam, ſimile ſignum in aliquo regum Parthiæ numo fuiſſe exhibitum, idemque in quibusdam monetis Coloniæ Carrhenorum conparere, ex quibus indiciis adjumentum forſan habebunt, qui id magis inluſtrare voluerint. Satis otii non erat, ut minutim perveſtigato Mithradatis numo conjecturam adjicerem de literis IΓ in ſegmento inferiore exaratis, in aliud tempus opportunius eum laborem ſepoſui. De cervo & pag. 314. corona qui inſtrui cupit, doctiſſimum Nonnium in Goltzii Græcia adeat.

DE REGIBUS SAUROMATIS. (29)

TABULA VII.

D. Devonsh. Caput diadematum BACIΛEωC. CAYPOMATOY. *Regis Sauromatæ*)(M. H. intra coronam quernam. Numus

(29) Etſi duos ſolum Sauromatarum numos æri inciſos proferat Haymius, quia tamen & ad calcem hujus argumenti catalogum ſubnectit, in quo Eupatoris, Cotyos, Ininthimevi, Rheſcuporidis ſit mentio, & alibi reges ab regione, cui imperabant, nominat, regum Bospori Cimmerii titulum inſcribere oportuiſſet, niſi a Pauſania in errorem ductus eſſet, ut liquebit ex nota ſequente.

Digitized by Google

mus eſt metalli pallidi, & rudis fabricæ; conditur etiam in muſeo *Eq. Hans Sloane. Tab. VII. N. 1.*

Divinare non poſſum, quo tempore reges hi Sauromatæ vixerint; Id interea notum, eos usque ad annum V. C. 262 regnaſſe, atque regiam poteſtatem, ſub imperatoribus retinuiſſe, ut patebit ex dicendis ad numisma ſequens, ubi eorum epocha ſtabilietur. Quare in tanta incertitudine, quin aliquid definiam, adquieſco in quodam Pauſaniæ loco, unde ingenium & mores horum populorum (30) innoteſcunt.

De quodam templo Æſculapii in Attica ſito ita ille: *Ibidem Sarmatica* (in Græco Σαυροματικος) *dedicata eſt lorica, quam qui intuitus fuerit, nihilo minus barbaros ad artes excolendas ſolertes exiſtimabit; Nam Sarmatis nulla ſunt ferri metalla, neque ad eos aliunde ferrum inportatur, utpote præ cunctis earum regionum barbaris ab hominum commerciis alieniſſimos. Ob eam igitur ferri penuriam oſſeas* (31) *haſtarum cuſpides pro ferreis in uſum induxerunt: Arcus & ſagittas ex corno* L. I. c. 21.

(30) Dum de regibus nomine proprio Sauromatis dictis, res eſt, populos intrudit Sauromatas, hi tamen Græcis alii non erant, quam Sarmatæ Latinorum teſtibus Plinio *L. IV. c.* 12. Strabone *L. XII. p.* 553, quos ut Mela ad litora Tanais, Strabo ad Boryſthenis ripas removet, ita dubium, an Bosporanis regibus, de quibus hic ſermo, unquam fuerint ſubjecti, cum Strabo *L. XI* p. 495, de iis, qui Bosporanis dynaſtis parebant: ἅπαντες Βοσποριανοὶ καλοῦνται *omnes Bosporani nominantur.* Plura Pauſaniæ locus ſubpeditabit.

(31) Legendum in Græco ὀστεΐνας pro σιδηρᾶς.

corno habent, oſſeis haſtilibus præfixas. (32) *Præterea catenis vimineis tam dextre in bello utuntur, ut quem earum jactu forſan adtingunt hoſtem, implicitum ex equo detrahant. Loricas hoc fere modo conficiunt: Quivisquam plurimos alit equos, quorum non ad bella ſolum, ſed ad ſacrificia etiam & cibum uſus eſt. Ungulas horum lectas perpurgatas ac diſſectas velut draconum ſquamas expoliunt, has perforatas nervulis equinis vel bubulis conſutas in loricam concinnant, quæ nec firmitate nec elegantia Græcorum thoracibus concedit. Quod formam adtinet pini ſtrobilo parte adverſa adſimilantur.* Ut brevitati ſtuderem, ſumma ſolum capita ex Pauſania decerpſi.

T. II. pag. 605 *Num.* 10. *pulcerrimus Sauromatæ numus comparet.*

Numus huic fere ſimilis in libro omni eruditione pleno, atque inſcripto: *de l'utilité des voyages de M. Baudelot* profertur, ſuſpicor tamen partis anticæ inſcriptionem aliquantum eſſe vitiatam. Characteres M. H, qui utrobique aream averſæ partis inſident, explicandos mihi non ſumo, videatur interim P. Harduini interpretatio in editione majore. (33)

Alter in Cæſs. Juliani Imp. Spanhemii p. 493. *D. Devonsh.*

Caput Hadriani laureatum ΓΙΤ. *Anno* 413.)(Caput diadematum cum inſcriptione: ΒΑCΙΛΕωC. CΑΤΡΟΜΑΤΟΤ. *Regis Sauromatæ.* Ex auro pallido, ſeu electro

(32) Vel hoc diverſos Pauſaniæ populos ab iis, quibus Sauromatæ, aliique Bosporani imperabant, arguit: quibus enim in pecuniam aurum, argentum, atque æs præcipue ſubpetebat, ii ſane nec extra hominum commercium erant, nec haſtis & telis ære præfixis caruerint.

(33) Frœlichius noſter *Notit. Element. c. X pag.* 27 hujusmodi numos non ad reges Bosporanos, ſed Armeniacos forſan referendos cenſet ob diverſum ab illorum moneta typum.

Digitized by Google

ctro flatus, nihil ab ætate detrimenti paſſus adpendit grana Anglica 120; antica parte, quod effigies ex Romano numo ſcalpta eſt, mediocre artificium præfert, poſtica parte & caput & literæ rudem, barbaramque manum ſapiunt. *Tab. VII. N.* 2.

Etſi numi regum Sauromatarum (*Boſpori Cimmerii*) & raritate præſtant, & quantivis ſunt pretii, hic tamen quosvis alios excellit, non ſolum quia unicus, verum quia epocham horum regum, & Ponticorum hactenus non determinatam demonſtrat. *Vaillantius*, & qui eum conſecutus eſt *Morellius* æram ab an. V. C. 453 deducunt, P. Harduinus vero hanc opinionem emendaturus initium an. V. C. 456 conſtituit. Adtamen citra omne dubium adfigendum erit exordium an. V. C. 458, ita fiet, ut annus V. C. 870 reſpondeat epochæ in præſente numo ſignatæ, qui ipſe primus erat imperii Hadriani. (34) Statuta hæc epocha mirifice cum annorum characteribus a ſupra laudatis autoribus productis conſentit, ut ex ſequentibus liquebit.

Vaill. Imp. Rom. T. II. pag. 129. 157 *&* 243. *Morel. Specim. Tab. VII p.* 91, 92. *Hard. in Pop. & Urb. p.* 140, *& in Chron. V. T. p.* 581 *edit in fol.*

Sauromatæ in Boſporo Cimmerio ſede regni Panticapæi defixa dominabantur. Diodorus Siculus eos àb ipſa origine recenſet, quia tamen in laudato ſcriptore hinc inde ſunt conquirendi, a lectore gratiam me relaturum arbitrabar, ſi eos uno conſpectu cum annis V. C. ſubjicerem.

I An.

(34) Cl. Cary & Frœlichius initium in autumno anni V. C. 457 non una demonſtratione, & quod magis rarum, mira conſpiratione ſtatuerunt, quare niſi Haymius a Calendis anni 458 annum primum Boſporanum incipiat, lapſus eſt. Vide *Hiſt. des Rois du Boſphore Diſſert. preliminaire pag.* 12 *& ſeqq. Regum veterum numismata anecdota &c. pag.* 172 *& ſeqq.*

Digitized by Google

Diod. Sic. L. XII. An. V. C. 262 Archæanactides regnum Boſpori Cimmerii a ſe fundatum tenuere annos 42.

V. C. 304 Spartacus I eorum ſubceſſor regnavit an. 17.

Ibid. L. XIV. par. 8. V. C. 321 Seleucus ſecutus per annos 4.

V. C. 325 Spartacus II thronum conſcendit, regnaturus an. 22.

V. C. 347 Satyrus Spartaci filius, regno præfuit an. 14.

Ibid. L. XVI. V. C. 361 Leucon hæres regni, illud tenuit an. 40.

V. C. 401 Spartacus III Leuconis filius, regnavit an. 5.

Ibid. L. XX. V. C. 406 Pæriſades frater, poſt illius mortem an. 38.

V. C. 444 Satyrus natu major Pæriſadis per menſ. 9.

V. C. 445 Eumelus Satyro & Prytanide fratribus victis regnavit an. 6. *De poſtremis his multa Diodorus.*

V. C. 450 Spartacus Eumeli filius regnum cœpit, mortuus poſt 20 annos V. C. 470

Ab his reges noſtros Sauromatas non ſolum traxiſſe ſanguinem (35) ſed præterea ſub regno Spartaci IV epocham an. V. C. 458 inſtitutam eſſe cenſeo, cui ſane occaſionem dare non poterat mors Antigoni, ut cogitavit *Vaillantius,*

(35) A Spartaco IV usque ad Pæriſadem poſtremum, qui Mithradati M. Boſporum ceſſit, hiatus eſt 170 annorum, in quo nos adhuc amiſſi Diodori libri deſtituunt. Poſt Scribonium regem fuiſſe Polemonem I filium Zenonis rhetoris ſcimus, aſt hic Laodicea oriundus nihil commune habere potuit cum Sauromatis, ſeu Sarmatis; Polemoni ſubceſſit Sauromates I.

Digitized by Google

lantius, quippe quæ incidit in an. V. C. 453: Nec Pharnaces ob initum cum Romanis fœdus, quemadmodum exiſtimabat P. Harduinus, nam ea ætate Romani nec pedem ex Italia protulerant, nec barbaros in ſocietatem admiſerant. Quare arguo, principium æræ ab his regibus ob beneficium aliquod aut ab Demetrio Poliorcete, aut a fœderatis Seleuco ſcilicet, Lyſimacho &c. acceptum, fuiſſe inductum, de quo tamen altum apud ſcriptores ſilentium. (36)

Diſcrimen atque ordinem horum regum, quantum ex numis eruere licuit, exhibeo: Morellius numum cum capite Trajani atque anno 408 prodidit, qui cum anno XV Imp. V. C. 865 congruit, unde conjicio monetam ſub aditum a Sauromate regnum fuiſſe percuſſum, quem ut ab aliis diſcernatur, primum nomino. (37) Cum in noſtro numo, quemadmodum in Morelliano in regis labio myſtaces ſint conſpicui, eundem in utroque repræſentari opinor, qui percuſſa hac moneta Hadriano aditum imperium gratulatus fuerit.

Ob calculum ex numis aliorum regum erutum regni annos 10 ita adtribuo, ut mortuum anno V. Hadriani V. C.

(36) Ob hoc ipſum ſilentium a Mithradate M. Ponticam æram in adjunctum Bosporanum regnum inductam fuiſſe, multo certius cenſent laudati ſupra duumviri.

(37) Paſſim jam II hujus nominis habetur, cum dubium ſit, an Tiberius Julius Sauromates Tiberio Imp. numis teſtibus, coævus non etiam Bosporo præfuerit, inter quem & Sauromatem II interceſſerant Rheſcuporis I, Polemo II. Cotys. I.

Digitized by Google

875 diadema in filium Sauromatem II tranſtuliſſe exiſtimem, quippe qui apud Morellium juvenili vultu exhibetur, (38) cui juxta meam ſubputationem regni anni 41 ſunt adſignandi. Subceſſorem habuit Eupatorem V. C. an. 916 M. Aurelii & L. Veri II. (39) qui a laudato autore modica cum barba eſt cælatus; regnavit annos 35. (40)

Hunc in throno conſecutus eſt Sauromates III a Morellio cum denſa barba depictus, annos 7 regnum tenuit. (41) P. Harduinus alterius alicujus meminit cum capitibus

Severi

(38) Hodiernos antiquarios, qui plures ejusmodi numos viderant, nec myſtaces, nec juvenilis vultus in rudiore fabrica movit, ut duos inde reges procrearent, ſed inde ab anno 395 æræ Boſporicæ (quam epocham ſuperiore anno edidit Anonymus Pariſ. *Recueil &c.*) ad an. 422 per 27 annos, quantum ex numis novimus, regnaſſe ſtatuunt Sauromatem II, nempe usque ad annum 9^{num} aut 10^{mum} Hadriani.

(39) Paucitati numorum, quos viderat Haymius, tribuendum cum productum exiſtimati Sauromatis filii regnum, tum initium Eupatoris; etenim interceſſere ſub Hadriano Cotys II & Rhæmetalces I, quorum ille ſub annum XV Hadriani, hic numis teſtibus ad annum æræ Boſporanæ 445 V. C. 902 ſub Antonino Pio regiam poteſtatem continuavit. Eupatoris vero numus cum an. æræ Boſp. 452 V. C. 909 ex muſeo D. Pellerin productus eſt a Cl. Cary, adeoque cœpit anno XIX Antonini Pii, atque ad annum V. C. 924 ſub Aurelio regnavit.

(40) Quia ex conlectione Anonymi *Recueil &c. pag.* 38 prolatus eſt Sauromatis III numus cum epocha 472, Eupatoris regnum, ſi etiam ab Leucanore & Eubiote Luciani interruptum non fuit, ultra 20 annos protrahi nequit.

(41) Numi annos 34 illi hactenus tribuunt, nam apud laudatum Anonymum numiſma cum epocha 506 conſervatur.

Digitized by Google

Severi & Caracallæ, qui 28 regni annos compleverit. (42) Seguinus nobis prodidit regem Cotyn cum capite Alexandri Severi, huic annos 2 tribuo. (43) Hunc in regno conſecutus eſt Ininthimevus, apud eundem autorem cælatus, annos 11 regnaverit. (44) Adjungitur a Seguino Rheſcuporis aliquis, cujus regnum, quia ex mihi notis eſt poſtremus, definiri non poterat. (45) Ut hactenus dicta melius intelligantur tabellam horum regum mox ſubjiciam cum numorum relatorum indice.

Præterire hic non poſſum, Seguinum Virum eruditiſſimum, quamvis in altera ſui libri editione annorum characteres numis his inſcriptos, quos in prima confuderat, ut oportebat, reſtituerit, non vidiſſe tamen, ad quos imperatores eſ-

 ſent

(42) Non eſt diverſus a priore ſcilicet Sauromate III.

(43) Interceſſit Rheſcuporis III, qui, quantum ex numis conſtat, anno V. Caracallæ ſolius regnum adiit, mortuus ſub Alexandro V. C. an. 978. Diutius vixiſſe Cotyn III conficiunt numi duo: alter conlegii noſtri Academici Vindobonenſis cum epocha ΕΚΦ. 525: alter Patini, in quo tamen pro ΑΦ 501, legendum ΛΦ. 530.

(44) Vix annus ei tribui poteſt ob epocham Cotyos, & alteram Rheſcuporidis ſubceſſoris apud Patinum & Spanhemium cum annorum notis ΑΛΦ 531.

(45) Rheſcuporis IV eſt, cui ex numorum autoritate 32 regni anni conveniunt, usque ſcilicet ad an. V. C. 1020 ſub Gallieno. Addideram ſententiæ Haymii: *ex mihi notis*, cum Teiranes ſub Probo Imp. Thothorſes ſub Diocletiano, Sauromates IV & V, Rheſcuporis V, ſub Licinio & Conſtantino M, denique Sauromates VI ſub Conſtantio numorum potiſſimum teſtimonio conſecuti fuerint.

Digitized by Google

ſent referendi, etſi vel in ipſis cælatis imaginibus eorum effigies ſatis commode exprimantur. Eaſdem chronologicas notas primum ab Inluſtri Spanhemio pariter præteritas liquet, atque ubi eas ſubinde in libro de Cæſaribus Juliani Imp. *pag.* 20 obſervaſſet, omne de iis arbitrium *Vaillantio* tranſcripſit.

De Præſt. & uſu numiſ. p. 462 *edit.* 2*dæ.*

Theſ. Brand. T. III. p. 5.

Adnotatur præterea aliquis hujus generis numus apud Begerum, alter in theſauro Patini *in 4to*, atque itidem in ejus Suetonio: verum quia minus adcurate depicti mihi videntur, rem decidendam eruditorum ſententiæ ſubjicio. (46)

TABELLA CHRONOLOGICA
REGUM SAUROMATARUM.

	NUMISMATA.	*Anni ab æra Posporanæ initio V.C. 458. ad annos V.C. reducti.*	
1	Caput Trajani laureatum ΗΥ anno 408.)(ΒΑϹΙΛΕΩϹ. ϹΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. caput diadematum. Ex auro, in Morellii *Specim. Tab. VIII.*	V.C. 865. an. XV. Trajani.	Sauromates I. regnavit annos 10.
2	Caput Hadriani laureatum ΓΙΥ. 413.)(Epigraphe & caput idem. Ex auro, *D. Devonshire.*	V.C. 870. anno I. Hadriani.	

3

(46) Begeri numus ſeu ϚΜΦ ſeu ΖΜΦ legatur Rheſcuporidis IV eſt ſub Decio; de numo ex theſauro Patini meam ſententiam *Not.* 42 expoſui; tertius in Suetonio cum epocha ΑΛΦ ejuſdem Rheſcuporidis IV annum primum exhibet.

Digitized by Google

3	Caput Hadriani laureatum HIΥ an. 418.)(Epigraphe ſimilis, caput juvenile diadematum. Ex auro apud Morellium ibidem.	V.C.875. an.V.Hadriani.	Sauromates II. regnavit an. 41.
4	Capita Aurelii & Veri nuda. ΘΝΥ an. 459.)(BACIΛ. ΕΥΠΑΤΟΡΟC. caput diadematum. Ex auro, ibidem.	V.C.916. an. II. M. Aurelii.	Eupator regnavit an. 35.
5	Caput Severi laureatum ΔϘΥ. an. 494. BAC. CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. caput cum barba denſiore. Ex auro, ibid. & apud Seguinum *pag. 47. edit. 2dæ.*	V.C.951. an.V. Severi.	Sauromates III. regnavit an. 7.
6	Capita Severi & Caracallæ ΑΦ an. 501.)(Epigraphe, & typus ſimilis, Harduinus *edit. in fol. pag. 140.*	V.C.958. XII. Severi.	Sauromates IV. regnavit an. 28.
7	Caput Alexandri Severi laureatum ΘΚΦ an. 529.)(BAC. ΚΟΤΥΟC. caput diadematum & barbatum. Ex argento, Seguinus *pag. 42. edit. 2dæ.*	V.C.986. an. XV. Alexand.	Cotys regnavit an. 2.
8	Caput Alexandri Sev. laureatum. ΑΛΦ. an. 531.)(BAC. ΙΝΙΝΘΙΜΗΥΟΥ. caput diadematum. Ex argento; Seguinus *pag. 47. edit. 2dæ.*	V.C.988. an. XVII Alexand.	Ininthymevus regnavit an. 11.
9	Caput Philippi patris laureatum ΒΜΦ. an. 542.)(BAC. ΡΗCΚΟΥΠ. caput cum modica barba. Ex ære Seguinus *pag. 43. edit. 2dæ.* (74)	V.C.999. an. II. Philippi,	Incerti Rheſcuporidis regni an.

ALA-

(47) Qui plenum horum regum catalogum epochis diverſis LXXII. inde a Tib. Julio Sauromate inluſtratum uno in conſpectu cupit,

ALANUS *rex.*

Caput Abgari BACIΛ - - ΑΒΓΑΡΟC. *Abgarus rex*)(caput alterum cum ſimili thiara, inſcriptio: ΑΛΑΝ-ΝΟC Alannus. Pars hæc numi poſtica absque ætatis eſt vitio. T*ab.* *VII.* *N.* 3.

Præſtans numus, quem exhibeo altera facie caput Abgari alicujus regum Edeſſæ ſatis ex pluribus numis cum capitibus imperatorum ſtudio plurium antiquariorum vulgatis notorum, quos inter Triſtanus eminet eruditiſſima horum regum conlectione nobiſcum conmunicata. (48) Edeſſa urbs erat Meſopotamiæ trans Euphratem Tauri jugis vicina, Abgari vero, de quibus agimus, reges Arabum, & Oshröenorum dicebantur. Ut hæc liquent, ita neminem autorum reperi, qui me doceret, quis Alannus ille in averſa numi ſignatus foret. Id ex geographis, quamvis hoc in argumento obſcuris, hauſi populos fuiſſe Alanos nomine: Plinius, Ptolemæus & Tacitus Alanos & Roxola-

Comment. hiſt. Vol. I. pag. 637. *& Vol. II. pag.* 82. & 519.

Tacit. hiſt.

---

pit, conſulat Frœlichii *Acceſſ. Nov. ad Numiſm. regg. veterum &c.* p. 100. Duo tamen monendus eſt lector. Primum, errorem inrepſiſſe *pag.* 104. in numum primum Cotyis III. ubi pro 521. legendum 525. adeoque V. C. annus 982. Alterum, alias interim epochas productas eſſe potiſſimum ab Anonymo Pariſino ſcilicet: *Sauromatis II.* 395. *Sauromatis III.* 472., 476, 479, 506. *Rheſcuporidis III.* 521. *Cotyis III.* 529. *Thothorſis* 582. *Rheſcuporidis V.* 623., quæ additæ regum horum chronologiam LXXXI epochis pleniorem dabunt.

(48) Poſt Triſtanum fuſius hoc in argumento ſingulari libro verſatus eſt Cl. Sigefridus Bayerus.

Digitized by Google

xolanos gentes Sarmatiæ Europææ faciunt: Ammianus eos olim Maſſagetas dictos vult, Lucianus contendit, eis linguam, & mores Scythis communes fuiſſe, additque, illorum capita raſa aut perbrevi capillo tecta, ut fere in noſtro numiſmate obſervantur.

Comment. hiſt. Vol. I. pag. 637 & Vol. II. pag. 82. & 519. Tacit. hiſt. L. I. c. 79. Sidon. Apoll. pag. 82, 288, 289 & 310. edit. Paris. 1615. Lucian. in Toxaris pag. 508. Lugd. 1549.

Mea igitur opinione Abgarus hic & Alannus contra Parthorum incurſiones fœdere aliquo juncti erant, ſane in eorum thiaris vix aliquid eſt diſcriminis, ut adeo æqualis poteſtatis fuiſſe exiſtimem, quamvis horum alter, pro more forſan gentis ſuæ regio titulo abſtinuit. Quare tenetur cauſa, ob quam eadem in moneta utriusque caput ſignatum fuerit, cujus percuſſæ tempus definire nulla ratione poſſum, id certum imperatorum Romanorum ætate procuſam fuiſſe, cum nullus ſcriptorum de Abgaris ante Claudium aut poſt Gordianum Pium meminerit. (49)

DE VIRIS INLUSTRIBUS.

Reges conſequuntur viri inluſtres. Primum agmen ducunt doctrina & eruditione conſpicui, hos heroes & ur-

(49) Quæ hic de Alanno diſputavit Haymius, pluribus duce Frœlichio inluſtravit Jul. Comes Ant. de Kevenhüller *Regg. Vet. Numiſm. anecdota &c pag.* 119. Dum utriusque conatum, aliis aliquando uſibus ſerviturum veneror, utrumque lectione epigraphes deceptum eſſe edicere me cogit veritatis amor;

bium conditores ordine excipiunt. Eſt quidem reapſe numorum hujus claſſis a me producendorum numerus exiguus, verum ipſa varietas hominum hactenus ignotorum, qui ſe oculis objiciunt, non ſolum pretium huic conlectioni ſed inſigne pro editione meritum conciliat.

HOMERUS.

Caput barbatum & diademate cinctum ore venerando ΟΜΗΡΟΣ *Homerus.*)(ΚΡΗΤΩΝ *Cretenſium.* Pallas ſtans d. haſtam vibrat. Integer cælatoris etiam manum commendat. *Comitis de Pembrok. Tab. VII. N. 4.*

Plutarchus res geſtas Homeri deſcribens octo recenſet oppida, quæ ſuo in ſinu celebrem hunc poetam natum gloriabantur, Cumas ſcilicet, Smyrnam, Colophonem, Jum, Chium, Salaminam Cypri, Argos, & Athenas. Adtamen nemo, quod ſciam, Cretæ meminit, ut præſens numus rariſſimus, unicus, neque in hanc diem editus innuit. Averſæ præterea typus non parum eſt inſolens, cum inter omnes Impp. in Creta ſignatos numos a *Vail-*

Errorem ſuum aliqua ratione retractavit Frœlichius *Acceſſ. Nov. ad numiſ. regg. p.* 82, adtamen lapſum Haymii detectum a Cl. Wiſe in catalogo numorum Bodleyanorum, jam omnino profligavit Anonymus Pariſ. *Recueil pag.* 153. *& ſeqq.* quemadmodum enim alter exiſtimabat legendum: ΜΑΝΝΟϹ, ita hic ſingulari numo cum epigraphe ΜΑΝΝΟϹ. ΠΑΙϹ *Mannus filius* confirmat opinionem Abgaro, Severo Imp. coævo filium hujus nominis fuiſſe, atque, velut ab imperatoribus cæſares in regni ſocietatem adſumtum.

Digitized by Google

Vaillantio productos, ne unus quidem ſimilis conſpiciatur. Hinc animum ſubit, per hancce Palladem Homeri ſapientiam, quæ ex decantato bello Trojano elucet, indicari, atque ut hoc nitidius deſignarent monetarii, Palladem forſan ipſam pugnantis ſpecie ſcalpſiſſe videntur. Quid flos præ deæ pedibus ſibi velit non adſequor. (50)

GORGIAS *Leontinus.*

Caput Apollinis laureatum)(ΛΕΟ. ΓΟΡΓΙΑΣ. *Leontinorum Gorgias.* Numus fere aſper, laboris elegantiſſimi. *Ducis Devonshire Tab. VII. N. 5.*

Leontium urbium Siciliæ antiquiſſima a Læſtrygonibus primum habitabatur. Refert Thucydides Theoclem cum Chalcidenſibus quibusdam Naxo profectum Syracuſas incoluiſſe, atque poſt ſeptennium ejectis Siculis ſtabilem Leontii ſedem fixiſſe. Sub id tempus teſte Ariſtotele forma civitatis erat oligarchica, ſeu ſub paucorum magiſtratu. Cicero, Diodorus & Plinius agri Leontini fertilitatem adeo commendant, ut frumentum ſponte proveniſſe, quod vero ſatum fuerat, centeſimum fructum reddidiſſe narrent. Addit Ariſtoteles, non raro pecora præ nimia pinguedine extincta. Urbis hujus numi apud Goltzium, Parutam, & Begerum cælati videri poſſunt; Quod noſtrum numiſma adtinet, non tam urbis ſplendor, quam inluſtre Gorgiæ nomen antiquo in ære hactenus non viſum in admirationem rapit, quam ſingularis averſæ typus etiam auget.

Solin. & Plin. L. III. alii. Thuc. L. IV. Strabo L. VI. Diod. L. XVI. Ariſt. Polit. L. V. Thuc. L. V.

K 2

(50) Forſan ſerpentis ſpiras pro flore habuit Haymius.

Digitized by Google

get. Quare ut numus in claſſe inluſtrium virorum locum habere debet, ita Gorgias, cujus memoriam revocat, primum inter oratores & philoſophos tam ob antiquitatem, quam doctrinæ excellentiam ſibi vendicat; En brevem ejus vitæ hiſtoriam.

Pauſan. L. VI. cap. 17. L. III. c. 1.

Gorgias doctrinæ ſummæ philoſophus, ſingularis eloquentiæ orator patriam Leontium, patrem ſecundum Philoſtratum & Pauſaniam, Carmantidum, juxta Ælianum Philolaum habuit. Quintilianus eum Empedoclis diſcipulum, magiſtrum vero Periclis, Iſocratis, aliorumque clariſſimorum philoſophorum & oratorum fuiſſe ſcribit, addit laudatus Philoſtratus, ſummam perfectionem & ſubtilitatem artis ſophiſticæ eidem deberi, a quo non pauca mutuatus Æſchylus poeta ſuis tragœdiis adcommodavit.

Plato in Menone ſeu de virtute, in principio. in Hippia majore in principio.

Platonis & Ciceronis teſtimonio nullum erat argumentum, de quo non diſputaret, nulla quæſtio, quam non reſolveret. A ſuis civibus ob perſpectam orationis vim Athenas pro auxiliis contra Syracuſanos miſſo in ſenatu conparuiſſe pene ſatis erat, nam arte & elegantia dicentis capti Athenienſes, non iis ſolum ſubſcripſerunt, quæ pro patria petierat, verum precibus & pecunia obpugnatum Athenis eum ad rhetoricam docendam retinuerunt; contracta ibi intima cum Critia & Alcibiade juvenibus, atque ſeneſcentibus jam Pericle, & Thucydide amicitia: excurſione in patriam facta, Athenas redux, grandæva ætate 108, vel 109 annorum, juxta Apollodorum obpreſſus vitam finivit. Funeri tantus honor eſt habitus ab Athenienſibus, ut, cum alias Areopagitis a ſenatu populoque æneæ ſolum ſtatuæ decernerentur, in auream civitatis ſubſragia conſpirarent.

Vale-

Digitized by Google

Valetudine, membrorumque firmitate erat quam optima, viresque non minus, quam memoriæ mentisque vigorem ad extremos vitæ dies conſervavit. Narrat Cicero, eum, cur tam diu vellet eſſe in vita, interrogatum, reposuiſſe; nihil habeo, quod incuſem ſenectutem, alter vero apud Lucianum quærens, qua tandem ratione eam valetudinis integræ conſtantiam obtinuiſſet, reſponſum tulit: Nunquam in lautiores epulas condixi. Seniſſimus, ut dictum, in lethargum incidit, cumque de producto ſomno rogaretur; ſomnus, ajebat, ſuæ me ſororculæ (mortem joco deſignabat) tradere incipit. *Lucian. Macrobii p. 710 edit. Frellon. Ælianus L. XI cap. 35.*

Tantam ſibi ex oratoria arte fecerat pecuniam, ut ſuam in Apollinis Delphici templo ſtatuam, quam alii ex auro ſolido flatam, alii ut Cicero, Philoſtratus, Diodorus, Pauſanias auro ſolum conveſtitam volunt, dicta in laudem numinis oratione dedicaverit. (51) Fazellus conmemorat, Leontii ſua adhuc ætate parietinas domus Gorgiæ fuiſſe monſtra- *Olymp. LXX circiter. Pauſan. L. X c. 18. Fazellus vixit an. 1500 vide Hiſt. Sic. Dec. I. L. 3. cap. 3.*

K 3 tas,

(51) Perperam hoc ex Fazello Haymius, ex quo conplura hic ſublegit, verterat; ita ille loco indicato: *Hic hominum primus & auream ſtatuam & ſolidam, quæ ſuam effigiem ad vivum prope exprimebat - - - poſuit, cum cæteris non aurea, ſed deaurata ſurrigeretur, tantus fuit ejus docendæ artis oratoriæ quæſtus, ut Philoſtratus, Cicero, Diodorus, & Plinius memorant.* Neque quis facile inferet ex inaurata ſtatua vim auri, argentique inſignem congeſtam, id quod tamen ſtabilire conatus eſt noſter. Omiſſis teſtibus adlegatis aliis, qui præter Pauſaniam omnes pro aurea pronunciant, Cicero L. III de Oratore rem conprobat, ita ibi: *Cui tantus honos habitus eſt a Græcia, ſoli ut ex omnibus Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur.*

tas, treſque illius orationes Florentiæ in bibliotheca S. Marci PP. ordinis S. Dominici adſervari.

Paruta T. 65, 66 & 67. In numi parte antica ſignatum Apollinis caput tam communem Leontinorum religionem, numorum aliorum in libris cælatorum teſtimonio confirmatam, quam peculiarem Gorgiæ, ut diximus, erga hoc numen devotionem indicat; Cygnus in poſtica cælatus ejus amænam ſuavitatem dicendi, qua etiam velut cygnus Apollinis laudes decantaverat, repræſentat, neque aliter de Orphei manibus ſenſit Plato, quos in eandem avem ob carminis gratiam inmigraſſe ſcribit. *Plato dial. X de republ. vel de juſto pag. 671 edit. Baſil. 1546.* Multorum autorum teſtimonio Gorgias non oratoriam ſolum, ſed poeticam etiam novis inventionibus locupletavit. Laboris elegantia, quæ ex numo elucet, eum illa ætate cuſum ſuadet, qua in Sicilia artes ſummum perfectionis apicem adtigerant.

EPICURUS *philoſophus.*

Caput calvum & barbatum, cornu ad aurem adpoſito. Duo piſces cum literis AΘ.... Argenteus ſcalpri & conſervationis optimæ granorum Anglicorum 7. *Comitis de Winchilſea. Tab. 7. N. 6.*

Diminuto huic Athenienſi obolo triplex explicatio adhiberi poteſt, caput adverſæ partis Pani deo, Socrati, Epicuro denique tribuendo, quorum quidquid dixeris, de numuli ſingulari raritate nihil detrahetur. Non deerat Athenienſibus æquiſſima cauſa, Panis ſignum ſua in moneta feriundi, quippe qui Philippidæ, ut narrat Pauſanias, in vicinia montis Parthenii, cum Medi in Atticam infunderentur, viſus, *L. I. c. 28.*

ſus, nomine conpellatum de ſuo erga res Athenienſium favore non ſolum ſecurum eum juſſit, verum iisdem inmixtum pugnæ Marathoniæ ſe adfuturum edixit; ab eo deinceps tempore hujus numinis cultus Athenis in dies auxit.

Quia tamen huncce deum non niſi cum barba caprina & adunco naſo, quæ noſtro in capite abſunt, videram, in eam potius propenderem ſententiam, ſub perſona Sileni Socratem hic nobis repræſentari, adeo enim veneni poculum, quo ei mors inlata fuit, atque capitalem, quam tulerant, ſententiam deteſtati ſunt Athenienſes, ut ludorum ceſſatione indicta, ex ære ſtatuam Lyſippi manu ductam ejus honori publico maxime urbis loco dedicaverint, adcuſatorum aliis exilio, aliis vita mulctatis. Tanta hæc animorum mutatio cauſam dare poterat, ut ad augendam exiſtimationem etiam ejus vultus in argentea moneta feriretur. (52) Vixerat Socrates ſecundum Laertium, & Diodorum Siculum annis 70 mortuus Olymp. XCV primo, V. C. 354. Fateor ſub id tempus artes jam excultas plurimum fuiſſe in Græcia, adtamen, quia noſtro in numulo ſcalptoris manus liberior, atque ſervili illa artis obedientia ſuperior elucet, recentioris fabricæ cenſeo.

Diog. Laert.

Laert. L. II.

Diod. L. XIV.

Quare ſine omni hæſitatione Epicuri, itidem Athenienſis caput percuſſum exiſtimo, cui apud ſuos ornatiſſimo nec honoris teſtimonium ab ænea ſtatua poſita deerat; quod epocham adtinet, natus erat annis ſeptem a Platonis morte, atque

Diog. Laert.

Fl res Diog. Laert. editiones

(52) Non video, quid ad gloriam conferat conſignatus in obolo, eoque diminuto vultus.

emendandæ, quæ habent Olymp. 107. atque ætatis 72 Olymp. CXXVII anno II ſeu V. C. 483 diem extremum obiit. Ad opinionem hanc meam conſtabiliendam omittere non poſſum, ſardas pulcherrimas duas, certæ antiquitatis, atque ſuo loco publici juris faciendas ex dactylotheca Comitis de Haliſax, cujus patroni favores & beneficia innumera ſatis mihi gratulari nunquam potero. Harum alteri Socratis effigies, alteri Epicuri cum eſſet inſcalpta, diligenti cum numo præſente inſtituta conparatione, capitis ſignati lineamenta penitus Epicuro in gemma congruere conperi, in qua tamen cornu illud ad aurem emicans abeſt, quod adjectum in numo arbitror, ut laudatus philoſophus Sileni imagine repræſentaretur, cum vulgo tritum ſit, Socratem & Epicurum illius veſtigia ſecutos.

Ob literas ΑΘΕ averſæ inſcriptas celebriores duos Athenienſium portus Piræum & Phalerum per totidem, piſces, ſeu delphinos indicari interim puto, neque enim ſemper vacat, in explicationem de melioribus unam inquirere. *pag. 191 edit. 2da.* Seguinus numum Catanenſem cum capite aliquantum ſimili Charondæ adtributo refert, verum diſſentit Spanhemius in *Les Ceſars pag. 29.* *Juliano Apoſtata*, Silenum exhiberi ratus. Idem numus in Sicilia Parutæ obcurrit, verum capite diverſo: Velim apud *Paruta Tab. 21.* laudatos autores conſulantur indicati numi, ut adcuratius de noſtro judicium fieri poſſit.

EUPOLEMUS *Eleus.*

Tria ſibi inpoſita ſcuta)(Pharetra cum epigraphe ΕΥΠΟΛΕΜΟΥ *Eupolemi.* Præclaro artificio ætas pepercit. *Ducis Devonſhire Tab. VII N. 7.*

Nu-

Numiſma hoc elegantiſſimum pro urbis alicujus, ut ſolet, nomine, ſolum viri inſcalptum exhibet cum indiciis facinoris alicujus inluſtris, ei ſumma cum honoris teſtificatione adtributi; adjuncta hæc apud me efficiunt, ut monetam Eupolemo cuidam apud Pauſaniam adſcribi poſſe ſuſpicer. Laudatus autor loquens de ſtatuis, quæ victoribus in Olympicis ludis poſitæ fuerant, hæc habet: *Eupolemi Elei imaginem Dædalus Sicyonius elaboraverat. Teſte inſcriptione Eupolemus ludis Olympicis in ſtadio viros vicit, ſed & quinquertii e Pythicis coronas duas, unam e Nemeis reportavit;* Addit: *Ob victoriam Olympicam ei quidem controverſiam motam a quodam Leonte Ambraciota, adtamen e tribus, qui ludis præſederant, judicibus, duos illi palmam adtribuiſſe.* Pauſanias initio libri indicati profitetur, ſe non niſi eorum mentionem facturum, qui honore ſtatuæ fuerant donati, quin imo ex horum numero illos ſelecturum, qui ſuis meritis majorem gloriam erant conſecuti. Alibi vero de eodem agens Eupolemo narrat, eum in ſtadio anno II Olympiadis XCVI viciſſe.

Pauſan. L. VI cap. 3.

Pauſan. L. VIII cap. 45.

Ex his præmiſſis infero, probabili conjectura tres, quas in totidem ludis Olympicis ſcilicet, Pythiis & Nemeis, conſecutus erat palmas Eupolemus, tribus in orbem congeſtis altera nummi parte ſcutis repræſentari, quæ Macedonica cum ſint, in ſingulis his exercitationibus æmulos habuiſſe Macedones, ſuſpicari licebit. Protritum eſt, ſcuta, pharetram, quæ in averſa ſpectantur, ut coronas & id genus alia Athletis ceſſiſſe præmia. Qui hoc in argumento plenius inſtrui cupit, eruditas tres diatribas Cl. Burette conſulat, operibus Academiæ regiæ inſcriptionum & elegantiorum literarum Pariſiis in 4to editis, Amſtelodami an. CIↃIↃCCXIX recuſis inſertas.

Mem. pour ſervir a l'hiſtoire des Athletes.

Aliud menti ſubiit conſilium, quo majori cum probabilitate numus ad Eupolemum Caſſandri regis Macedoniæ ducem referetur. Cum enim Antigonus Macedoniæ incumberet, Caſſander regnum ſuum tuiturus ex Eubœa advolans, hunc ipſum Eupolemum copiis in Græcia præfectum reliquit, id quod juxta Diodorum Sic. L. XIX in Olympiadem CXVII. V. C. an. 442 incidit; Fieri ergo poterat, ut ab imperatore hocce pecunia feriri juberetur in Græcia, cujus ſignis eæ gentes admonerentur, Macedonum ſupremi dominii atque ſuæ Caſſandri nomine poteſtatis. Ipſa præterea numi fabrica huic Eupolemo potius, quam athletæ alteri convenit. (53)

HECTOR *Trojanus.*

D. Devonsh. - - - - ΦΑΥϹΤ - - - - Caput Fauſtinæ minoris)(Hectoris caput juvenile galeatum. ΕΚΤΩΡ. ΙΛΙΕΩΝ. *Hector Ilienſium.* Poſterior hæc numi facies boni artificis, conſervationis eſt optimæ. *Tab. VII. N. 8.*

Hector natu major Priami Trojani regis & Hecubæ filius inter Trojanos patriam contra Græcos defendentes bellica virtute cum eminuiſſet, ab Achille, ut Patroclo amico inferias

(53) Conſentio Haymio, quod probabilitatem adtinet, cum nomen urbis abſit; ceterum doceri deberet aliquo ex antiquitate exemplo, eam fuiſſe ducibus, atque eo potiſſimum tempore, quo Macedonia inter æmulos diſtrahebatur, poteſtatem, ſuo ut nomine monetam ſignarent, quod dum producatur, id quod nunquam futurum arbitror, tyranno aut regulo alicui numum tribuere mallem.

inferias daret, occiſus eſt ejus cadaver poſtquam currui adligatum circum Patrocli tumulum raptatum eſſet, magno pretio Priamus redemit. Conſulatur Homerus, ex quo fonte, qui demum cunque de eo ſcripſerant, hauſerunt. Nullum hactenus productum novi Hectoris caput, quam a celeberrimo Seguino, in cujus tamen numo caput barbatulum ſine galea conparet. *Seguin. edit. 2da pag.* 330.

Caput galeatum, barbatum & obverſum)(ΟΦΡΥ. Figura nuda flexis genibus d. uvam gerit. Et ſcalpri, & conſervationis laude præcipuus. *Com. de Pembrok. Tab. VII. N. 9.*

Strabo loquens de Dardano Troadis oppido ſubjicit: *Non procul inde Ophrynium; ibi lucus Hectoris eſt loco conſpicuo.* Quare caput in adverſa percuſſum caput item Hectoris eſſe, dubitare non licet. Seu Daretis Phrygii liber, quem habemus, genuinum ejus ſit opus, ſeu, ut aliquorum eſt opinio, ſubpoſitum, id tamen certum, caput in numo cælatum ſatis deſcriptioni, qua ab autore heros depingitur, congruere. Geſtus viri nudi in averſa parte oblationem uvarum, quæ forſan Hectori de more fiebat, deſignat, eum fere in modum, quo Priapo Lampſaci vicina in urbe primi hortorum fructus dicari ſolebant. *L. XIII. p.* 595.

BELLEROPHON.

Caput barbatum, diademate cinctum COPIN. *Corinthus.*)(Chimæra cum hac epigraphe: P. ALBI. - - - - II. VIR. Boni cælatoris opus, verum aliquantum detritum. *Tab. VII. N. 10.* *D. Devonsh.*

Digitized by Google

Diadematum hoc caput, quia deorum nulli adſcribi poteſt, ſine hæſitatione Bellerophontem referre cenſeo, cum quia ore pulcerrimo fuiſſe dicitur, tum quia in Corinthiorum ære vix ſignum aliquod frequentius, quam Bellerophontis cum chimæra pugnantis. In nullo hactenus numo herois hujus caput obſervatum eſſe conmemini. Nomen Publii Albini magiſtratum coloniæ indicat, numi ætatem ad tempora Julii Cæſaris coloniæ conditoris refero, neque enim initio cives linguam Græcam omnino abdicare voluiſſe mihi videntur, atque propterea ſcalpto herois ſui capiti hoc modo: COPIN adſcripſiſſe, quemadmodum in alio numismate, a me *Tom. I pag. 140* producto fecerant. Videri poterit præterea ſequente articulo de urbibus & populis, ubi in quodam Hieropolitarum numo infra Pegaſi ventrem hæ literæ prominent, ΒΕΛ, quas lego *Bellerophon.*

TABULA VIII.

CRANNONIUS *Theſſalus.*

Caput inberbe, peregrino pileo tectum)(Eques galeatus ΚΡΑΝΝΩΝΙΟΥ. (54) Numus integerrimus *ex muſeo Com. de Pembrok. Tab. VIII. N. 1.*

Cran-

(54) Sicut numi deſcriptionem, ut major editioni conciliaretur æqualitas, præmittere debui, ita, quæ de Crannonio dicturus ſum, me ex Haymii ſententia interpretatum quidem eſſe, adtamen in numo nunquam aliter quam ΚΡΑΝΝΩΝΙΩΝ lectum profiteor, tam enim manifeſte derivatum gentile tenetur, ut nihil magis, de quo mox plura.

Digitized by Google

Crannonius Theſſalus Pelasgi filius urbem in Athamania condiderat teſte Stephano in hæc verba: *Cranon, urbs Pelasgiotidis &c. Eſt quoque alia urbs Athamaniæ, a Cranone Pelasgi filio nomen habens.* Pag. 477. Pauſanias, cui tempori coævus fuerit, etiam determinat, dum narrat Olympiade XXXIII L. V c. 8. atque adeo V. C. 106 circiter, equam Crannonii dictam Crauxidam curſu viciſſe in Olympicis. (55) Præclarum numisma, quod nobis Crannonii, vel quod probabilius mihi videtur, Pelasgi repræſentato capite, patris & filii memoriam conſervavit, hunc nempe in numi poſtica equa victrice, de qua Pauſanias, vectum exhibens. Emendanda ob duplex N in epigraphe cælatum Stephani orthographia. Quia in multis Theſſalicarum officinarum numis, ſuo tempore edendis, ſimilem pileum, aut galeam deprehendi, qua in numi poſtica eques noſter tegitur, neque multum ab eo tegumento diſcrepat, quod in antica obſervatur, hoc pilei genus Theſſalis in uſu fuiſſe dubitare non poſſum.

PERGAMUS *heros.*

Caput barbatum, & diadematum ΠΕΡΓΑΜΟС. *Pergamus*)(baculus Æſculapii cum cornu copiæ ΕΠΙ. СΤΡΑ. D. Devonsh.

(55) Ita Pauſanias loco indicato: ἵππος μὲν δὴ Κραννωνίου Κραυξίδα παρέρθη. Quod ſic vertendum. *Crauxidæ ex Crannone urbe nati equa reliquos omnes prævertit.* Toto eo capite ſolicite urbium nomina, quibus oriundi eſſent viri victores, recenſet Pauſanias, nunquam vero equi. Nemo præterea alius hujus Crannonii meminit, quem dum ex heroum numero expungo, Crannonem in antica hujus numi a Crannoniis ſignatum, minime in controverſiam adduco.

ΣΤΡΑ. ΚΛ. ΚΕΦΑΛΙΩΝΟΣ *ſub Prætore Claudio Cephalione.* Conſervatio optimo ſcalpro nihil concedit. *Tab. VIII. N.* 2.

L. I cap. 11. Pergamus ex Æacidarum gente ſanguinem duxit, tertio enim loco ex Andromache, Hectori ante deinde Pyrrho Achillis filio nupta, natus fuit; tres enim filii Pyrrhi commemorantur a Pauſania eadem hac ex matre Moloſſus ſcilicet, Pielus, & de quo agimus, Pergamus, qui poſtquam cum matre trajeciſſet in Aſiam, Ario Teuthraniæ tyranno ſingulari certamine victo, Pergamo Myſiæ ad Caicum fluvium oppido nomen dedit, ubi præcipuus religionis cultus teſte etiam parte averſa hujus numi Æſculapio adhibebatur; cornu copiæ regionis fertilitatem commendat.

BYZAS *heros.*

I Caput barbatum)(Tridens, cui delphinus inplicitus. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ *Byzantiorum. Tab. VIII. N.* 3.

II. Caput juvenile diadematum)(Caduceus alatus cum eadem epigraphe. *Tab. VIII. N.* 4.

III. Caput barbatum & galeatum ΒΥΖΑΣ. *Byzas*)(Navis dimidia: ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΤΟ. Β. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Sub Marco iterum Byzantinorum Tab. VIII. N.* 5.

IV. Caput, & inſcriptio ſimilis)(Typus idem, præterquam quod navi viri ſignum cum haſta inſiſtat: C. Θ. ΦΑΥΣΤΙΝΗΣ. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Auguſtæ. Divæ Fauſtinæ Byzantinorum. Tab. VIII. N.* 6. Omnes quatuor ex mu-

muſeo *D. de Devonshire* depromti benignam bono cælo ætatem habuere.

Primo horum Byzantinorum numorum Neptuni caput exhiberi, facile perſuadet poſticæ tridens & delphinus, atque id percommode, quippe Byzas urbis conditor Neptuni filius ex Ceroeſſa Jus filia, ut adfirmat Stephanus Byzantinus. *Pag. 249.* Numus alter Byzantis juvenile caput diademate cinctum refert, quod a nemine in lucem adhuc editum. (56) Quia in plurimis a Vaillantio hac in urbe ſub imperatoribus percuſſis numis nunquam caducei ſignum ſe obfert, inſolente hoc typo Byzantinos deſignare voluiſſe arbitror, jam in juvenili ætate ſingulari prudentia conditorem ſuum valuiſſe. Duo hi numi majorem multo præ ſequentibus circa L. Veri tempora flatis, ut ex dicendis patebit, antiquitatem habent. Caput Byzantis galeatum & barbatum, cum prora in averſa, ut III. & IV. numo repræſento, a Goltzio omnium primo erat editum. *Græcia Tab. XXVII. pag. 150.* Lectorem hac ſuper re ad eruditiſſimi Nonnii in Goltzium conmentarium remitto, magiſtratus, qui obverſantur, diſcutiam.

Sub Marco iterum. Idem nomen cum capite Lucillæ in ejusdem urbis numo legitur: alter *Auguſtæ Divæ Fau-* *Vaillant. de num. Vrbium Græc. pag. 60.*

(56) Cum de conditore res ſit, atque præter præſentia Haymiana pluribus aliarum urbium exemplis, ut Abderitarum, Cyzicenorum, Myrinæorum, Smyrnæorum, Tianorum, Tomitarum conſtat, capita τῶν Κτιςῶν non vaga effigie, ſed adſcriptis nominibus certa, ſignari fuiſſe ſolita, vereor, ut Byzantii ipſam herois ſui juventutem honorare voluerint.

Digitized by Google

Ibid. p. 63. In Anton. Pio pag. 53. edit. Maire.

Fauſtinæ recurrit in numo L. Veri hac epigraphe: *ſub Divæ Fauſtinæ ſacerdote.* Unde nullus dubio locus ſupereſt, Byzantios, quemadmodum Romæ teſte Capitolino decretum erat, divinis Fauſtinæ Antonini Pii uxori conſtitutis honoribus, templum etiam dedicaſſe. Si laudatus ſæpe Vaillantius tam adcuratus fuiſſet in capitum inſcriptionibus adnotandis, quam diligenter averſarum partium epigraphes recenſuit, ex numo L. Veri arguere liceret, an numisma noſtrum vivente Antonino Pio, an poſt ejus mortem monetaria ex officina prodiverit.

SIPYLUS *heros.*

D. Devonsh.

Caput nudum & barbatum. CIΠΥΛOC. *Sipylus*)(Æſculapius ſtans. ΜΑΓΝΗΤΩΝ *Magneſiorum* Numus integer, ſed artificii mediocris. *Tab. VIII. N. 7.*

Pop. & urb. pag. 307. edit. in 4to

Etſi numus ſimilis a P. Harduino deſcriptus ante fuerit, huc tamen ponendum arbitrabar quam maxime, cum ejus imago chalcographi manu nunquam ſit exhibita. A Sipylo Agenoris filio montem ejusdem in Lydia nominis, olim Ceraunium, dictum fuiſſe Sipylum idem ſummæ eruditionis vir adſeverat. Hac in Magneſia ad montis pedem ſita Æſculapii cultum viguiſſe, quod ex imperatorum numis conprobari non poteſt, numus ab eadem in herois ſui honorem cuſus conficit.

ÆNEAS *Trojanus.*

D. Devonsh.

Caput obverſum cum Galea peregrina)(Torcular hinc

hinc ſpica, inde epigraphe AINIO. - - Elegans, & artificis boni. *Tab. VIII. N. 8.*

Ænus Thraciæ urbs, mari ad orientale Hebri oſtium vicina e regione Samothraciæ inſulæ ſita erat. Hæc de illa Stephanus Byzantinus: *In exitu Hebri, quia in duo oſtia finditur, ſita eſt Ænus, quam Cymæi condiderunt.* Plinius vero: *Oppidum Ænos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regis.* Strabo eam jam *Poltyobriam* jam *Abſinthum* nominat: Multis de ea Livius.

L. IV. c. 11.
L. VII. & XIII.
L. XIII. c. 16. & 31.

Caput obverſum non Polydori, ſed Æneæ conditoris ejus urbis eſſe videtur, (57) cum Pomp. Mela ita ſcribat: *Eximia eſt Ænos ab ÆNEA profugo condita.* Galeæ formam, Theſſalicæ ſimilem, ut in numo Crannonii paullo ante propoſito vidimus, apud Trojanos ſub id tempus obtinuiſſe ſuſpicor. Torcular averſæ eleganter ornatum quidni Bacchi religionibus deditos Ænios deſignet, cum Diodorus Siculus referat: *Nam alii Bacchum a mulieribus, quæ bacchantes illum ſequebantur, dixere, alii a torculari, quo vinum exprimitur, Lenæum.* Spica præter vini abundantiam, frugum etiam lætiſſimum proventum indicat. Obſervatione dignum eſt, ſimilis torcularis uſum in multis Italiæ locis hodie etiam vigere.

M CE-

(57) Antiquiorem & certiorem Æneæ memoriæ cuſum numum protulit Anoymus Pariſinus *Recueil &c. pag.* 205. ubi caput ab Haymio cælatum Mercurio potius tribuendum judicat.

CEPHALUS *heros.*

D. Devonsh. Caput obverſum Galea criſtata tectum)(Aries. ΣΑΜΑΙΩΝ *Samæorum.* Numus bene conſervatus. *Tab. VIII. N. 9.*

Cephalus Deionei filius ab Aurora ſecundum Ovidium amatus ob occiſam per errorem Procrin uxorem, ut vult Pauſanias, Athenis exul, aliquo poſt tempore ad Teleboas cum Amphitryone profectus, eam inſulam habitavit, cui nomen dederat Cephaleniæ. Ea inſula Zacyntho & Ithacæ in mari Jonio ſubjecta quatuor præcipua oppida habet Proneſum, Samen, Peleum, & Cranium a quatuor Cephali filiis ita nominata; In harum una Same ſcilicet, quæ an. V. C. 565. a M. Fulvio quatuor menſium obſidione preſſa, everſaque civibus ſub haſta venditis, moneta præſens eſt percuſſa; Placuit monetariis herois ſui caput, a quo inſulæ nomen (niſi quis filii Sames conditoris effigiem mavelit) ſuo in ære ferire, atque adjecto in poſtica parte ariete paſcuorum, ſolique ubertatem deſignare.

L. I. c. 37. & L. X. c. 29. Steph. Vocab. Cranii pag. 476. Liv. L. XXXVIII. Plin. L. IV c. 12

CYME *Amazon.*

D. Devonsh. Caput muliebre turritum ΚΥΜΗ. Cyme)(Mulier ſtans d. ſiſtrum ſ. corbiculum gerit: ΚΥΜΑΙΩΝ *Cymæorum.* conſervatio artificium ſuperat. *Tab. VIII. N. 10.*

Hac de urbe ita Stephanus Byzantinus: *Cyme, urbs Æolidis ante Lesbum, a Cyme Amazonis filia ſic dicta vocabatur*

Digitized by Google

batur &c. Amazonium. Hinc erat Ephorus hiſtoricus, & Heſiodus. Pro remota ejus antiquitate faciunt ea, quæ Pomp. Mela adnotavit: *Sequentem* ait, *Pelops ſtatuit, vi-* *pag.* 115. *cto Oenomao reverſus ex Græcia. Cymen nominavit, pulſis, qui habitarant, dux Amazonum Cyme.* Inter duodecim A- *Ann. L. II.* ſiæ oppida terræ motu imperante Tiberio ſubverſa, atque *c.* 47. reparata Tacito teſte, numo etiam CIVITATIBUS. ASIAE. RESTITUTIS inſcripto, adſtipulante, eadem hæc cenſebatur Cyme.

Videri poterit alicui Cybelen, aut urbis genium anti- *Select. Nu-* ca parte repræſentari, adtamen qui caput Cymes, cum *miſ. p.* 31. altero Amazonis in Smyrnenſi numo apud Seguinum con- *edit.* 2*da.* tulerit, etſi bipennis abſit, cum veſtis ſit ſimillima, pro Amazone pronuntiare debebit. Laudatus jam antiquarius tres urbes parvo inter ſe ſpatio diſſitas Epheſum nempe, Smyrnam & Cymen ab Amazonibus ſub annum A. C. 984. conditas refert. Iſidis ſignum in poſtica parte cælatum in alio ejusdem oppidi, capite Antonini Pii inſigni numo, apud Vaillantium indicatur, eadem ibi dea velum *Vrb. Græc* in triremi expandens maritimam urbem fuiſſe conprobat; *pag.* 43. quod politicam ſub imperatoribus adtinet, Prætores rem publicam curabant.

TABULA IX.

Caput ignotum.

Caput juvenile nudum)(Aquila. ΛΑ. *Lacedæmoniorum* conpendio ſcriptum. Opus bonum ſine ætatis vitio. Ex muſeo Com. *de Winchilſea. Tab. IX. N.* 1.

Digitized by Google

Ut certum eſt, literas ΛΑ numum Laconicæ vindicare, ita monogrammata ſubjecta mihi crucem figunt. Videram duos alios ſimillimos ſiglis tamen diſcrepantes, quorum alter D. Joan. Maſſon eas habet, quas extra numi orbem primo loco adpoſui: inferioribus ſignatus eſt alter *Equitis Roberti Abdy.* Ne de juvenili capite omnino ſileam, an non Hyacintho Lacedæmonis nepoti tribui poſ-
L. III. c. 1. ſet, quem Pauſanias in ætatis flore patri præmortuum atque Amyclis ſub Apollinis ſigno ſepultum præſtantiſſimæ formæ puerum nobis expingit?

Conjecturam hanc mihi poſticæ partis aquila ſubpeditavit, cum Hyacinthus Jovis fuerit nepos, Lacedæmon enim, a quo dicta ante Lelegia nomen obtinuit, Amyclam oppidi ejusdem in Laconica nominis conditorem hic
L. III. cap. 10. vero Hyacinthum noſtrum genuit. Heroicos ei honores habitos, apertiſſime docetur a Pauſania, qui Hyacinthiorum feſtorum Υακυνθιων ejus numini annis ſingulis, ſimul cum Apollinis ludis magna frequentia & inſigni cum pompa a Lacedæmoniis celebratorum meminit. Feſta hæc Athenæus *L. IV. c. 4.* deſcripſit.

Forſan numus noſter Amyclæa ex officina prodiit, qua in urbe præcipua Hyacinthi veneratio.

DE

DE URBIBUS AC POPULIS GRÆCIÆ.

Operis hæc pars eam numorum conlectionem dabit, quæ editas hujus generis omnes pulcritudine, & forſan etiam numero ſuperat, cum Angliæ muſea iſtius claſſis moneta vetere & typorum eruditione plenorum & urbium geographis ignotarum abundent. Ne tamen vel libri molem augeam, vel ſeriei imperialium aliquid detraham, non ſine meo dolore magnum urbium numerum omittere ſum coactus; hæc tamen bellaria, ſi mihi vita conſtiterit, eruditis minime ſubducam, velint interim paucis hiſce Græci alphabethi ordine diſpoſitis frui.

Nulla hac in claſſe urbs adferetur, quæ in Goltzii Græcia fuiſſet edita, ſi Amiſum & Sinopen exceperis, quarum numiſmata ideo ſolum cælata deſcriptaque fuerunt, ut urbes Ponticæ uno in conſpectu objicerentur. Quia pars magna edendorum oppidorum antiquariorum cognitionem hactenus ſubterfugit, liquido adparebit, me id unum ſpectaſſe, ut præſentem conlectionem eruditis quam jucundiſſimam redderem.

ABBAITI.

I. Caput barbatum & diadematum)(Fulmen alatum cum epigraphe: ΜΥΣΩΝ. ΑΒΒΑΙΤΩΝ *Abbaitarum Myſiæ.* Operis boni numus integerrimus. *Com. Pembrok Tab. IX. N. 2.*

 II.

D. Devonsh. II. Caput Herculis juvenis rictu leonis tectum)(Intra coronam quernam clava cum exuviis. ΜΥΣΩΝ. ΑΒΒΑ. *Tab. IX. N. 3.*

Primum omnium obſervandum in primi numi area legi quidem ΑΒΑΙΤΩΝ cum unica litera Β, adtamen eſſe aliquod vacuum ſpatium, ut in imagine exhibui, quod ſuſpicionem movet, alteram Β ætate fuiſſe conroſam, etſi in area plana & nitidiſſima nullum ſuperſit veſtigium. Nomen urbis apud neminem geographorum reperio, quare nihil prodere licet, quam quod numi epigrahe indicat, populum fuiſſe Myſiæ.

Diadematum caput ob fulmen alatum poſticæ Jovis potius, quam conditoris urbis habeo, cum alterius numi averſa ſpectatis adtributis cum Herculis capite in antica conſentiat. Cn. Manlius contra Galatas ducens, teſte Livio Diniis Phrygiæ Synnada venit, inde ſex dierum itinere ad Beudos oppidum proceſſit, hinc Abura, atque poſtero die ad Alandri fontes movit, tertio denique Abaſſum tenuit, ubi pluribus diebus, urbe nempe ad Toliſtobogiorum fines poſita, conmoratus eſt. Eruditorum ſententiam hic exquiro, oppidumne, cujus mentionem Livius facit, idem cum Abaſſo eſſe poſſe exiſtiment?

L. XXXVIII.

* AGRIPPIAS *Vide T. I. pag. 237.*

* ATHENÆ.

Athenienſes, quos hic producturus ſum, numi ſubplemento ſerviunt ad eos, quos exhibueram Tomo primo.

I. Caput Palladis galeatum, cum nota incuſa caduceo inſigni

ſigni.)(In corona oleagina noctua. ΑΘΗΝ - - - ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Artificis præſtantiam cælo ſatis adſequi non potui, conſervatio tanto opere digna. *Comitis de Winchilſea Tab. IX. N. 4.*

Cum nobiliſſimus numi poſſeſſor tanta cum eruditione de omnibus Athenienſium monetis in primo meo volumine ſcripſerit, inde lector lumina tam pro præſente, quam ſecuturis aliis hauriat. Pauſanias, dum Athenienſes religionibus addictiſſimos conmemorat, cauſam ſubpeditat, cur tot diverſa deorum ſigna in eorum ære nobis ſuperſint. Mercurio, id quod hactenus non obſervavimus, ſacros honores fuiſſe inpenſos, caduceus ex incuſa nota prominens docet, (58) confirmaturque ex Pauſania, ubi ligneæ dei ſtatuæ, & Gymnaſii, quod ab eo nomen habebat, meminit. Averſæ inſcriptionem ita lego: ΑΘΗΝΑΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ *Minervæ Nicephoræ*, hinc conſequitur ab Athenienſibus victorias ei numini in acceptis, relatas, a quo nomen trahebant: Diſcutere non poteram, quid ſibi monogramma urbis Pergami noctuæ ſubjectum velit, forſan occaſione alicujus cum Pergamenis icti fœderis ſignatum fuerat. *L.I. c. 17. & 24. pag. 39. & 56. Græc. Lat*

II. Caput Palladis galeatum)(Noctua vaſi inſiſtens, pone pedes in area lampas ardens. ΑΘΕ. ΜΝΑΣΕΑΣ. ΝΕΣΤΩΡ. Argenteus gr. 269 ſine vetuſtatis vitio. *Tab. IX. N. 5.*

III.

(58) Quia notæ incuſæ ad valorem monetæ vel augendum, vel minuendum erant adhibitæ, neſcio, cur ad Mercurium caduceus, etiam felicitatis publicæ ſignum pertrahatur.

Digitized by Google

III. Caput laureatum)(AΘE. Lampas cum duobus palmæ ramis. Scalpro bono nec conſervatio deeſt. *Ambo numi ejusdem ſunt comitis. Tab. IX. N. 6.*

„ Sanctiſſimum Minervæ ſignum, ut fama eſt, de „ cœlo lapſum in arce cuſtodiebatur; huic Callimachus „ juxta Pauſaniam *ingentem ex auro lampadem* dedicavit, „ tantum olei capientem, ut diu noctuque annum in- „ tegrum continuo arderet ob elychnium ex lino Carpa- „ ſio, quod in flamma perſtat, conpoſitum. Eandem hanc lucernam utroque in numo percuſſam arbitror, horum primus eundem ſub quo ſignatus eſt, magiſtratum præfert, quem alter numus a me tomo primo exhibitus jam indicaverat. Numiſma ſecundo loco poſitum, numinis neſcio cujus, caput habet, in poſtica non ſolum memorata lampas videtur, ſed etiam palmæ rami, de qua laudatus auctor: *Eminet ſupra lucernam palma ænea, quæ cum ad lacunar conſurgat, exceptum fumum diſſipat.* Ut adeo noſtri numi Pauſaniæ locum inluſtrent, majoris enim magnitudinis ideam ingerunt, cum lampas oleum duobus elychniis ſubfecturum capere debuerit; deinde non una ſed duæ ex ære palmæ exhibentur: denique lampadis ipſam formam, quam ob ſcriptorum ſilentium ignoraremus, depictam nobis ſiſtunt. (59)

L. I. c. 26. *Pag. 221.* *Pauſan. ib.*

IV.

(59) Quantumcunque imaginationis vim intendam, ex duobus illis ramuſculis æneum caminum effingere mihi non poſſum; Quare præſtabit, vas illud oleo plenum agnoſcere, quod victori in Pan-Athenæis cedebat, de quo Haymius ipſe Tom. I. pag. 176. & 194. Mihi facile conſentiet, qui alias ludorum urnas ramuſculis ſimilibus exornatas intuitus fuerit, ut alia omittam.

IV. Caput Palladis Galeatum)(ΑΘΗΝ. Vir nudus taurum præ ſe agens. Integer numus etiam artificio laudabilis. *Comitis de Pembrok.* *Tab. IX. N. 7.*

In averſa Theſeum mihi videre videor taurum Marathonium, a ſe victum, Athenas ad ſacrificium agentem, quod Pauſanias Minervæ, Plutarchus vero in hiſtoria Theſei Apollini Delphico vult eſſe perpetratum. Conſulantur præterea adnotationes comitis de Winchilſea tomo noſtro priore. *L. I. c. 27. Pag. 193.*

V. Caput ſimile)(Æſculapius ſtans. ΑΘΗΝΑΙΩΝ Numus elegans. *Comitis de Winchilſea* *Tab. IX. N. 8.*

Æſculapium ab Athenienſibus cultum, ex eorum moneta hactenus non eruimus, etſi ante Pauſanias de templo divo medico conſecrato nos edocuerit: *Æſculapii vero ædes, cum ob plurima ejus, & filiorum ſimulacra, tum ob egregias picturas, quæ ſpectetur, digniſſima.* *L. I. cap. 21. pag. 49. Græc. Lat.*

VI. Protome Palladis galeatæ intra coronam oleaginam)(ΑΘΕ. Tropæum præ quo figura nuda manibus religatis pileo Phrygio tecta, quem figura armata adſiſtens d. abſtrahere tentat. Nec in artifice, nec in ære conſervato aliquid ad perfectionem deſiderandum. *Ejusdem ex muſeo.* *Tab. IX. N. 9.*

Nemo dubitat, numum præſentem ob inſignem aliquam ſuæ gentis victoriam ab Athenienſibus eſſe percuſſum, multæ harum poſteritati transmiſſæ ſunt a ſcriptoribus, ob quarum aliquas etiam tropæa conſtituta, illa ſane inter alias quam

Digitized by Google

de Perſis retulerunt, id genus typo cohoneſtari merebatur; Verum tectus pileo Phrygio captivus in aliam me ſententiam abſtrahit, ad facinus ſcilicet illud, quo ſe Galatis in Græciam inrupturis obpoſuerant, de hoc ita Pauſanias, cujus ſententiam brevitatis cauſa aliquantum interruptam, contractamque ſubjicio:

L. I c. 4. *Galli poſtquam Macedoniam deprædati fuiſſent, in Theſſaliam impetu facto, cum jam proxime ad Thermopylas adceſſiſſent, Græcorum fere neminem, qui ſe obponeret, habebant, quippe qui magnis cladibus a Philippo & Alexandro exhauſti, & poſtremo ab Antipatro, & Caſſandro pene deleti reſiſtendo non erant. At vero Athenienſes tametſi Macedonici belli diuturnitate debilitati, conlectis aliorum Græcorum copiis ad Thermopylas contendere, Calippoque exercitus duce electo obcupatis montium anguſtiis, barbaros a Græcia probibebant; Verum hi tramitem nacti, quem Phocenſes inſidebant, disjecto eorum præſidio clam reliquis Græcis ſe infuderunt; Ibi Athenienſes barbarorum multitudine a lateribus circumventi fortiter pugnando Græco ſe nomine dignos ut qui maxime præbuerunt, ſervata Græcia.*

Iidem ſubinde Galatæ ſe ad rapinas templi Delphici converterunt, adtamen ut tam apud laudatum autorem, quam apud Juſtinum *L. XXIV* legitur, ipſos ſibi deos iratos ſenſerunt. Exiſtimo ergo, ſi præſens numus ad hanc victoriam, qua Athenienſes, ut dictum eſt, Græciam pene univerſam periculo eripuerunt, refertur, dubitari non poſſe ob eandem bellicam gloriam tropæum conſtitutum, atque Galatarum aliquem de nobilioribus captum fuiſſe. Ejusmodi ergo aliquis captivus in figura nuda pileo Phrygio tecta nobis re-

præ-

præſentatur, atque forſan vir armatus, qui illam verſus tropæum agit, Calippum expeditionis hujus ducem exhibet.

VII. Caput Palladis galea tectum, in qua ſphinx cælata)(Pallas armata hinc, illinc Neptunus ſtans cum tridente, in medio olea, cujus trunco ſerpens obvolutus, intra ramos vero conſidens noctua. ΑΘΕ. A bona manu ſcalptus, atque ſatis nitidus. *Ex muſèo Com. de Winchilſèa. Tab.* IX. *N. 10.*

Legitur apud Pauſaniam ſcalptum ab Athenienſibus in templo Parthenone dicto certamen Neptuni cum Minerva, quæ etiam ut alias commemoratum, urbi nomen dedit: eadem in æde adſervabatur deæ ejusdem ſignum ex ebore & auro fabrefactum, ex cujus galeæ medio Sphinx prominebat, fere ut in antica noſtri numi videtur, in cujus poſtica eadem contentio, ut a Pauſania deſcripta eſt, objicitur: arbitratur ille, Erichtonium IV ſubinde Athenarum regem, per ſerpentem deſignari, quippe quem ſub hac ſpecie educaverat dea. In hiſtoria academiæ regiæ elegantiorum literarum &c. numiſma fere ſimile proditur, niſi quod Jovem fulminantem pro Neptuno exhibet, qui tamen in præſente numo ex tridente diſtincte admodum expreſſo citra controverſiam agnoſcitur.

L. I cap. 24.

Tom. I pag. 278. Edit. 2dæ.

VIII. Navis dimidia cum velo, in qua Victoria claſſicum canens)(Neptunus tridentem vibraturus ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΑΘΕ. *Regis Demetrii, Athenienſium.* Ex argento flatus grana 32 adpendit, conſervationis eſt mediocris. *Ejusdem poſſeſſoris. Tab.* IX. *N. 11.*

Digitized by Google

Numus hic ſingularis, quia Athenienſi in officina percuſſus, ſimul oſtendit, quantis beneficiis cum Græci univerſi, tum Athenienſes potisſimum Demetrio Antigoni filio obſtricti fuerint, per quem a ſervitute Macedonum, quorum tyrannidem per annos XV tulerant, erepti reſpirarunt. *Attic. L. 1 cap. 25.* Adtingit hanc expeditionem Pauſanias, pleniorem vero notitiam in hiſtoria Demetrii Plutarchus ſubpeditat.

Dum Græcia, ait, (60) *a Caſſandro & Ptolemæo obpreſſa ſub eorum jugo gemebat, incitati gloriæ ſtimulo Antigonus & Demetrius, conflato exercitu de ejus liberatione ita cogitarunt, ut ab Athenis velut capite caperetur exordium. Demetrius igitur, quin aliquid dideretur, claſſe 250 navium, atque pecuniæ magna vi inſtructus, ad portum Pyræum comparuit. Omnibus ut Ptolemæi claſſem eam recipere parantibus.* (61.) *Re intellecta illico ad arma concurſum; Verum Demetrius portum invectus, obtenta audientia ex prora prætoriæ juſſu patris Antigoni ſe adeſſe adſeveravit, nullo alio conſilio, quam ut Athenæ crudeli tyrannorum imperio ſubductæ antiquis patriæ moribus & legibus uterentur.*

Quod ex Plutarcho narravi, ipſo in numo mihi adumbrari videtur per Victoriam numi parte averſa navi inſiſtentem; Tuba nempe Demetrii ex prora habitam adlocutio-

(60) Narrationem Plutarchi multum interruptam, & velut in compendium redactam Haymius hic profert, quam tamen ejus veſtigiis, quoad licet inſiſtens, mutato etiam charactere ſequar.

(61) Quod Haymius neglexit, ſubplere debebam ex Plutarcho; neque enim contra Ptolemæi claſſem arma cepiſſe Athenienſes, hiſtoriæ adjuncta ſinunt,

Digitized by Google

cutionem, velum tam celeritatem, quam felicem expeditionis eventum repræſentat. (62) Ad narrationem redeo: *Athenienſes per Demetrium in libertatem adſerti eum Benefactorem & Servatorem patriæ ſalutarunt, quid quod decreto publico tam patri, quam filio regis titulus fuerit adjectus.* Id ipſum epigraphe averſæ partis ejusdem numiſmatis confirmat: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. & præterea Antigonus Neptuni ſpecie Athenienſium hoſtibus minas tridente ſublato intentat. (63) Præter alias honoris teſtificationes liberatori ſuo inpenſas tribubus duabus Antigoni & Demetrii nomen fuit inpoſitum, denique ſancitum ut amborum regum effigies intexerentur velo, ſeu *Peplo* Minervæ pe-

(62) Nimium hic conjecturis indulget noſter; Cum eodem anno Seleucid. 306, A. X. 7 celebris illa ad Citium navalis victoria a Demetrio parta ſit, Athenienſes typum Syriacarum urbium, cujusmodi numos huic potius, quam Athenienſi concioni adcommodatos, habemus, imitatos fuiſſe, extra dubium mihi eſt, haud aliter nempe ac Syriacæ urbes (ut Acca quæ poſtea Ptolemais apud Anon. Pariſ: *Recueil pag.* 12 *Tab. II.*) Macedonicum Jovis ſedentis typarium adjecta inſcriptione Phœnicia ſub Alexandro M. reſtituerunt, egerint adulatores Græculi.

(63) Quia communi autorum conſenſu nec Antigonus ante pugnam ad Citium feliciter a filio conmiſſam diadema cum regis titulo adſumpſit, neque hos honores filio, niſi tum indulſit: συγχωρήσας τῆς αὐλῆς τυγχάνειν προσηγορίας καὶ τιμῆς ut Diodorus *L. XX*, Plutarchi ſolius locus ex numi noſtri inſcriptione, tardius ut περιςάςεις conficiunt, conprobari non poteſt. Neque commodius Neptunus minitans ad Antigonum trahitur, cum contra Munychiam nihil navibus, his vero ſolis contra Ptolemæum actum ſit, atque idem Neptuni geſtus in aliis ejusdem principis numis videatur.

Digitized by Google

Vide etiam Suidam vocabulo πέπλος.

culiari ratione ſacro, ut *Servius in Virgil. L. 1. Æneid.* contendit, quia in eo præſtantiſſimi duces ob facinorum gloriam apud Athenienſes acu depingebantur. (64)

Alter Athenienſium numus exhibitus fuit tomo hoc II. pag. 76.

* AEGINA. vide tomi I pag. 224.

TABULA X.

ÆGYPTUS.

Caput muliebre mitratum ΣΩΤΗΡΑ. a tergo urceus & literæ B. Δ.)(Fortuna ſtans d. temonem, ſ. cornu copiæ. ΚΑΛΛΗ. ΤΥΧΗ. ΑΙΓΗΠΤΟΥ. *D. Richardi Edgecumbe. Tab. X. N. 1.*

Multis abhinc annis rariſſimus hic numus ab antiquario Gallo omni eruditione conſpicuo in medium productus fuit, adtamen non ſine aliquo diſcrimine; Videbatur nempe

(64) Quia Plutarchus loco indicato, cum ſuperius dixiſſet: ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῷ πέπλῳ μετὰ τῶν θεῶν αὐτοὺς ἐψηφήσαντο; *decreverunt eos peplo cum diis inſerendos*, infra ſubjicit: Επεσήμαινε τοῖς πλείστοις το θεῖον - - - ὁ μὲν γὰρ πέπλος - - - πεμπόμενος διὰ τοῦ Κεραμικοῦ μέσος ἐῤῥάγη. *In plerisque dii ſuam offenſionem oſtenderunt, - - - peplum enim - - - - per Ceramicum portatum medium a procella disruptum eſt.* Non video, qui cohæreat mos, quem ex citatis autoribus conlegit, duces bene meritos peplo intexendi.

Digitized by Google

pe ſibi in antica caput Antoniæ, in poſtica Agrippinam Claudii, quæ ambæ ejusdem imperatoris uxores erant, intueri, ita enim legerat: ΚΑΛΛΗ. ΤΥΧΗ. ΑΓΡΙΠ-ΠΕΙΝΗ. loco ΑΙΓΗΠΤΟΥ, id quod in numum parum conſervatum conjici debet, cum in noſtro literæ nitidiſſimæ quam optime diſtinguantur; Quid quid ſit, viro erudito diſſentire cogor, quia nec Antoniæ caput, nec Agrippinæ nomen usquam video.

Mea opinione numisma in Ægypto cuſum eſt occaſione ultimæ anni diei, quæ Fortunæ deæ feſta erat, atque hac antiquiſſimo more inductum fuit in omnibus Græciæ urbibus, atque in Ægypto potiſſimum, S. Hieronymo apud Lilium Giraldum teſte, ut epulum daretur largiſſimum, *& poculum mulſo mixtum*, quibus ſacris & gratiæ pro fertilitate anni exeuntis agebantur. In antica igitur caput Fortunæ mitratæ nobis objicitur, utpote Pluti, qui divitiis præeſt, matris, nomine ΣΩΤΗΡΑ *Servatrix* adjecto, vas a tergo libationes deſignat, Literæ ΒΔ Βουλὴν *Senatum* Δῆμον *Populum*, (65) quum tam hic, quam ille ſumtus contribuebat. Parte numi averſa cum ſolitis adtributis ſe dea ſiſtit ΚΑΛΛΗ. ΤΥΧΗ. ΑΙΓΗΠΤΟΥ. *Bona Fortuna Ægypti.* Obſervatione digna eſt ſcribendi ratio vocabuli ΑΙΓΗΠΤΟΥ litera Η pro Υ adhibita, id quod eruditorum capita exercebit.

De diis gentium Syntag. XVI p. 630.

Ibid.

ACHAIA.

---

(65) Literas has hodie interpretamur: Δόγματι Βουλῆς *Decreto Senatus.*

ACHAIA.

D. Devonsh. Caput Cereris)(Figura muliebris ſtans cum ſceptro & cornu copiæ. ΑΚΑΙΩΝ *Achæorum.* Numus craſſiuſculus, integer atque boni artificii. *Tab.* X. *N.* 2.

Scalprum, forma, metallum ipſum numi hujus ſingularis officinam Syriacam produnt, qua in opinione mecum Maſſon noſter conſentit. His adjunctis atque ſcribendi ratione, qua vocabulum ΑΚΑΙΩΝ diverſo modo exaratur, quam in numis Achaiæ Peloponeſi obtinet, inductus, quæ tandem hæc Achaia ſit, cum inveſtigarem, Tom. II L.3.c.12. pag. 458. nusquam, niſi in Appiano apud eruditiſſimum Cellarium eam reperi, qui hanc inter Syriacas urbes recenſet: *Perinthum, Achaiam, Oropum, Amphipolim, Aſtacum, Tegeam, Heream, Apolloniam.* Sitam eam ſolo fertili, & tritici feraciſſimo ob cultam Cererem, cujus caput in antica numi parte objicitur, poſticam etiam obtinere videtur Abundantia. (66)

ÆGO-

(66) Quia numus eam antiquitatem non ſpirat, qua litera K pro X eſſet adhibita, Haymius, qui tam oculatus erat, ut officinam Syriacam divinaret, non niſi Italica pronuntiandi ratione ſeduci poterat, ut in Appiano ignotam aliis geographis omnibus, atque ab ipſo Alexandrino ſcriptore, obiter ſolum indicatam inveſtigaret, cum ſatis ei familiaris Stephanus commodius multo urbem Acen Phœniciæ ſubpeditaſſet, a qua gentile Ἀκαῖος ὡς Βαρκαῖος ſine minima aut grammaticæ, aut orthographiæ injuria profluit.

ÆGOSPOTAMI.

Caput muliebre laureatum, pileo forma caniſtri te- *D. De-*
ctum)(Capra. ΑΙΓΟΣΠΟταμίτων vel ΑΙΓΟΣΠΟ- *vonſh.*
ταμοι *Capræ flumina.* Fabricæ optimæ integerrimus. *Tab.*
X. *N. 3.*

Deam, cujus caput antica præfert, Junonem habeo,
aut Hellen Athamantis regis filiam, quæ Helleſponto, ubi
Ægospotami, nomen dedit. Plinius in hæc verba: *Cherſo-* *L. IV c.*
neſus a Propontide habuit Tiriſtaſin, Crithotem: Ciſſam flumini *11.*
Ægos adpoſitam. Stephanus vero: ΑΙΓΟΣ. ΠΟΤΑΜΟΙ
Capræ flumina, urbs in Helleſponto. Hanc ad urbem Lyſan- *Pauſan. L.*
der captum Philoclem claſſis Athenienſis prætorum ali- *IX c. 32.*
quem, cum quatuor millibus dedititiorum non ſolum oc- *& L. IV*
cidi juſſit, verum etiam cadaveribus vel terræ pugillum *cap. 26.*
injici vetuit. Eodem in loco adſervatur lapis de cœlo *vide Plu-*
lapſus, quem propterea incolæ magna veneratione proſe- *tarch. in*
quuntur. *Lyſandro.*

* ÆNUS urbs: Vide inter Viros inluſtres hujus tomi pag. 86.

ACRASUS.

I Caput Herculis barbatum)(ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ *Acra-* *D. De-*
ſiotarum. Teleſphorus ſtans. *Tab.* X. *N. 4.* *vonſh.*

II Caput Palladis galeatum)(Inſcriptio eadem. Leo *D. De-*
gradiens. Uterque operis laudabilis, aliquid a temporis *vonſh.*
injuriis perpeſſus eſt. *Tab.* X. *N. 5.*

Acraſi urbis nomen apud geographorum neminem adnotatum reperi, pauci ſolum ſub imperatoribus, neque ante Septimium Severum percuſſi, atque a *Vaillantio* relati numi ejus mentionem faciunt, cum ea præterea notitia, civitati prætores præfuiſſe. Idem ſcriptor eam Lydiæ adſcribit, quam conjecturam probare debeo, cum fere in rariſſimorum horum numorum ſingulis ſignum Dianæ Epheſiæ ſit cælatum, unicus nempe Severi capite inſignis Æſculapium ſiſtit, qui typus cum averſa primi noſtri numi congruit. Pallas, leo & Herculis caput mihi perſuadent, Acraſiotas Macedonicæ fuiſſe originis.

Patin. æris med. pag. 226. Miror eruditiſſimum Patinum in Severo ſcripſiſſe, multas hujus nominis eſſe urbes, neſcio enim ubi has detexerit; oportuiſſet ſaltem legentium commodo ſcriptores indicare. (67)

APOLLONIA.

D. Devonsh. Caput Alexandri M. pelle leonis tectum ΑΛΕΞΑ. ΚΤΙC. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ. *Alexander conditor Apolloniatarum*)(Duæ mulieres ſtantes cum haſtis dextras jungunt ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΙ. ΛΥΚΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Apolloniatarum & Lyciorum Concordia. Tab. X. N. 6.*

Tot

(67) Poterat poſt primum lapſum, quo gentile ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ ab ΑΚΡΑ derivavit, ita ſcribere Patinus, hujus enim nominis urbes decem conmemorat Stephanus; ut adeo potius admiratio Haymii atque inde profecta negligentiæ reprehenſio miranda ſit.

Digitized by Google

Tot Apolloniæ a geographis recenſentur, ut decernere non auſim hanc præ illa noſtram eſſe, quæ de Alexandro conditore, ſilentibus ſcriptoribus gloriabatur. P. Harduinus eam in Caria locat, pro qua conjectura rationem aliam non invenio, quam Lyciæ viciniam, cum qua concordiæ vinculo erat conjuncta; Verum eodem argumento etiam effici poterit, Apolloniam hanc in Piſidia fuiſſe ſitam. Præterea videmus concordiam inter urbes & provincias admodum disſitas intercesſiſſe, quare cum in hujusmodi conjectura adquieſcere nequeo, controverſiam hanc evolvendam viro me peritiori relinquo. (68)

ASIA & APAMEA.

Caput Cybeles turritum)(ΑΣΙΕΩΝ. ΑΓΑΝΙΚΟΣ vel ΔΙΟΝΙΚΟΣ. Faunus ſtans dextra & ſiniſtra tibia canit. *Tab. X. N. 7.* *D. Devonsh.*

Homerus apud Stephanum campi Aſii, Stephanus vero ipſe etiam urbis Lydiæ meminit, dictæ Aſiæ, ubi cithara triplicis chordæ inventa erat; Sedes urbis forſan commode dicto in campo Lydiæ, juxta eruditisſimum Cellarium a Mæandro, & Cayſtro fluviis intercepto conſtituetur, ubi etiam conventus præcipuarum ejus regionis urbium ut Epheſi, Magneſiæ, Trallium, & Nyſæ agebatur, *pag.* 178. *pag.* 139.

(68) Anonymus Pariſinus *Recueil &c. pag.* 21 *Tab. II* numum ſimilem adfert, inſcriptum: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ Κ. ΛΥCΙΑΔΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ., atque ſententiæ Cl. Harduini pondus aliquod adcesſiſſe arbitratur ob viciniam, quæ inter Lyſiadem Phrygiæ & Apolloniam Cariæ intercedebat.

tur, quas ſub imagine Cybeles in numi antica repræſentari ſuſpicor, niſi ipſius urbis Aſiæ Genium ſignatum quis velit.

Conventus hos ad ludos muſicos, a cantu Lydio, celebres edendos factos fuiſſe exiſtimo, ita enim a veteribus molles quidam & effeminati ſonorum numeri Lydis uſitati nominabantur, cum quo muſicæ genere ſane aptisſime congruit noſter ex Faunorum gente tibicen, qui duabus tibiis dextra & ſiniſtra canit, quarum uſus etiam in comœdorum ſpectaculis obtinuerat. Quia ex nomine præ Fauno exarato literæ aliquæ detritæ & dubiæ, neſcio an ΑΓΑΝΙΚΟΣ vel vero ΔΙΟΝΙΚΟΣ legendum, quod horum ludorum præfecti, ſingulis annis hac occaſione electi, eſſe poterit.

In muſeo Cl. doctoris Sherard alter numus conditur, in cujus antica etiam Cybele, in poſtica caudatus tibicen, ut in ſuperiore, videtur cum inſcriptione hac alia: ΑΠΑΜΕ - - - ΚΗΦΙΣΤ.; non ſolum ad Apameam ad fontes Mæandri ſitam referendum numisma videtur, ſed ob eadem feſta cuſum, ex quo liquet Apameam cum aliis urbibus, quas recenſui ad eorundem ludorum celebritatem concurriſſe. ΚΗΦΙΣΤ. - - *Cephiſtus* magiſtratus nomen eſt. Numi hujus imaginem dediſſem etiam, niſi in aliud tempus reſervaſſem, quo Apamenæ monetæ, quarum jam magnus conlectus eſt numerus, uno velut miſſu edentur.

AMA-

Digitized by Google

* AMASTRIS, AMISUS.

Utriusque hic alphabethi ordine foret locus, niſi, quia Ponticæ, ad literam Π eas rejicere placuiſſet.

ATARNEUS.

Caput Apollinis laureatum)(Equus dimidius, in cujus dorſo ſerpens ATAR. *Atarnenſium.* Nullo titulo mediocritatem excedit. *Tab. 10. N. 8.* *D. Devonsh.*

Atarneum Stephanus inter Myſiam & Lydiam e regione Lesbi locat, quare haud procul a mari; Quantum ex numi typo conjicio, tribus diis præcipuus religionis cultus ab incolis eſt inpenſus. Apollini ſcilicet, cujus ſacra ex Lesbo, utpote totius inſulæ patrii numinis, traducta fuerint: Neptuno deinde, & Æſculapio, quod ſignum averſæ ex equo & ſerpente compoſitum declarat. Quid tamen literæ ΞΗ indicent, non adſequor, epocham enim ut cenſeam, in animum inducere non poſſum, cum in alio laudati D. Sherard Η ſolum conpareat; Et ſi tandem numerorum notæ, ad quam demum æram eſſent exigendæ?

ATTALIA.

Caput pulcerrimum muliebre ΚΟΡΗ *Puella* vel *pulcra mulier*)(Aquila alis expanſis ſtans ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ *Attalienſium.* Tenui bractea, integer, & artificii boni. *Tab. X. N. 9.* *D. Devonsh.*

Attalia oppidum ab Attalo Philadelpho conditum eſt in Pamphylia, alia ejusdem nominis urbs in Lydia ſedem habuit: *Vaillantius* numos imperatoribus inſcriptos ad priorem, ad poſteriorem Lydiæ Harduinus refert, in hoc peritiſſimorum antiquariorum conflictu, temeritatis foret, me alterutrius ſententiæ, niſi graviore aliquo argumento ſubnixum, adcedere. **ΚΟΡΗ** nominari ſolet Proſerpina: aquila ad Macedones pertinet, unde ſanguinem ſe duxiſſe gloriabatur Attalus; Neuter horum typorum in numis imperatorum hujus urbis conparet. (69)

AT-

(69) Duo ad hunc numum monenda, primum: Harduinum in poſteriore editione numos ΑΤΤΑΛΕΩΝ ad Pamphyliæ urbem maritimam retuliſſe; atque ex ipſa hacce imperialium numorum inſcriptione profluit alterum: Dubium ſcilicet non vanum eſſe, an non numus ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ inſcriptus alteri provinciæ ſit tribuendus, idque, quia Attaliam illam ad mare Pamphylum itinere S. Pauli Perga Antiochiam ſuſcepto inluſtrem monetæ ſuæ inſcripſiſſe ΑΤΤΑΛΕΩΝ docet numus æneus muſei Auſtriaci Vindobonenſis a nobis vulgatus *T. I Cimelii p.* 81. *Tab.* 14 *N.* 6, quippe qui Neptunum ſtantem delphino ad pedes exiliente in poſtica exhibet; Nullum Augg. numum ſitus maritimi indicium, aut epigraphen ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ præferre vel in recentioribus libris obſervavi, unicum ſolum præter Haymianum ſine imperatoris capite, qui averſa Fortunam ſtantem exhibet, hac inſcriptione inſignem apud Arrigonium Tab. IV N. 42 reperi. Quia ergo urbes in gentilium nomine non ita variant, in mediterraneis Lydiæ cum Plinio pro duobus his numis alteram mallem quærere Attaliam, quæ forſan a Cyzicenis cultum Proſerpinæ, in quorum numis etiam ΚΟΡΗ. ϹΩΤΕΙΡΑ celebratur, traxerit, atque ad diſtinctionem ab altera diverſo modo gentilis derivationem inflexerit.

Digitized by Google

ATTUDA.

I Caput Genii laureatum ΔΗΜΟϹ *Populus.*)(Bacchus nudus ſtans cum adtributis ΑΤΤΟΥΔЄΩΝ *Attudenſium.* Artificis manu & conſervatione ſe commendat. *Tab.* X. *N. 10.* *D. Devonsh.*

TABULA XI.

II Caput & epigraphe ſimilis)(Epigraphe eadem; Amazon equo vecta: vitii aliquid contraxit. *Tab. XI. N. 1.* *D. Devonsh.*

III Caput turritum Cybeles ΑΤΤΥΔΑ)(Diana Epheſia. ΔΙΑ. ΦΛΑΒΙΑϹ. ΙЄΡΙΑϹ. *Per Flaviam ſacerdotem.* Integer numus & cæli boni. *Tab. XI. N. 2.* *D. Devonsh.*

IV Caput ſimile, inſcriptio eadem)(Tres ſpicæ. ΔΙΔΙ - - Π - - ΟΥ epigraphe hæc adtrita, quin vitium fecerit alia quavis ſui parte numus. Explicatio horum ſubjiciendis adjungetur *Tab. XI. N. 3.* *D. Devonsh.*

V Genii caput laureatum)(ΑΤΤΥΔΕΩΝ. Urnæ ut videtur, in quas ſubfragia, quibus magiſtratus electi, injiciebantur. *Tab. XI. N. 4.* *D. Devonsh.*

VI Caput Cybeles turritum)(Mulier ſtans (*Spei typus videtur*) ΔΙΑ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ. *Sub Claudiano.* (70) *Tab. XI. N. 5.* *D. Devonsh.*

Suis

(70) Ut mihi certum eſt, præpoſitioni ΔΙΑ, quod ſuperius ad

N. III

Digitized by Google

Suis in ruinis & oblivione ſepulta velut jaceret Attuda urbs, niſi præſentes monetæ aliquam ejus notitiam ſubpeditaſſent. Celeberrimus Cellarius, qui in eruenda vetere geographia nec perveſtigationi nec labori ulli pepercit, non niſi obiter hunc in modum de ea loquitur: *Hujus incerti generis* Ἄττουδα *Attyda* & Μόσυνα *Moſyna Hieroclis*, quas in Phrygia Pacatiana locat. Cl. *Vaillant.* tantam hujus urbis numorum penuriam inter imperiales Græcos expertus eſt, ut duos ſolum alterum ſub Caracalla, ſub Salonina alterum recenſeat, ambos eodem Jovis typo in poſtica ſignatos.

T. II pag. 168.

Numi noſtri non ſolum Attudam in Phrygia Pacatiana ſitam, ſed vicinam etiam Peſſinunti fuiſſe per celeberrimum ibidem Cybeles cultum declarant; Quid quod Cybele ipſa nomen Attuda ab Atyde caſto ſuo amatore adſumpſerit, quem etiam ſubinde in pinum transmutavit. Hinc ſuſpicor, inter urnas Num. V. diſpoſitos eſſe ſtrobilos, ut civibus Atydis, ſui forſan conditoris, memoriam refricarent.

Numi-

N. III fecerat Haymius, Latinum PER ſubſtituendum, ita miror a nemine, quod ſciam, ſingularem hanc magiſtratus inſcribendi rationem adcuratius diſcuſſam; An per Flaviam illam Epheſiæ ſignum, per Claudianum Spei ſtatua forſan dedicata, quorum monumentorum imagines numis cuſis monetarii publicare volebant? An illud ΔΙΑ vocabuli nobis ignoti initium, quo munus aliquod in Attudeorum re publica deſignabatur? Sed an idem utrique ſexui commune? Quid ſi ΑΙΛ pro ΔΙΑ legendum foret. Fateor mihi ubique aquam hærere.

Digitized by Google

Numinum ſigna quæ in aliorum numorum averſis percuſſa ſunt, pariter ad ſitus pleniorem notitiam conferunt, cultus enim Bacchi, qui Num. I conparet peculiaris erat Nicæenſibus in Bithynia: Amazonem, quam exhibet Num. II populi Phrygiæ & Ponti venerabantur, quia generoſum hoc feminarum genus ultra Thermoodontem incolebat; Hinc arguo, Attudam Sangario flumini adſediſſe. Demum conplura alia in hisce numis adtentionem ſibi vendicant, quæ inter eſt nomen & ſacerdotium Flaviæ, utrumque in vetere moneta inſolens; Quæ ſane dignum eruditorum meditationi argumentum præbent.

APHRODISIAS.

I Caput muliebre velatum. ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ. *Sacer Senatus.*)(ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩΝ *Aphrodiſienſium* Duo Amores ſedentes. *Tab.* XI. *N.* 6. *D. Devonsh.*

II Caput & epigraphe ſimilis)(Venus nuda, præ qua Cupido; epigraphe eadem. *Tab.* XI. *N.* 7. *D. Devonsh.*

III Caput muliebre velatum. ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ.)(ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩΝ. Mercurius cum adtributis *Tab.* XI. *N.* 8. *D. Devonsh.*

IV Caput ſimile)(Inſcriptio eadem; Juppiter ſedens. *Tab.* XI. *N.* 9. *D. Devonsh.*

Digitized by Google

D. Devonsh. V Caput juvenile diadematum. ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Sacer Senatus.*)(Epigraphe eadem; in baſi ignotum quidpiam fruticis ſpecie. *Tab. XI. N. 10.*

D. Devonsh. VI Caput juvenile laureatum, ΔΗΜΟC *Populus*)(ΑΦΡΟΔΕΙΣΙЄΩΝ. ΚΟΡCVΜΟC. Figura fluvii decumbentis. *Tab. XI. N. 11.*

Numi hi omnes laminæ tenuioris, integri & artificii boni.

Tres præcipuæ hujus nominis urbes novimus, quibus relati numi adſcribi poſſunt; harum una in Caria, ſeu Lydia, ad quam omnes ſuos imperiales numos contribuit *Vaillantius*: Altera Ciliciæ e regione Cypri inſulæ: tertia denique Thraciæ vicina Cardiæ, & Lyſimachiæ, muroque Cherſoneſi, duarum poſtremarum certum ſitum definire non poſſumus. Stephanus Byzantinus ad decem Aphrodiſiades recenſet, ut adeo mihi non ſumam, numos harum alicui temere adſignare. Neque a fluvio ΚΟΡCVΜΟC vel ΚΟΡCΥΝΟC, numiſmati ultimo inſcripto, qui ſitum urbis docere deberet, aliquid præſidii, cum eum fruſtra in geographorum libris quæſiverim.

Oppidis his ſingulis Aphrodiſiadis nomen ob religionem & templa Veneri ſuos intra limites ſacra adhæſit, Plinius ſane de illo Ciliciæ ita: *Promontorium & oppidum Veneris, a quo proxime Cyprus inſula.* Atque hinc eſt, quod in Num. I duo Amores invicem jocantes ſe objiciant, forſan horum alter caſtum, alter laſcivum amorem refert. Num. II Venus ipſa ex balneo prodiens ſe ſiſtit,

cum

Digitized by Google

cum Cupidine, qui ei pedes detergit, ſimile forſan ſignum in templo Aphrodiſiadis dedicatum fuerit. Num. III & IV præter Venerem Mercurium etiam & Jovem cultum ſuadent. Num. V quid in averſa parte fruticet, neſcio, niſi tres forſan corallii ſint ramuſculi, quod, cum easdem cum Venere velut natales cunas habeat, deæ dedicatum fuerit, unde mos profluere poterat, ut feminarum & puerorum collo adpenderentur ornatus cauſa, his etiam ſalutaria corallia pronuntiat Plinius.

TABULA XII.

APHYTE.

Caput Jovis Hammonis)(Aquila. ΑΦΥΤΑΙ. *Aphytæorum. Tab. XII. N. 1.* Cælum & conſervatio de melioribus. *Ex muſeo Com. Pembrok.*

Aphyte in Macedoniæ peninſula Pallene ſedem habuit, de qua Stephanus: *Aphyte, ſive Aphytis urbs ad Thraciæ Pallenam ſita, quæ a quodam Aphyto indigena nomen accepit; Civitas hæc templum Ammonis habet.* Pauſaniæ ſententiam ſubjicio: *Fertur*, ait, *Lyſandro, cum Aphyten urbem in Pallene ſitam obſideret, noctu viſum Ammonem, qui monebat, e re tam ſua, quam Lacedæmoniorum futurum, ſi a bello contra Aphytæos abſtinuerint. Perſuaſumque hoc indicio Lyſandrum obſidione ſoluta, Ammonis Lacedæmone religione majore colendi fuiſſe autorem. Venerantur quidem Ammonem Aphytæi cultu non inferiore, quam ipſi in Lybia Ammonii.* Novimus ex numis in colonia Caſſandrea ejus-

L. III c. 18. Plutarch. in Lyſandro.

dem peninſulæ oppido hujus Jovis numini cives fuiſſe devotos. Aquilam averſæ partis ad Jovem referendam eſſe, in vulgus notum eſt. Plutarchus in Iſide & Oſiride refert, Ammonem ab Ægyptiis Amun nominari, quod nomen ſecundum Manethonem Sebennitam obcultationem denotat; Hecatæus vero Abderita particulam adpellantis eſſe contendit, Ægyptios eo uti, dum ſe mutuo adpellant, cum enim principem deum eundem cum rerum univerſitate eſſe arbitrentur, ejus eſſe opinionis, eum utpote obſcurum & abſconditum ab ſe Amun pronuntiantibus orari, ut ſe manifeſtet.

ACHÆI.

I Caput Jovis laureatum)(Monogramma Achæorum cum ſiglis urbium. Argenteus pondere gran. 29. *D. Guilielmi Croſſe.* *Tab. XII. N. 2.*

II Caput ſimile)(Monogramma idem, cum ſiglis aliis. Ejusdem metalli, adpendit grana 32. *D. Richardi Edgecumbe.* *Tab. XII. N. 3.*

D. Devonsh. III Juppiter ſtans)(Mulier ſedens ΑΝΤΙΓΟΝΕΩΝ ΑΧΑΙΩΝ *Antigonenſium Achæorum*, Integerrimus. *Tab. XII. N. 4.*

IV Typus Jovis ſimilis)(Signum idem. ΑϹЄΑΤΩΝ ΑΧΑΙΩΝ. *Aſeatarum Achæorum.* *Com. de Winchilſea.* *Tab. XII. N. 5.*

V Juppiter idem, ΑΡΓΕΙΑΣ.)(Figura ſimilis.

ΜΕΣ-

Digitized by Google

ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Meſſanenſium Achæorum.* *Tab.* XII. *N.* 6.

VI Signum Jovis ſtantis)(Mulier ſedens. ΑΧΑΙΩΝ. ΑΡΓΕΙΑΣ. *Achæorum Argeas. Ambos poſſidet D. Maſſon.* Artificii conſervatione bona inferioris. *Tab.* XII. *N.* 7.

VII Juppiter qui in ſuperioribus, ΕΡΜΟΚΡΑΤΗΣ.)(Item ſedentis feminæ typus. ΚΑΡΙΝΟΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Carinæorum Achæorum.* *Tab.* XII. *N.* 8. Numus ſine ætatis vitio, ex muſeo *Equitis Fountain.*

Primi duo numi non niſi in ſiglis ab iis differunt, quos Goltzius & Begerus cum literis aliis vulgavere, in his interpretandis laborare nolo; (71) Reliqui quinque adtentione ſane ſunt digniſſimi, de quibus proinde opinionem meam depromere conabor. *Græciæ Tab.* 9. *Theſ. Brand. Tom. I. pag.* 445.

Ptolemæus Mantineæ ſitum ad alteram auſtri partem in Arcadia ad Laconicæ limites adfigit: Pauſanias narrat, Anchiſiam ibi fuiſſe montem, atque ad ejus radices monſtratum Anchiſis ſepulcrum: Strabo de eadem: *Mantineam* *L. VIII c.* 12. *L. VIII*

(71) Etiam his ſuus natus eſt Oedipus Cl. Sigfrid. Bayerus, qui operæ pretium exiſtimavit, hos magis vulgares Achæorum numos diſcutere *Comm. Petrop. T. V pag.* 361 & *ſeqq.* Haymianos duos explicat: *pag.* 373 Primum ſcilicet cuſum a Corinthiis, Nauplienſibus, & Megalopolitanis, alterum a Pharæis, Mycenæis, Tyriis Argolidis, ut nempe Peloponeſi, aliæve vicinæ urbes ad conventum Achaicum ſe adplicabant.

Digitized by Google

neam Epaminondas illuſtriorem fecit, victis ibi altero prælio
L. I c. 14. *Lacedæmoniis.* Oppidum erat Mantinea antiquitate ſpectabile
Iliadis L. II v. 607. teſte Pauſania, qua nec Athenis concedebat. Laudatum ab Homero in catalogo v. 114: *Tegeam habitabant & Mantineam amabilem.*

L. VIII c. 8. Conſulatur de eadem præſertim in Arcadicis Pauſanias, qui ad ejus notitiam conplura, libro indicato ita ille: „ tempore pugnam ad Mantineam conſecuto, diſſidio orto cum „ Lacedæmoniis, Mantinenſes *ab his ad Achæos defecerunt,* „ ut regiones ſuas facilius tuerentur; *Antigono vero, dum*
Circa an. V.C. 524. *Philippi, qui Perſei pater fuit, tutelam gereret, quod is Achæorum ſtudioſus eſſet admodum, & alios bonores babuere, & in ejus gratiam Mantineam mutato nomine Antigoneam nominarunt.* „ Nomen hoc, priſtino reſtituto abrogatum fuit „ ab Hadriano imperatore, id quod etiam deinceps conſervavit. Plutarchus in Arato verſus finem, ſi cui placuerit inſpicere, idem factum confirmat.

Verum ut ad ipſam numorum præſentium explicationem adgrediar, cenſeo, urbes, populosve in eis ſignatos adcesſiones fuiſſe, quibus Achaica reſpublica reliquæ Peloponeſi detrimento crevit, liquet id ex loco Pauſaniæ ſuperius adducto, ubi conmemorat, Antigoniam olim atque poſtea iterum Mantineam dictam, ſoluta, quam cum Spartanis habebat, ſocietate, ut ſuas terras tuerentur, Achæis ſe dediſſe, quare jure ſe dicere poterant *Antigonenſes Achæos.* Ita etiam dubium eſſe non poteſt, *Aſeatas* Mantinenſibus vicinos in idem fœdus conceſſiſſe, idem

de

de Caribus eſto judicium, de quibus initio deſcriptionis Achaiæ pluribus laudatus ſcriptor, alibi vero Caryam Laconicam ab Arcadica diſtinguit, hi ſcilicet etiam vel armis domiti, vel ſponte Achæis ſe adjunxerint; Neque quid obturbat, urbis nomen apud Pauſaniam non per I ut in numo, ſed per Y ſcribi, nam controverſiam omnem conponit Spanhemius, adſerens, non raro a Græcis has inter ſe literas fuiſſe permutatas. (72) *De præſt. & uſ. num. p. 73 Edit. 2dæ.*

Simili ratione in horum numorum duobus Argivi & Meſſenii Achæos ſe ſcribunt, imo in numo V eorundem popu-

---

(72) Quia de laudabili Cl. Haymii adcuratione in lecto numo bene conſervato dubitare non poſſum, fruſtra pro ΚΑΡΙΝΟΙΩΝ explicatione adcerſuntur Cares, qui Cariam frequentaverant, de his enim priore indicato loco ſolum agit Pauſanias, horum quippe epigraphe foret: ΚΑΡΩΝ. Nihil juvant duæ ab eodem diſtinctæ Caryæ Laconica ſcilicet, & Arcadica, etiam ſubcurrente Spanhemio, hinc enim formaretur ΚΑΡΥΑΤΩΝ. Quare de alio oppido circumſpiciendum; ſubpeditat hanc in rem aliquid Polybius *Hiſt. L. II c.* 41 ubi enumeratis urbibus, quæ iterum in fœdus Achaicum coiverunt, ſubjicit: ἅμα δὲ τούτοις Καρυνεῖς ἀποκατέστησαν. *cum his* (nempe Buriis) *ſimul & Carynenſes in priſtinum ſtatum reſtituti ſunt.* Commodius hoc quidem, atque Carynia hæc eadem eſſe poterit cum Ceraunia Strabonis, quam *L. VIII p.* 387 dum Ægio vicinam ponit, ait: αὐτοῦ καὶ ἡ Κεραυνία ἐπὶ πέτρας ὑψηλῆς ἱδρυμένη. *ibi eſt etiam Ceraunia altæ rupi ſuperſtructa,* aptiſſima ſane Iſeæ tyranni regia. Verum in diphthongo rurſus adhæreſco, nam a Καρύνια, ut oppidum nominat Polybius, Καρυνεύς atque hinc ΚΑΡΥΝΕΩΝ derivandum foret; difficile cogitatu eſt, bis in urbis ſuæ nomine non ſcribendo, ſed cælo exarando aut erraſſe, aut variaſſe monetarios.

Digitized by Google

populorum nomina conjuncta leguntur, (73) cujus cauſam in ipſo Pauſania reperimus, qui Argivos Meſſeniis & Lacedæmoniis ſanguine conjunctos docet, dum narrat, occaſione exortæ cujusdam litis a Meſſeniis petitum fuiſſe Spartæ, arbitrium controverſiæ Argivis communibus cogna-
L. IV c. 5. tis permitteretur. *Voluiſſe tamen ſe* (verba ſunt Pauſaniæ) *vel apud Argivos, qui utrique civitati eſſent ſanguinis neceſſitate adfines* &c. In ſingulorum relatorum Achaicorum numorum antica parte Juppiter præſtes gentis numen (74); in averſa vero ad unionem populorum demonſtrandam Concordia eſt ſignata. (75)

Pag. 57 edit. fol. P. Harduinus numisma M. Aurelii profert, in cujus averſa Amazon eques cum bipenne in humero atque hæc inſcriptio: ΕΥΜΕΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ *Eumenenſium Achæorum.* Poſtquam univerſa Græcia a Romanis ſubjugata fuiſſet, teſte Pauſania apud Harduinum *pag. 31* communi Achaiæ nomine conprehendebatur; quare minime mirandum Eumenenſes Lydiæ poſteriore ſub imperatoribus tempore

pore

(73) Metuo, ne ΑΡΓΕΙΑΣ., etſi ſciam Argivos etiam huic fœderi adceſſiſſe, nomen magiſtratus ſit, quale in poſtremo numo ΕΡΜΟΚΡΑΤΗΣ, cum populi alii, quin ipſi Achæi, gentile ſuum ſignari fecerint.

(74) Jovem hunc *Homagyrium* eſſe contendit Cl. Bayerus *L. indic. p.* 366.

(75) Cum haſta Concordiæ adtributum eſſe non ſoleat, atque præterquam in numo VI non diſtinguatur, quid mulier ſedens dextra præferat; de hoc ſigno, qui interpretis munere fungor, ſententiam ſuſpendere malo.

pore Achæos ſe dixiſſe. (76) Id quod ad numos noſtros multo antiquiores imperialibus, atque in Achaia propria percuſſos nihil adtinet. Illud non prætereundum, videri in his alias quasdam inſcriptiones, ut in cælatis imaginibus ſunt expreſſæ, quid tamen ſibi velint non adſequor, præterquam in horum aliquo, in quo nitide nomen magiſtratus ΕΡΜΟΚΡΑΤΗΣ *Hermocrates* legitur. (77)

BARIUM.

Caput Jovis laureatum, & barbatum)(Dimidia navis, ex qua Amor ſagittam jaculatur, infra delphinus. ΒΑΡΙΝΩΝ. *Barinorum.* Ex muſeo *C. de Pembrok*, periti artificis opus integrum. *Tab. XII. N. 9.*

Barium ex præcipuis Apuliæ urbibus ad mare Adriaticum, atque retento hodie antiquo nomine regionis *terra di Bari* dictæ caput, ſua intra mœnia oſſa S. Nicolai Myræ epiſcopi patroni mei, vulgo *S. Nicola di Bari* adſervat. Nullus hujus urbis numus lucem vidit hactenus; Ex eo, quem præ oculis habemus, colligitur, non Jovi ſolum, ſed Veneri etiam a civibus ſacra facta ob jaculatorem Cupidinem, quem in poſtica ferierunt. Dimidia navis oppidum maritimum, delphinus piſcium abundantiam deſignat.

(76) Id mirandum potius, cur Haymius neglecta regiuncula Achaide ipſa in Lydia ex Stephano ab Harduino indicata, provinciam Aſiæ voluerit Græciæ adjungere, velut tardius inductum Achaiæ nomen ultra mare pertinuiſſet.

(77) Vide notam ſuperiorem N. 72.

BLAYNDA.

D. Devonſh. I Caput muliebre hedera coronatum cum thyrſo ad pectus.)(ΒΛΑΥΝΔΕΩΝ *Blayndenſium.* Fortuna ſtans. Artificium bonum uſu aut ſitu aliquantum adtritum. *Tab. XII. N. 10.*

TABULA XIII.

D. Devonſh. II Caput nudum. ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤ. *Sacer Senatus*)(Vir nudus ſtans ad aram luculentam ſacra facit. ΒΛΑ - - ΔЄΩΝ. ΜΑ. *Blaydenſium Macedonum.* Cetera ſine vitio. *Tab. XIII. N. 1.*

D. Devonſh. III Caput laureatum ΔΗΜΟC. ΒΛΑΥΝΔЄΩΝ *Populus Blayndenſium.*)(Fluvius decumbens. ΒΛΑΥΝΔЄΩΝ &c. Nec ſcalprum nec conſervatio magnam laudem habet. *Tab. XIII. N. 2.*

IV Caput & epigraphe eadem)(Fluvius idem. CΤΡΑΤ. ΚΛ. ΜΙΛΗΤΟΥ. *Sub Prætore Claudio Mileto* ΙΠΠΟΥΡΙΟC *Hippurius.. Comitis de Pembrok. Tab. XIII. N. 3.*

De pop. & urb. pag. 95 edit. in 4to. Tam exigua Blayndæ apud geographos eſt mentio, ut ægerrime, ubi ſita eſſet, inveniri potuerit. *Vaillantius* agens de numis imperialibus, eam Lydiæ, verum in indice Phrygiæ adſcripſit, Harduinus vero Hieroclis, & aliorum ſecutus teſtimonium Lydiæ reſtituit. Diſcimus ex numis, urbem a Macedonibus habitatam præterfluxiſſe minorem quen-

Digitized by Google

quendam fluvium Hippurium, de quo iterum altiſſimum ubique ſilentium. Omnem fere igitur notitiam hoc de loco numis, iisque rariſſimis debemus: in noſtrorum primo ſub muliebri capite Bacchus latet, quemadmodum in altero ejusdem urbis ſub Caracalla percuſſo apud *Vaillantium*. Eædem literæ MA, quibus *Macedones* indicantur, in numis Philippi junioris, & Voluſiani item leguntur, id ſingulare habent noſtri duo poſtremi, quod fluvium oppido huic vicinum & hactenus ignotum, ſigno decumbentis, & nomine exhibeant. *pag.* 99.

BERYTUS.

I Caput turritum)(Victoria cum palma & laurea dimidiæ navi inſiſtens. ΒΗΡΥΤΙΩΝ. *Berytenſium. Tab. XIII. N.* 4. *D. Devonsh.*

II Caput ſimile)(Tridens cum delphino & Dioſcurorum pileis. ΒΗΡΥΤΙΩΝ. Mediocrem cælaturam compenſat conſervatio. *Tab. XIII. N.* 5. *D. Devonsh.*

Berytus Byblum inter & Sidonem maritimum Phœniciæ erat oppidum, ſi Stephano hac in re fides, a Saturno conditum, id certum, ab Julio Cæſare coloniam illuc deductam. Ad hoc tempus, qui hac in urbe cuſi fuiſſent numi, vidi nullos præter duos, quos exhibeo. Antica Cybelen referunt pro more, quo in moneta præcipuarum urbium ejus caput feriebatur; (78) Primi averſa victoriam mari partam

(78) Vide animadverſionem Comitis Criſtiani T. I. pag. 243 factam.

Digitized by Google

tam indicat, cujus tamen epocham divinare non licet. Alter conmentariis etiam inluſtratus eſt a Cl. Begero minus tamen adcurato, vexillum enim in poſtica, aut minus velum, quo puppem ornamus, eſſe arbitrabatur, dum in noſtro delphinum tridenti inplexum videmus, tam certum Neptuni & maritimarum urbium adtributum vel indicium, quam Caſtoris & Pollucis pilei, quos utrinque monetarius adjecit. Orthographicum alterum mendum in editione Begeri cubat, in ipſo Beryti urbis nomine, dum ΒΗΡΙΤΩΝ pro ΒΗΡΥΤΙΩΝ, quod in noſtro citra ullam dubitationem legitur, numum inſcribit. *Theſ. Brand. Tom. I pag. 512.*

BRIULA.

D. Devonsh. Caput juvenile radiatum. ΗΛΙΟΣ. *Sol.*)(Vir nudus ſtans. ΒΡΙΟΥΛΙΤΩΝ *Briulitarum.* Viridi ærugine inductus numus ſcalpri elegantiam conſervavit. *Tab. XIII. N. 6.*

Soli Plinius & Strabo oppidi hujus Lydiæ meminerunt; Quorum hic: *Circumjacent trans Mæandrum memorabiles vici Coſcinia & Orthoſia, citra vero Briula,* Βρίυλα, *Maſtura, Acharaca* &c. Apud illum vero leguntur *Briullitæ*, in MS. *Briulitæ*, alter apud Cellarium Πριυλλαν *Priullam* habet, verum numus de orthographia decidit. Solis caput cultum religioſum Apollinis, qui ipſe in averſa, etſi adtributa non bene diſtinguantur, repræſentari videtur, apud Briulitas viguiſſe indicat.

L. XV. *L. V c. 29.* *T. II. pag. 140.*

BU-

Digitized by Google

BUTROTUM.

Caput Palladis galeatum)(Spica BYTROTIΩN. *Butrotinorum.* Boni artificis, verum operis parum prominentis in cupro flavo. *D. Croſſe Tab. XIII. N. 7.*

Ubi ſedes huic urbi deligenda ſit, non invenio; T. Livius ſolus fluvii ejus nominis in Bruttiis haud procul a Locris meminit his verbis: *Hannibal a Butroto amni (haud procul is ab urbe Locris) nuntio præmiſſo* &c. Nomen de mendo ſuſpectum habet Gronovius & Cellarius, qui eam regionem ſecundum Strabonem & alios Halecem fluvium percurriſſe ſcribit. *Mea ſententia fieri non poterat, ut vel Livius vel ſcriba in nominibus tam diverſis permutandis laberetur ſine ulla omnino ratione; Quare probabilius forſan erit, ſitum ibi ad Halecem amnem fuiſſe Butrotum oppidum, &, cum ſæpius eveniat, ut fluvii urbibus contigui earum nomen trahant, a Livio urbis pro fluvii nomine acceptum eſſe. Id ſi obtinet, numus noſter ibi feriri poterat, cujus fabrica Magnæ Græciæ officinam ſpirat. Pallas anticæ, & ſpica poſticæ tam frequentes, notique ſunt typi, ut explicatione non egeant.

L. XXIX cap. 6.

Tom. I pag. 920.

BOEOTIA hujus populi numos recenſui T. I pag. 227 & ſeqq.

BYZANTIUM vide in hoc Tom. II pag.

Γ. Sub hac litera Γ. referenda foret urbs Gaziura verum, quia Pontica eſt, ſub litera Π conſtituitur.

Digitized by Google

DALDIA.

D. Devonsk. Caput Genii nudum. ΙΕΡΑ. CYNKΛΗΤΟC. *Sacer Senatus*)(Juppiter ſtans. ΔΑΛΔΙΑΝΩΝ *Daldianorum.* Tenuis laminæ, & artificii mediocris. *Tab.* XIII. *N.* 8.

In nullo veterum ſcriptorum Daldiæ aliquod veſtigium reperio, præterquam in Suida, verum neque hic ipſe niſi duo ſolum verba adnotavit: *Daldis urbs Lydiæ. Vaillantius* duos tantum hujus urbis numos ſub imperatoribus cuſos alterum cum capite Juliæ Domnæ, alterum Gordiani Pii recenſuit, ex quibus ſcimus, oppido præfuiſſe archontes, noſter cives cum Apolline & Diana Jovem coluiſſe præterea conmonſtrat.

DARDANUS vide hanc urbem T. I. pag. 239.

DEMETRIAS.

Caput Apollinis laureatum (79))(Juppiter nudus. ΔΗΜΗΤΡΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Demetrienſium Sacræ.* Ex cupro flavo. *Eſt equitis Abdy.* *Tab.* XIII. *N.* 9.

Non ad Theſſalicam illam mari ad ſinum Pagaſeum vicinam Demetriadem, cujus duo numismata ſua in Græcia dedit Goltzius referendum eſt noſtrum, neque enim eam *Sacræ* cognomine uſam conſtat, qua noſtra gloriatur: aliæ duæ a geo-

(79) Neſcio, quid effigiei potius, quam Apollinei capitis ſpecies in pictura objiciatur.

a geographis memoratæ Demetriades humilioris erant fortunæ, quam ut ejuſmodi titulum promererentur. Cui proinde noſter numus adſcribetur? Plutarchus in Demetrio refert, eum Sicyoni nomen ſuum dediſſe.

Verum hunc mittamus, dum Diodorus ſiculus minima adjuncta ſubpeditat, ex quibus Sicyonem Demetriadem ſacram, quæ numum præſentem ſignavit, conficere poſſumus. Ejus ſententiam in conpendium redactam ſubjicio: „ Coſſ. Ser. Cornelio & L. Genucio Demetrius in „ Græciam movit, cum ut iis populis libertatem redde„ ret, tum ut Caſſandro bellum inferret, quia vero eo „ tempore Sicyon Ptolemæi præſidio tenebatur, eam no„ ctu præter opinionem adortus, vi cepit. Paullo poſt „ milites, qui ſe in arcem receperant, ab expeditis jam „ machinis territi, caſtello dedito, abitum in Ægyptum, „ quem pacti erant, obtinuerunt: Perſuaſis deinde Syconiis „ ut in arcem ſedes transferrent, parte urbis portui con„ juncta ſolo æquata, civibus libertatem reddidit, divinis „ ab iisdem ob hæc promerita adfectus honoribus, nam „ Demetriadem nuncuparunt urbem, ſacraque & feſtos con„ ventus ejus numini peragendos annis ſingulis, aliasque „ honoris teſtificationes tanquam conditori ſuo decreve„ runt.

Diod. Sic. L. XX.

V.C. 450.

Vide Polyæn. L. IV. c. 7. *n.* 3.

Plutarchus ſub finem hiſtoriæ Demetrii, regem hunc Demetriade ſepultum adſerit; Ex his non ſolum conficitur, Sicyonem dictam fuiſſe Demetriadem verum ex ipſis Diodori verbis eam ab ludis, ſacrificiis & feſtis *Sacræ* cognomen obtinuiſſe, quod perpetuo monumento moneta noſtra confirmat, ita ut certum ſit, ex nullius alterius

Digitized by Google

us Demetriadis officina eam prodiviſſe, id quod in hanc diem geographos & antiquarios latebat. Præſtites deos Jovem & Apollinem eam habuiſſe ejusdem teſtimonio probatur.

DIOSCURIAS Vide Tom. I. pag. 240.

ELÆUSIS Ciliciæ.

Caput Jovis diadematum ΘΕ)(Victoria ſtans ΕΛΑΙΟΥΣΙΩΝ. *Elæuſiorum.* Scalpro bono par conſervationis nitor. Ex muſeo *D. Guilielmi Croſſe*, ſimilem poſſidet *doctor Sherard Tab. XIII. N. 10.*

Eleuſis parva ad Ciliciam campeſtrem pertinens inſula inter Cyprum & continentem e regione Lami fluvii ſita urbem ejusmodi nominis habuit, Archelai Strabone teſte regiam, ab Auguſto deinde Sebaſten dictam: Ex numi noſtri orthographia Stephanus & Strabo emendari poterunt, quorum ille nomen inſulæ Ελαιοῦσσα, hic Ελέουσα *L. XIV. pag. 671.* ſcribit. Victoria mea ex ſententia memoratum Archelaum eo probabilius reſpicit, quia in numorum altero doctoris Sherard præ Victoria monogramma a me ad marginem imaginis adjectum, quod ex literis Α, Ρ, Χ compoſitum initium nominis indicati a Strabone regis exhibet. Aliarum literarum ſcilicet ΘΕ ad caput Jovis, ΠΑΕΙ in averſa exaratarum explicationem eruditis relinquo.

ELE-

Digitized by Google

ELEUSIS Atticæ. Vide Tom. I. pag. 225.

TABULA XIV.

EUCARPE.

Caput Mercurii cum caduceo. ЄΥΚΑΡΠЄΩΝ. *Eucarpenſium.* Luna creſcens cum ſole in medio inminente. ЕΠΙ. ΚΛ. ΦΛΑΚΚΟΥ. *Sub Claudio Flacco.* Numus integer, cælatorem commendat. *Tab. XIV. N. 1.* *D. Devonish.*

Eucarpe Phrygiæ majoris, qua in Galatiam vergit, eſt oppidum, cum Ptolemæus illud Synnadæ vicinum velit; Stephanus, qui Eucarpen Phrygiæ minori adcenſet, in ejus fertilitatem, a qua nomen tulit, magnis laudibus excurrit, cumque vini dixiſſet feraciſſimam, ſubjungit: *Narrabant enim de hoc pago barbari, Jovem Cereri & Baccho feraciſſimam hanc regionem conceſſiſſe.* Mercurii religioſum cultum hac in civitate numi pars antica conprobat; Sol & luna poſticæ aeris temperiem denotant, cum ille calore, hæc pluviis, agrum germinationi aptum & fertilem faciant. (80) Hujus urbis aliquos inter numos urbium Græce loquentium nobiſcum conmunicavit *pag. 360.*

R *Vail-*

(80) Nollem, a tirone hanc minus ad hodiernam phyſicam exactam explicationem paſſim numis aliis, in quibus hæc ſigna percuſſa invenerit, adplicari, ne vel antiquiſſima aſtris inpenſa religio obliteretur, vel in Parthiam, quam ἄπορον dicit Strabo, aliaſve Ponti regiones illico aeris temperies ad hanc hederam inferatur.

Vaillantius ſcilicet honoribus Juliæ Piæ, Macrini, Maximini, & Treboniani Galli flatos.

THASUS inſula.

D. Devonsh. Caput Cereris velatum)(Capita Dioſcurorum inter duas vites. ΘΑΣΙΟΝ poſito Ο pro Ω *Thaſiorum.* Vernix nigra operis laudem cuſtodivit. *Tab. XIV. N. 2.*

Thaſus Thraciæ inſula ex mari Ægæo emergit ad oſtium Neſſi vel Meſti fluvii, vinis & marmoribus multum inclaruit, teſte Seneca *Epiſt. 86*, par in metallis, atque rebus aliis omnibus erat abundantia inſulæ, urbem antiquitas ornabat: Ne me diffundere cogar, Herodotus, Pauſanias, Stephanus, alii plures legantor. Caput Cereris velatum præter religionem tritici lætiſſimum proventum ſignificat, unde canit Dionyſius: *Thaſus, Cereris ſedes fertilis.* Sæpius jam a me dictum, Caſtorem & Pollucem a maritimis urbibus atque inſulis peculiari religione cultos. Vitibus duabus monetarii ſatis vini ſui & copiam & præſtantiam laudarunt, quo facit illud Apuleii: *Olitori & cauponi merito eſt conceſſum, olus & vinum ex bonitate ſoli commendare: Vinum Thaſium, olus Phliaſium*, verum arcani aliquid ab iisdem Thaſiis ſub his palmitibus reconditum arbitror, cum Plinius ſcribat: *Thaſios duo genera vini diverſa facere proditur, unum quo ſomnus concilietur, alterum vero, quo fugetur.*

Corn. Nep. in Cimone. — *Verſ. 523.* — *Apolog. pag. 289.* — *L. XIV.*

Conmemoratione dignum eſt, unicam a Vaillantio ſub Domitiano monetam produci. Monendus præterea eſt lector, numum hunc jam fuiſſe æri inſcapltum, ante-

quam

quam in præfatione promitterem, nullum a me jam in Goltzii Græcia aut Sicilia editum numum obtrudendum, calchographi labore peracto malebam hunc obiter adtingere, quam omnino omittere.

THYATIRA.

I. Caput Dianæ. ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. *Boretena*)(Aquila fulmini inſiſtens cum aſtro inter pedes. ΘΥΑΤΕΙΡ - - - *Thyatirenorum.* Artificium bonum vitium ætate contraxit. Ex muſeo *Equitis Abdy. Tab. XIV. N. 3.*

II. Caput ſimile)(Figura nuda ΘΥΑΤ. Κ. ΣΜΥΡ. ΟΜΟΝ - - *Thyatirenorum, & Smyrnenſium concordia.* Opus mediocre, nec melius conſervatum. *Tab. XIV. N. 4.* D. Devonsh.

Thyatira Lydiæ oppidum inter Sardes & Pergamum ſecundum Strabonem & alios ſitum: ex Plinii ſententia Lyco adluitur, qui ſimul vetus ejus nomen prodidit: *Pelopia aliquando & Eubippa cognominata.* Stephanus cognomen primum confirmat, addito altero *Semiramidis;* Thygatiram etiam dictam ſubjicit ob filiam Seleuco Nicatori natam, dum cum Lyſimacho bellum gereret. Ex Strabone diſcimus, eam Macedonum fuiſſe coloniam. Superſedeo de Smyrna ejusdem Lydiæ urbe plura dicere, quia alibi de ea egimus, & præterea, quæ adferri poſſent, protrita ſunt.

Singulare, quod ambo numi diſcutiendum dant, cognomen Boretenæ Dianæ datum, eſt. P. Harduinus in numo priori noſtro ſimili legit ΔΟΡΕΙϹΗΝΗ, non ſine ca- *De pop. & urb. in*

 ſtiga-

Addit. pag. 573. *Edit. in 4to.* ſtigatione Holſtenii, qui quam optime in ſuo legerat, quia uterque noſter lectionem Holſtenii ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ ita conprobat, ut altera docti Harduini ΔΟΡΕΙΣΗΝΗ locum jam habere non poſſit. Verum major difficultas obverſatur in occaſione, cauſave indaganda, ob quam Dianæ hoc cognomen adceſſit, ut ut ſit, præſtat tamen conjecturam huc adcommodatam inquirere, etſi divinationis via ipſum verum non adtingatur.

Primum arbitror fieri potuiſſe, ut cives ſub ſpecie Dianæ Perſicæ effigiem Thygatiræ filiæ Seleuci (81) repræſentare voluerint ob rationes ſuperius memoratas. Deinde civitatem hanc peculiari religione erga Dianam fuiſſe, dubitare non licet; narrat enim Stephanus Byzantinus, Myſos Thyatiræ fundamenta jacturos, locum ſibi ſtruendi oppidi deſignandum quæſiviſſe ex oraculo, a quo reſponſum: illic conderent, ubi cervam jaculis percuſſam, fugientemque viderint. Ecquis ignorat cervam ſacrum Dianæ eſſe animal? Tacitus nos docet, Dianæ Perſicæ venerationem locis circa Thyatiram ſitis communem fuiſſe, ſcilicet Magneſiæ, Hierocæſareæ, & in campis Hyrcanis; Pauſanias etiam Hypepam adjicit.

Ann. L. III. c. 62.

L. V. cap. 27.

Dianæ

(81) Quod ex reverentia autoris, quem interpretor, ſuperius diſſimulavi, hic ſine ſpongia tranſire non poſſum; Omiſſo Græco Stephani loco Latina verſione contentus Haymius, ubi legiſſet: *Is cum audiſſet,* θυγατέρα *filiam ſibi natam, urbem ea occaſione* &c. exiſtimavit filiæ proprium nomen θυγατέρα eſſe. Verum hunc errorem non erraſſet Græco Stephani loco conſulto: ἀκούσαντος ait. ὅτι θυγάτηρ αὐτῷ γέγονε, τὴν πόλιν κ. τ. λ. cujus hæc ſententia: *audiens natam ſibi filiam* (cujus nomen nullus ad nos hiſtoricus tranſmiſit) *urbem* &c.

Digitized by Google

Dianæ Magneſiæ numorum documento cognomen erat ΛΕΥΚΟΦΡΥΝΗΣ, quid vetat, Thyatirenam dictam fuiſſe ΒΟΡΕΙΤΗΝΗΝ nomine a Borea vento derivato. Ex Herodoto ſcimus, ſtructam Boreæ ad Iliſſum ædem, quia Xerxis Perſarum regis exercitus magna ab hoc vento damna accepit, ſane ipſe, ex quo Orithyam Boreas rapuit, locus ad Iliſſum per Athenienſium agrum fluentem fuerat, ibique in vicinia ſuum etiam Dianæ templum fuiſſe ſcribit Pauſanias. Plato vero addit, non ſolum eo in loco fuiſſe Dianæ templum, verum ipſo in templo aram Boreæ. (82)

Hard. loc. cit. — *L. VII.* — *L. I c. 29.* — *In Phædro ſub init.*

Sacra hujus Dianæ inducta fuerint forſan Thyatiræ, atque ut ab aliis diſtingueretur, cognomen Boretene adjectum. Aquila in averſa primi numi ſignata, quia in numis imperialibus ſub Caracalla percuſſis eadem videtur, Jovis cultum conſtantem cives conſervaſſe oſtendit. Alterius numi minus integri, nec ſcalpri boni an Venus ſit, an deorum alius, dignoſci non poteſt.

Vaillant. in Caracalla p. 101.

THEBÆ Vide Tom. I. pag. 231.

HIERAPOLIS.

I. Caput radiatum ΛΑΙΡΒΗΝΟϹ)(Hygia ſedens a tergo in aream numi contruſus Teleſphorus ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ *Hierapolitarum. Tab. XIV. N. 5.* *D. Devonſh.*

(82) Neque Plato dicit in templo Agrææ aram fuiſſe Boreæ, ſed alicubi in ædis vicinia: Καί πȣ τις ἐςὶ βῶμος αὐτόθι Βορέȣ.

D. Devonſh. II. Caput laureatum ΓΕΡΟΥCΙΑ. *Senatus*)(Amazon eques d. bipennem, ΙЄΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. *Tab. XIV. N. 6.*

D. Devonſh. III. Caput radiatum. ΑΡΧΗΓЄΤΗC. *Archegetes.*)(Amazon ſtans cum bipenne. Tres hi numi bonæ fabricæ eandem conſervationem conjunctam habent; poſterior tenuioris eſt laminæ nigra minerali cruſta conveſtitus. *Tab. XIV. N. 7.*

D. Devonſh. IV. Caput muliebre lunæ creſcenti inpoſitum)(Epigrahe eadem. Victoriæ ſtantis ſignum. *Tab. XIV. N. 8.*

D. Devonſh. V. Pegaſus. ΒΕΛ.)(Inter duas tædas ara ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. Superioribus in ſcalptoris laude nihil concedit, vernicem nigram ex eodem ſolo traxiſſe videtur. *Tab. XIV. N. 9.*

D. Devonſh. VI. Caput laureatum. ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ.)(Fluvius decumbens, ΧΡΥCΟΡΟΑC *Chryſorhoas.* Peritæ manus opus integrum. *Tab. XIV. N. 10.*

TABULA XV.

D. Devonſh. VII. Caput turritum)(ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ ΠΡΟC ΠΥΡΑΜΩ *Hieropolitarum, qui ſunt ad Pyramum.* Artificium bonum minus ſervatum, cruſta mineralis nigra conpenſat. *Tab. XV. N. 1.*

Urbes

Urbes Hierapolis nomine ob templorum multitudinem dictæ, ſatis ſunt notæ, harum quatuor recenſet Stephanus, unam Phrygiam inter & Lydiam, Cretæ alteram, tertiam Syriæ, & Cariæ poſtremam: ex numis tamen, ut ſuo loco dicetur, unam aut duas forſan præterea fuiſſe conficitur.

Primum numum Hierapoli Phrygiæ adtribuo; In hujus antica Triſtanus, Patinus & P. Harduinus, qui ſimilem ediderant, legerant ΑΔΙΡΒΗΝΟϹ, ubi noſter certiſſimo inſcriptus eſt ΛΑΙΡΒΗΝΟϹ, nomen hic ſolis adeſſe cum illis conſentio, verum ſuſpicor præterea in literis ΛΑΙΡ ab aliis ſejungendis latere epocham, cujus annus III. indicaretur (83) ducto æræ initio ab anno V. C. 565, quo Romani, victo Antiocho M. Aſiæ urbes libertate donarunt, quo fieret, ut noſter numus ſignatus foret an. V. C. 675 paullo antequam Pompejus Syriam in poteſtatem populi Romani adſereret.

Com. hiſt. T. II pag. 333. Patin. in ære med. Elagab. Pop. & Urb. p. 573 Edit. in 4to.

Vide epocham Laodiceæ Cariæ in Græcis Vaillant. pag. 277.

Literæ reliquæ Soli convenire poterunt, ſi admittatur elementorum Λ in Ν permutatio, qua fieret, ut ex Aſſyriaco nomine Βῆλος enaſceretur Βῆνος. Conſulatur erudi-tiſſimus.

(83) Jugulatur hæc conjectura per literam Λ. Nam ſicut monetarii vocabulum ΕΤΟΥΣ nunquam per ſolum Ε, ſi duas Palæſtinæ urbes Dioſpolin & Eleutheropolin excipias, ſed minimum per conpendium ΕΤ. ſignarunt, ad cavendum errorem, quo elementum Ε pro numero V legeretur, ita alterum ſynonymum Λυκαβάντος ob eandem rationem nunquam recentiore Lamda ſeu Λ, quod XXX. valet, ſed vetuſto hocce L. indicarunt.

Digitized by Google

tiſſimus Joan. Seldenus *de Diis Syris* pag. 105. Invenio præterea in Suida: *Binus nomen deæ.* Autores multis argumentis confirmant, in Hierapolitanis templis deos ſub ſtatuis & nominibus remotæ antiquitatis fuiſſe cultos. Signa averſæ partis ab indicatis ſuperius antiquariis explicata ſunt, obſervanturque etiam in quibusdam numis ſub imperatoribus cuſis.

Vaillant. in Græc. p. 127 & 162.

Similem numo noſtro II deſcripſit Cl. Morellius, verum caput Senatus non juvenile, & velatum præterea exhibet; Laudati autoris præclaram obſervationem, qua monet, vocabulum ΓΕΡΟΥCΙΑ, rarum admodum eſſe in moneta vetere, ut probo maxime, ita concedere non poſſum, figuram in averſa parte equo vectam Cabirum repræſentare; bipennis enim, quam dextra præfert, de Amazone dubitare non ſinit, quæ in numis hujus tractus Aſiæ perſæpe feriebantur, ex quo ipſo confirmatur, hunc ex officina Phrygia prodiviſſe. Idem de numo III. ob cælatam Amazonem ſtantem eſto judicium, ramus, quem dextra gerit, ad Apollinem eſt referendus, cujus etiam caput cum rariſſimo cognomine *Archegetis* ſeu Præſidis, vel Principis; de hoc loquitur Pauſanias *L. I. c. 42* & Thucydides initio *L. VI.* (84)

Specimen Tab. 25.

In IV numo pulcerrimum & ſingulare Dianæ Luciferæ caput ſe obfert, de qua dea dum agit Cl. Lilius Gyraldus, ita incipit: *Diana dicta eſt, ſi Macrobio ſtamus, ab Jana*

De diis gent. Syntagm. XII pag. 491.

(84) Sponius in ruinis Hierapolis etiam marmor vidit inſcriptum ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓΗΤΕΙ T. III. p. 150.

Digitized by Google

Jana D litera addita, Jana enim Luna eſt, etiam Varroni de re ruſtica. Subjecti Horatii verſus diverſa ejus munia nitide deſcribunt:

Montium cuſtos, nemorumque virgo, L. III. Od.
Quæ laborantes utero puellas 22.
Ter vocata audis, adimisque letho
Diva triformis &c.

Si quis averſæ partis ſignum Victoriam eſſe noluerit, cum Diana etiam conciliabitur, juvante Pauſania, qui hanc aliquando etiam cum alis effictam narrat; atque tum ſub utraque forma apud Hierapolitas aras ſuas habuerit. *L. V. c. 19.*

Fabrica atque alia adjuncta numi, de quo loquebar, etiam loco V. poſitum Hierapoli Phrygiæ adſcribendum perſuadent; Antica parte Pegaſum refert, atque literas BEΛ, ex quo heroicos ab Hierapolitanis Bellerophonti honores habitos eo certius conjicio, quia ob victorias ex vicinia relatas in Lycia de Chimæra, deinde de Solymis & Amazonibus id maxime condecebat. Herois caput inter Viros inluſtres ſuperius dederam. Ara luculenta inter duas faces forſan Cereris ſacra indicat. (85) *Pag. 81.*

S VI.

(85) Etſi fabrica, præſertim oculis Haymii inſpecta plurimum ad dignoſcendam provinciæ hujus præ altera officinam faciat, dubium tamen hic oboritur, an non ob ſimilem partem averſam, item Pegaſum in numo CΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ ex meo muſeo ab Inl. Com. Criſtiani in adpendicula *pag.* 76. vulgato, Cariæ adtribuendus ſit potius numus, quæ ſane Lyciæ propior, quam ad Mæandrum aut Pactolum poſita urbs.

Digitized by Google

VI. Numiſma ab iisdem Phrygibus percuſſum eſſe debet, cum in averſa majoris fluvii, quia barbati, decumbentis typus, adjecto nomine ΧΡΥΣΟΡΟΑΣ. conparet, cujus, ubi de Tmolo monte locutus eſſet, ita meminit Plinius: *Et ex profluente Pactolo, eodemque Chryſorrhoa &c.* L. V. c. 29. Quare neceſſe eſt, aut alium curſum Pactolo fluvio definire, aut Hierapolin non inter Mæandrum, & Marſyam, ut vulgo a geographis ponitur, fuiſſe ſitam, id quod eruditis perpendendum relinquo. (86) Nunquam hujus nominis fluvius in numis conparuit.

HIE-

(86) Cl. Sponius *Voyage I*, qui Phrygiam antiquariis, iisque criticis oculis luſtraverat, quin de Pactolo mentionem minimam faceret, ita ſitum Hierapolis *pag.* 357. deſcribit: *Sita eſt ad pedem editi collis, qui in meridiem planitiem quinque leucas latam deſpicit, fere e regione Laodiceæ, Lycus fl. inter utramque ita decurrit, ut Hierapoli ſit vicinior.* De Laodicea vero loquens: *ad ſeptentrionem*, ait, *habet Lycum* (Marſyam Livii) *qui ſe Mæandro infundit.* Hinc ita arguo: certum eſt Sponium de Hierapoli Haymii loqui, ſiquidem autoptes & de multitudine templorum conlapſorum & de marmore Apollini Archegeti inſcripto meminit; Certum præterea Sponium non labi in nomine Lyci, cum item certum ſit, hanc Laodiceam, ut ab aliis dignoſceretur, dictam fuiſſe *ad Lycum* numis ſubfragantibus. Cum ergo notum ſibi nobisque fluvium inter utramque, viciniorem tamen Hierapoli fluxiſſe ſcribat, & remotior altera inde velut cognomen adſumſerit, quidni Lycum potius præſente in numo jacentem exiſtimemus? Nec obturbat ſubſcriptum ΧΡΥCΟΡΟΑC: neque enim Plinius id nomen dat Pactolo, ut mihi videtur, ſed auri ramenta vexiſſe ſolum vult; Non quidem id ita notum de Lyco, adtamen cur

non

Digitized by Google

HIEROPOLIS.

Caput turritum)(ΙΕΡΟ-ΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ ΠΡΟC. Τ. ΠΥΡΑΜ. - - *Hieropolitarum, qui ſunt ad Pyramum.* Fluvius medio corpore ex aquis emergens d. aviculam geſtat. Cruſta nigra artificium bonum, ſed minus integrum obtegit. *Tab. XV. N. 1.* *D. Devonsh.*

Adeſt hic Hieropolis Ciliciæ campeſtris ad fluvium Pyramum, hactenus, quod ſciam, tam ignota, quam parum novi, quid avis, quam fluvii ſignum dextra tenet, denotet. Obſervari meretur nomen hujus urbis non per A, ſed per O ſcribi, ſimile quid alibi indicavi, ſcilicet hoc plerumque modo nomen Hieropolis Syriæ exaratum inveniri, ut ſequens numus confirmabit.

Caput Appollinis laureatum)(Mulier tribus ſcutis inſidens d. Victoriolam, ſ. haſtam gerit, capite exuviis elephantis tecto. ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. Præſtantis artificis numus integer. *Tab. XV. N. 2.*

non ab Hierapolitanis, qui magis propinqui proventum inde faciebant, idem nomen communi fluvio ad oſtentationem dari poterat, ut adeo ex numo ſilentium ſcriptorum ſubpleatur, qui de Lyci auro tacuerunt. Nulla hoc in ſyſtemate neceſſitas, aut Tmolum, unde Pactolus oritur, aut Hierapolin tranſponendi. Hæc niſi placeant, Chryſorrhoas in eandem urnam cum Hippurio, de quo ſuperius, erit abſcondendus, dum pudibundis nymphis ſe prodere viſum fuerit.

Digitized by Google

Tempore regum Syriæ percuſſum cenſeo, ita ut figura ſedens partam aliquam ab iisdem victoriam reſpiciat, atque per proboſcidem forſan doceat, non ſolum circa Apameam ab regibus elephantes nutritos, ut Strabo conmemorat, verum etiam in campis Hieropoli circumſitis. Apollinis in antica ſignati ſatis meminimus, dum de nexu hoc numen inter & Syriæ reges agebatur.

HIERA.

D. Devonsh. Caput Jovis laureatum)(ΙΕΡΑΣ. *Hiera.* in corona oleagina. Bono ſcalpro laboratus, vernice nigra a vitio protectus. *Tab. XV. N. 3.*

Si cum adtentione & antiquiſſima forma literæ P. & Jovis cultus perpenditur, ex duobus his argumentis conficitur, numum noſtrum nulli ex notis hoc nomine apud geographos urbibus eſſe adſcribendum. Quare certiſſime perſuaſus ſum, eum Germæ oppido Cyzico vicino flatum fuiſſe, de qua Ptolemæus: *L. V. c. 2.* *Oppida mediterranea minoris quidem Myſiæ, quæ ſupra Helleſpontum eſt, ſunt Scepſis, & Hiera Germe.* Ex numiſmate Seleuci I. Syriæ regis a me *Tom. I. pag. 30.* relato Jovis in hac urbe religioſum cultum obtinuiſſe liquet, atque ſuſpicor, primum ejus nomen fuiſſe *Hieram*, ſeu ſacram, ita dictam ob ludos Olympicos, quos ex corona oleagina averſæ arguo, ibidem celebratos. (87)

ILI-

---

(87) Si alibi adcuratus eſt Haymius, hic profecto dormitat; ita enim omnia, quibus ſuperſtruit, fundamenta infirma ſunt, ut

Digitized by Google

ILIUM. Vide Tomo hoc pag.

JULIAGORDUS.

Caput muliebre turritum. ΙΟΤΛΙΑΓΟΡΔΟC. *Juliagordus* *D. Devonsh.*

S 3

---

ut nihil magis. A poſtremo ordiamur; Cultum Jovis conprobat ex numo, quem *Tom. I. pag.* 30. *in not.* Pergamo adſcribi debere oſtendit Inl. Com. Criſtiani. Deinde arbitror, urbem ante ſtructam, quam ibi qualescunque demum ludi ederentur, qui ergo fieri potuit, ut præcipuum ejus nomen ab ſacris certaminibus deducatur? Liquido id de hac quidem urbe ex numo muſei Arigoni (parum ſcite inter Viros inluſtres *Tab. II. N.* 5. poſito) conficitur, qui in antica inſcribitur: ΙΕΡΑ. ΓΕΡΜΗ, in poſtica ΓΕΡΜΗΝΩΝ. quam cum eandem exiſtimem cum illa, quæ deinde Auguſtorum capita conſignavit, ſi ſignis numorum pugnandum eſt, Herculis ſane aras magis luculentas fuiſſe, Vaillantium inſpicienti patebit. Atque hæc argumenti pars una erat, cur nulli apud geographos notæ Hieræ adcommodari poſſet numus; Venio ad alteram: Antiquiſſimam τȣ̃ P formam prædicat noſter, verum bona Haymii venia antiquior character non quadrato capite, ſed in angulum roſtratus erat: Adcedit, quia nec in A nec in Σ aliquid remotioris ævi elucet, probabilem eſſe ſuſpicionem, ſcalptoris negligentia P quadrata Forma eſſe exaratum. Quæ ergo ex notis Hieris ferierit numum? fatentur mecum omnes, facilius eſſe, alienam refutare ſententiam, quam in ſignorum & adjunctorum penuria aliquid pronunciare; ſi tamen ad ſubfragium adigerer, Hieram Ægatum inſulam præferrem aliis: Coſſura in meridiem magis ſita coronæ item nomen ſuum inſcripſit: Lopaduſa non major in vicinia caput Jovis apud Goltzium præfert, id omne meæ conjecturæ eſt fundamentum, quod non niſi numi Fabrica, aut certus, unde adportatus eſt, locus magis firmum facere poteſt.

gordus)(Diana Epheſia. ΙΟΥΛΙΓΟΡΔΗΝΩΝ. *Juligordenorum Tab. XV. N.* 4.

Hiſtoricorum ſcriptis parum celebris Lydiæ urbs eſt Juliagordus, Ptolemæus ſolus apud Cellarium ejus ad fontes Hermi, & Sipylum montem ſitum indicat. Nullus hujus oppidi numus antiquariis innotuit, qui ita certo doceret, non poſſe inſcriptionem a *Vaillantio* indicatam ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΓΟΡΔΗΝΩΝ *Julienſium Gordenorum* de duarum urbium concordia explicari. Epheſia Diana numen velut patrium erat urbibus Aſiæ.

CABIRA quia in Ponto ſita, ad Π differtur.

CÆLINA.

Caput Palladis galeatum)(Pallas armata, (88) in area fulmen cum duobus aſtris. ΚΑΙΛΙΝΩΝ *Cælinorum* Numus integer. *Inter Pembrokianos adſervatus Tab. XV. N.* 5.

L. III. c. 19. Cælina in Venetis, erat alpibus vicina, cujus nemo præter Plinium meminit: *ex Venetis Atina & Cælina.* Refert Cellarius in ripa amnis propinqui ejusdem nominis marmor inventum cum hac inſcriptione: CILINENSES. Palladi & Jovi devotos fuiſſe cives numi ſigna connonſtrant, *L. II. cap. 9. pag. 71.*

(88) In perelegante gemino mei muſei numo, in antica nota ſextantis inſigni tropæum pro Pallade, de cujus capite nihil ſupra ſcutum atque infra galeam prominet, videre mihi videor.

ſtrant, atque forſan etiam Dioſcuris ob aſtrum utrinque cælatum. Nullus hujus oppidi numus in hanc diem fuit editus. (89)

CARRHÆ.

I. Caput Apollinis laureatum)(Dimidius lupus ΚΑΡΡΑΣ. *Carrhæ.* Inperitæ manus opus, fere ſine ætatis vitio. *Tab. XV. N. 6.* *D: Devonsh.*

II. Numus ſimilis præter diverſam literarum diſpoſitionem. *Equitis Roberti Sutton, Tab. XV. N. 7.*

Carrhæ, *clade Craſſi nobiles*, ut Plinius dicit, Meſopotamiæ urbs, Coloniis adſcripta fuit a M: Aurelio juxta *Vaillantium*, quo tempore Lunam, cujus præcipua religio, ſuis in numis ſemper feriebant monetarii Carrheni (90) ſæpe adjuncto etiam ſole, ut indicarent, ab hoc in illam lumen proficiſci. Idem hic ſub Apolline repræſenta- *L. V. c. 24.* *In colon. pag. 179.*

(89) Quia nullum certum ciſalpinæ Galliæ Græce inſcriptum, atque ſignis aſſis notatum numum hactenus vidimus, & præterea gentile ex *Cælina* potius formandum foret ΚΑΙΛΙΝΑΙΩΝ ut ΤΕΡΙΝΑΙΩΝ a ΤΕΡΙΝΑ. vel ΚΑΙΛΙΝΗΤΩΝ, ut ΑΙΓΙΝΗΤΩΝ ab ΑΙΓΙΝΑ. &c. Cæliæ Strabonis in Peucetia ſitæ (quod forſan ipſum Cælium Plinii) per quam via Brunduſio ferebat, ut numum potius adtribuam, & ſponte fluens gentile, quemadmodum a ΒΑΡΙΟΝ vicino ΒΑΡΙΝΩΝ & nota quadrantis cogit.

(90) Sub Alexandro Severo adſunt apud Vaillantium numi, qui in poſtica mulierem ſcopulis inſidentem, emergente ad pedes fluvio, ſine Lunæ vel minimo indicio repræſentant.

Digitized by Google

Ælian. de animal. L. X. c. 26. ſentatur, ipſe lupus, animal Apollini præ ceteris carum cujus etiam ſignum in Templo Delphico adſervabatur, huic numini congruit. Homerus Apollinis Lycogenis meminit. Quæ circa lupum in gyrum videntur, mea quidem ſententia, aut haſtarum pila ſunt, quæ venationem, aut radii, qui ſolem denotent. (91)

CNIDUS.

D. Devonsh. I. Caput muliebre)(Leo dimidius ΚΝΙΔΙΩΝ. *Cnidiorum.* Viridi cruſta tectus artificium inlæſum retinuit. *Tab. XV. N. 8.*

II. Eques galeatus d. duabus haſtis armatus)(Leo dimidius ſine epigraphe. Utroque titulo laudabilis numus. Ex cimeliis *D. Guilielmi Croſſe Tab. XV. N. 9.*

Celeberrimum Cariæ oppidum erat Cnidus in extrema cherſoneſi parte ſitum. Veneris Cnidiæ cultum celeberrimum antiquis ſuis erga Apollinem & Neptunum religionibus multo poſt tempore primum adjunxere cives, ob

(91) Quia ægerrime perſuadeor, Haymium non niſi in libro Vaillantii de coloniis typum Carrharum inſpexiſſe, mirari ſatis non poſſum, qui factum ſit, ut enorme fabricæ diſcrimen eum ab hac ſententia non abſterruerit; adſervatos duos cum ſimillimi animalis typo meo in muſeo numos cum Carrhenorum uno pluribus etiam in numaria non verſatis conparandos obtuli, nemo tamen erat, qui non diverſarum ſolum urbium, ſed provinciarum etiam eos eſſe ſentiret. Verum de his pluribus, ubi meos in adjicienda adpendicula produxero.

Digitized by Google

ob pulcerrimam ejus deæ ſtatuam Praxitelis manu elaboratam, de qua Plinius *L. XXXVI cap. 5.* Verum ut ad Apollinem redeam, cujus honori in Triopio Cnidi promontorio ludi, teſte Herodoto, celebrabantur: *Certamen Triopii Apollinis*, leonem in averſa horum duorum numorum ſignatum, tanquam ejusdem numinis indicium habebo ex Æliani ſententia, qui leonem ſacrum Apollini ſcribit: congruit etiam eques duobus telis armatus, quem poſtica alterius exhibet, ludos nempe actos ſignificat. Deinde caput, quod in priore numo muliebre videtur, cum alibi oſtenderim Apollinem hoc habitu effictum, ne minimum explicationi ſignorum aliorum obturbat. *L. I.* *L. VI de anim. c. 39.*

Anepigraphi ejuscemodi numi, qualis eſt præſentium alter, ſatis frequentes ſunt & triti, quare diu adhæſimus, cui urbi præ ceteris adtribuerentur, quo dubio nos expedivit prior ſane rariſſimus, utpote qui absque controverſia ob operis, & ſigni ſimilitudinem omnes alios Cnido vendicat. (92)

CNOSSUS.

I. Caput Jovis ΚΝΩΣΙΩΝ Cnoſiorum)(Aquila. *D. Devonsh.*
T MNH-

(92) Tam certus ſum ut nihil magis, numum alterum anepigraphum ad Macedoniæ reges, atque ad Archelaum I. quidem pertinere, ut optime ex numo Inl. C. Arioſti a Com. Kevenhüller ductu Frœlichii edito arguit Pariſinus Anonymus *Recueil pag.* 5. *Tab. I.*, ubi ſimilem producit. Ceterum, ſi tanta horum numorum in Anglia eſt copia, cur ex privati potius quam Devonſhirii, Pembrokii &c. cimeliis aliquis laudatus ſit, hæreo.

ΜΝΗΣΙΘΕΟΣ. Β. *Mneſitheus iterum.* Mediocrem ſcalptoris artem conſervatio ſubplet. *Tab. XV. N. 10.*

TABULA XVI.

D. Devonsh. II. Caput Apollinis laureatum. ΠΟΛΧΟΣ)(Labyrinthus rotundus ΚΝΩΣΩΝ. *Cnoſiorum.* Argenteus atque integer, granorum 224. *Tab. XVI. N. 1.*

III. Caput muliebre ΚΝΩ)(Labyrinthus alius. Ejusdem cum ſuperiore metalli & elegantiæ, adpendit grana 151. *Eſt Com. de Winchilſea. Tab. XVI. N. 2.*

L. X. De notiſſima Cretæ urbe Cnoſſo ita Strabo: *Eximie vero Cnoſſum præconiis extollit Homerus, quam ingentem, & Minois regiam vocat, ſicut & Homero poſteriores. Diu ſane perduravit primas dignitatis partes tenens.* Et paullo inferius: *Cnoſſus Cæratus appellabatur a præterlabentis fluvii nomine.* *L. I. cap. 11.* Lactantius Jovem hoc in oppido ſepultum vult, unde ſumma illa hujus numinis veneratio, quam numus noſter confirmat, profluxerit.

Select. Num. Tab. 6. Eruditiſſimus *de Wilde* in quadam Cnoſſiorum moneta celebris illius labyrinthi quadratam ſtructuram, qua etiam apud alios ſcriptores reperitur, exhibuit, duos diverſæ formæ hiſce numis, niſi fallar, a nemine vulgatis, in lucem profero. Strabo *L. X.*, Diodorus Siculus *L. II. cap. 2.*, Herodotus *L. II.*, alii labyrinthorum mentionem inferunt, *L. XXXVI. cap. 13.* Plinius horum quatuor enumerat: Ægyptiacum, Cretenſem, Lemnium, & Italicum, additque Cretenſem

&

& Italicum ſua ætate in ruinas prolapſos; Exiſtimo nihilominus in harum regionum ſingulis alios & quidem diverſæ figuræ fuiſſe, ad quam ſententiam producti numi conpellunt.

Patinus in numis medii æris duo id genus ædificia proponit rotunda ambo, alterum cum capite Auguſti, cum M. Aurelii effigie alterum; ſuorum numorum primus Latina eſt inſcriptus lingua, alter quia crocodili ſignum præfert, ſapienter admodum a laudato ſcriptore officinæ Ægyptiacæ adtribuitur. Teſtibus Diodoro & Plinio Cnoſſius labyrinthus ad exemplum Ægyptiaci ſtructus fuerat; Rotundi labyrinthi apud Begerum meminere Suidas, & Heſychius in hæc verba: Λαβύρινθος κοχλιοειδὴς τόπος. *Labyrinthus locus cochleæ ſimilis.* Pluribus hunc perſequitur Tzetzes verſibus ſequentibus: *Theſ. Brand. T. I. p. 402.*

Athenienſis Dædalus Minoi in Creta
Cuſtodiam flexuoſam, & aſpectu cochleæ ſimilem
Exitu difficilem fecit, labyrinthum nomine.

Liquet proinde & plures fuiſſe labyrinthos, & formæ diverſæ; aut forſan uno aliquo vitium faciente, quemadmodum ſua ætate ruderibus ſepultum Cretenſem ſcribit Diodorus, alium, quin prioris ichnographia ſervaretur, extructum fuiſſe dici debet; quo admiſſo rotundum noſtrum antiquiorem habere oportebit, quia in numo Auguſti quadratum fecierunt monetarii. (93)

(93) Ex vagis, quas hic Haymius proponit, conjecturis nemo facile etiam cum Ariadnæ filo ita evadet, ut autoris ſententiam ſe

Caput primi numiſmatis Jovis eſſe dixeram, verum etiam Minoi, de quo initio, hujus tomi pag. 2. egeram, tribui poterit. II numi antica caput Apollinis hactenus in Cnoſſiorum ære non viſum repræſentat. Hæreo, an III monetæ muliebre caput Junonis eſſe pronunciem, an Paſiphaes uxoris Minois, an denique Ariadnæ ejus filiæ, a Theſeo primum amatæ, dein Bacchi conjugis, cui ob folia & grana, quibus caput eſt ornatum, magis convenire videtur. *Vaillantius* duos ſolum Cnoſſiorum numos alterum ſub Auguſto, alterum ſub Tiberio cuſum recenſet.

COMANA. vide ſub litera Π inter Ponticas.

CO-

ſe adſecutum fuiſſe, ſibi blandiri poſſit. Injuria infertur veterum architectonicæ, qui multum a nobis diverſi æternitati laborabant, dum eorum opera toties ruinam egiſſe cogitantur; Arbitror rem commodius conponendam, ſi dicatur, monetarios jam hanc, jam illam vaſti ædificii partem in typariis exſcalpſiſſe, etiam tum, cum jam tota moles ruderibus erat contumulata. Antiquitatis laudem, quam rotundo labyrintho tribuit, inanis eſt; ipſe poſſideo duos numulos libera adhuc Creta ſignatos, quorum alter antica caput Jovis, alter Europam tauro vectam exhibet, poſtica tamen utraque quadratum ædificium conſignatum habet. Si quid de hac ætatis præcellentia dicendum foret denique, eam numo tertio loco poſito adtribuerem potius, quippe cujus ichnographia ſimilis eſt illi, quam in numo argenteo maximi moduli nobis ex gaza Galliarum regis in ſuo tentamine palæographico repræſentavit amiciſſimus mihi Barthelemyus *Mem. de l'Acad. des inſcript. &c. T. XXIV. pag.* 47. de cujus numi ſumma antiquitate cum vero Minotauri effigies, tum areæ cavæ partis poſticæ dubitare non ſinunt.

Digitized by Google

CORINTHUS Tom. I pag. 140. & Tom. II pag. 81, 82.

CRANNON.

I Caput Jovis laureatum)(Currus, cui vas & duo corvi inſiſtunt. ΚΡΑΝΝΟΥ. ΕΦΥΡ. Numus integer ex muſeo *Com. Pembrok. Tab. XVI. N. 3.*

II Eques.)(Typus ſimilis ΚΡΑΝΝΟ. *Tab. XVI. N. 4.* *D. Devonsh.*

III Caput Jovis)(Eques. ΚΡΑ. *Tab. XVI. N. 5.* *D. Devonsh.*

Crannon Pelasgiotidis in Theſſalia oppidum ſitum inter Pharſalum & Lariſſam obtinuit, atque teſte Stephano Byzantino *Ephyra* olim dicta fuit, quod ipſum numiſmatis I epigraphe ΚΡΑΝΝΟΥ. ΕΦΥΡ. confirmat. Hac in urbe par ſolum corvorum erat; harum avium mores explicans Plinius ita diſſerit: *Itaque parvis in vicis non plus bina conjugia ſunt: circa Cranonem quidem Theſſaliæ ſingula perpetuo: genitores ſoboli locum cedunt.* *Pag. 368.* *L. X. c. 12.*

Errat Stephanus, par corvorum urbis alius Athamaniæ incolas ſcribendo, quæ quidem ejusdem nominis Crannonem Pelasgi filium conditorem habuit, de quo ſuperius pag. 82. (94) Error manifeſte tenetur, quia ex propoſitis numis conficitur, non ſolum urbem, in qua cuſi ſunt, ob no- *Pag. 477.*

T 3 men

(94) Vide ibidem notas 53 & 54.

men *Ephyræ* Theſſaliæ tribuendam, verum etiam ob ſigna poſticæ partis id peculiare habuiſſe, ut unum tantum corvorum par aleret; præterea eques in duabus poſtremis monetis ſignatus ſimili ſeu pileo ſeu galea tectus ſiſtitur, qualem ſupra in numo herois Crannonii vidimus, atque rurſus ſub litera Π & Φ in duobus Pelinæis & uno Pharſalico conſpiciemus; denique autores reliqui omnes præter Stephanum corvos hos nequaquam Crannoni Athamaniæ, ſed Theſſaliæ adſcribunt, qua in urbe ſpectata nominis derivatione potius natus Crannon, quam illius forſan conditor eſt habendus.

Major adhuc nodus in curru, cujus rotis corvi inſident, atque in vaſe inpoſito explicandus ſupereſt. Fruſtra his de ſignis apud ſcriptores aliquid luminis emendicaremus, niſi Antigoni narratio nobis eſſet conſervata hanc in ſententiam: *Signum, quo cives Crannonii Theſſaliæ ſuorum decretorum autoritatem confirmabant, corvos duos currui inſidentes repræſentabat, imago hæc currus, eum æneum exhibebat, quem inter anathemata adſervabant magno ſiccitatis præſidio, quippe deficientibus pluviis, eo in pompam deducto, atque velut campanam pulſato, imbres a diis impetrabant.*

Mirabilium Narrationum Congeries. Num. 15 *pag.* 123. *Græc. Lat. Edit. Baſil.* 1568.

Huic præclaræ narrationi *Antigoni* adjiciendum arbitror, non tam currum, ut ille loquitur, quam vas æneum, quod in numis ei inpoſitum videmus, utpote ſoni magis capax, pulſatum fuiſſe, demonſtratumque Crannonios, quemadmodum vaſa ad liquida recipienda finguntur, iſtiusmodi cœli favorum eſſe avidiſſimos. Emendandi ſunt ſcriptores, qui omnes nomen hujus urbis uno ſolum N ſcribunt. Jovis præcipuum cultum ex antica arguo; eques ſolitus Theſſaliæ

typus

Digitized by Google

typus eſt, niſi quis velit, ipſum Crannonium (*Crannonem*) de quo alias inter viros inluſtres, a monetariis ſignatum.

CRETA vide Tomo hoc pag. 72.

CYZICUS Ibidem pag. 7 - 9.

CYME Ibidem pag. 88, 89.

CYRENE.

I Caput diadematum & cornibus ornatum barba permodica, quod alii Batto, alii Jovi Ammoni tribuunt.)(Palma arbor, ſilphium, & cancer. ΚΥΡΑ. *Cyrene. Tab. XVII. N. 1.* *D. Devonsh.*

II Caput ſimile)(Palma, quæ arbor Ægypti, Judææ & Phœnices indicium, adeſt item ſilphium planta, ſupra quam litera H. Eadem per aream ſparſa epigraphe ΚΥΡΑ. Ambo hi numi æneі, nulla parte detriti ſunt, ſed artificis mediocris, atque craſſiuſculi, quare antiquiſſimos eos habeo. *Tab. XVII. N. 2.* *D. Devonsh.*

III Eques ΚΥΡΑΝΟ. *Cyrenenſium.*)(Planta Cyrenaica ſimilis, ſub qua animalculum, quod in adjecta imagine ad naturalem ejus magnitudinem depictum eſt. Numiſma perita manu elaboratum vitio caret, ex auro puriſſimo flatum, 66 grana adpendit. *Tab. XVII. N. 3.* *D. Devonsh.*

Quos jam deſcripſi mox explicandos numos, ſeparata tabella huc inſerta exhibet, atque ſimul animalculi figuram, quod ſub ſilphio ſeu laſerpitio in recenſione poſtremi numi commemoravi.

Aliquæ

Aliquæ jam Cyrenaicæ monetæ a Viris eruditione conſpicuis in lucem datæ fuerunt, nonnihil tamen a noſtris diverſæ, quare non convenit, ut longior ſim, conſulatur de his Begerus. Animalculum quadrupes numi aurei ſolum ſcriptionis meæ argumentum erit, quam ut lectori magis jucundam reddam, a quibusdam notitiis mihi ab eruditiſſimo noſtro doctore *Sherard* communicatis velut exordium ducam, adjicientur hinc inde meæ obſervationes, quibus vacare licuit, quia benignitate laudati Viri ipſum animalculum, ab eo inde tempore, quo ejus juſſu ex oriente advectum eſt, dum viveret, per anni circiter ſpatium domi meæ præ oculis habui, atque mortuum etiam in ſpiritu vini conſervo.

Theſ. Brand. T. I. p. 518.

Inter quam plurimos Cyrenaicos ex auro numos, hactenus non editos, duos videram Begeriano omnino geminos, aberat tamen ad pedem ſilphii noſtrum animalculum, quod primum ex talparum familia eſſe arbitrabar. Quare ſciens id genus quadrupedia in numis eſſe rariſſima, cum in uno ſolum Tenedio apud Goltzium ſacrum hoc Apollini Smintheo animal obſervetur, conparationem cum noſtro inſtitui, viſo tamen magno in cruſculis, cauda, & auriculis diſcrimine; Ad autores igitur hiſtoriæ naturalis erat recurrendum, in quibus dum diverſas hujus generis ſpecies inquirerem, inveni non ſolum de iſtiusmodi aliquo antiquiores ſcriptores Herodotum, Ariſtotelem, Theophraſtum, Plinium, Ælianum, Photium mentionem feciſſe, verum etiam illud ab Arabibus, Texeira, Oleario atque poſtremum a D. Paulo Lucas in ſuo itinerario adcuratius eſſe deſcriptum.

Theſ. Brand. T. I. p. 518.

Inſ. Græc. Tab. 14.

T. II. pag. 72. *Edit. Pariſ.* 1712. *in* 8vo.

Ex

Digitized by Google

Ex his conficeretur, animal hoc in Lybia, Ægypto, Palæſtina, regionibusque calidis aliis frequens eſſe admodum (95), illud vivum vel mortuum inde adportari poſſe cogitavi, ſcripſique eum in finem Aleppum, atque inde aliquot talparum illorum troglodytarum, qui venatoribus tanta negotia faceſſunt, obtentis, perſpexi quam optime, fraterculos eos eſſe illius, quem Cyrenæi in numo ſignaverant; horum unus autori hujus theſauri a me dono datus, vivis ſubinde coloribus, atque geſtu, ſituque vario ejus juſſu ante depictus, æri ſubinde naturali magnitudine ab eodem inciſus præſente in tabella exhibetur.

Dubitari non poteſt, eosdem hos eſſe cum animalculo, quod Μῦν *δίποδα* Herodotus, Hebræi שפן LXX interpretes *χοιρογρύλλιον*, S. Hieronymus ἀρκτομῦν, dixerat, ut hæc omnia fuſius pro ſumma ſua eruditione perſequitur Bochartus in *Hierozoico*, atque itidem cum Arabum *Aljarbuo*, ut ex ejus deſcriptione liquebit, ita *Damir* in capite de aljarbus: *Eſt animal, cujus pedes poſteriores longi ſunt, & priores breves admodum - - - - & pedes anteriores ideo breves habet, ut, cum aliquid timet, ad ſuperiora confugiat, neque ullum animal id aſſequatur. - - - - dixerunt* Algiahid, *& Alkazuinus eſſe inter ſpecies muris.* Itaque reapſe eſt ἀρκτομῦς, id eſt, mus cum urſo hoc commune habens, quod pedibus poſterioribus ingreditur, quos longiores habet.

V *Voca-*

(95) Nec frigidiores provincias verſus boream refugere liquet cum ex Oleario ab ipſo Haymio inferius referendo, tum ex Comment. Petrop. *ad an.* 1754 & 1755 ubi cuniculus hic pumilio in campis Tſcikoienſibus, Argunenſibus, & Ononenſibus ſedem fixiſſe dicitur p. 351.

Digitized by Google

Vocatur etiam Dirs & dur-romchi (id eſt haſtatus) continuat Damir, *nempe pro haſta caudam habet, ſimilem caudæ muris, quam ſurſum tollit, & in extremo eſt floris ſpecies, color eſt ut color* gazellæ ſeu *capreæ.*

Teixeira Luſitanus nominat *ratones del mato* id eſt: *mures dumeti,* & his verbis deſcribit Indici itinerarii cap. IV. *Son eſtos ratones del grandor de los grandes nueſtros communes, tienen el pelo pardo tirante a blanco: tienen del raton las orejas, manos, y la cola, cuya punta, y los ojos, y cabeça ſon da conejo, y las piernas como da gazella. Corren mucho ſaltando, hazen cueva como conejo. Y ay dellas grande quantitad por aquel deſierto.* (96) *Los Arabes los comen, y dizen, que ſon muy buenos.* Quibus verbis *Aljarbuo* deſcribi nemo non fatebitur.

De eodem ſic *Olearius* L. VI itinerarii Perſ. pag. 64. *Vidimus prope* Terkin (*in Circaſſia*) *muris agreſtis genus, Arabice* JERBUA *dicti. Huic ſciuri magnitudo eſt, neque forma diſſimilis, pilus tamen fuſcior, & caput muris, aures longæ, crura anterius brevia, poſterius longiora; Proinde non niſi in aſcenſu currunt, in planis fere reptitant, aut ſaltu ſupra terram ad quinque, vel ſex pedes efferuntur; cauda longa dorſo incumbens in caule glabra, in vertice hirta & albicans* &c.

Hoc quadrupes *Garboiſſe,* nomine ex *Jarbua* derivato, dicitur a D. Paulo Lucas, qui cum tria ex Ægypto adveхiſſet, etiam lineari in ære pictura ejus figuram exprimi curavit,

(96) Loquitur de Arabiæ parte Babyloniæ vicina, quæ diligens Bocharti deſcriptor Sherardus indicare ex eodem neglexit.

Digitized by Google

ravit, verum quam ea a vero diſcedat, inſtituta cum præſente conparatio docebit: abſunt in illius imagine myſtaces, quartus item digitus, qui calcaris ſpecie fere medio in cruſculo prominet &c. Non negabo quidem ſuperius dicta, ſit hoc animal δίπυς Herodoti, adtamen quia hic ſcriptor cum nequaquam hiſtoriam naturalem perſequi conſtituiſſet, non tam adcuratus eſt hoc loco, ut vellemus, arbitror ob eandem rationem haberi poſſe pro Γαλῆ, de qua ibidem ſequentibus verbis: εἰσὶ δὲ καὶ γαλαῖ ἐν τῷ σιλφίῳ γενόμεναι τῇσι Ταρτησσίῃσι ὁμοιόταται. *Sunt præterea muſtelæ, quæ in ſilphio naſcuntur Tarteſſiacis ſimillimæ* &c. animalculum ſane hoc in numo ad ſilphii radices conparet, atque forſan ipſiſſimum eſt *Aljarbuo*, quod *Bochartus* μῦν δίποδα habendum cenſet. *Melpom. c.92.*

Illud præterea non omittendum, animal hoc ad genus ſciurorum referendum, qui ob caudam piloſam, quam in dorſum erigunt, a talpis, muribus, muſtelis ſunt diverſi, neque aliunde nomen Græcum σκίουρος, quam quod cauda umbram faciunt. (97)

V 2 Spem

(97) Familiæ glirium adcenſum, ſingulare genus murium ſcilicet ob diverſam a ſciuris, ceteriſque dentium figuram conſtituit juxta adcuratam hodiernam Cel. Linnæi autoritate ſtabilitam animalium diſtributionem, eſt nempe: *Mus* jaculus, *cauda elongata, palmis pentadactylis, plantis tridactylis femoribus longiſſimis, brachiis breviſſimis.* Apud Aldrovandum de quadrup. *pag.* 344, cuniculus ſeu lepus Indicus Urias dictus. Cuniculum pumilionem ſalientem cauda longiſſima nominat Cl. Gmelin *in Comment. Petrop.*

Digitized by Google

Spem meam etiam de ſilphio in moneta ſignata aliquid in medium adferendi feſellit is, qui negotia Britannica Tripoli curat, dum promiſſa ſemina mittere neglexit, expectandum igitur, ſperandumque, ea adportanda, antequam tertium hujus operis volumen typis excuſum ſit, interim legi poſſunt, quæ hac de planta laudatus Paulus Lucas adnotavit: *Toutes les campagnes de Derna*, ſcribit, *ſont garnies de plante de Selſione, ou ſerpiſſione, que les Arabes apellent aujourdhui* Caſia, *ou* Zarra: *cette plante fait un petit buiſſon: la feuille en eſt epaiſſe & veloutée couleur de ſauge. Elle eſt toujours verte, & fleurie en toute ſaiſon. La fleur en eſt jaune, & jets pluſieurs bouquets, les uns dans les autres en forme d'artichaux. Les abeilles ne vivent, que de ces fleurs, qui rend le miel admirable. Cette plante, qui eſt marquée au revers des medailles de Juppiter Ammon, ſe trouve a Cyrene & a Libida.*

T. II. pag. 12.

Deſcriptio ſilphii ejusque qualitatum juxta autores veteres reperitur apud Matthiolum in Dioſcoridem pag. 419 *edit. Venet.* 1558.

Subjicio hîc, quæ mihi de forma, indole, & moribus hujus animalis obſervare licuit. Ad amuſſim ejus & magnitudinis & formæ eſt, qua in imagine repræſentatur, jam quatuor pedibus humi contractis quieſcit, jam ſolis poſterioribus inſiſtit, iisdem ſolis etiam ſemper graditur, territum ad inſignem altitudinem ſalit, curritque velociſſime ſubſultibus more avium, idque rectiſſima; oculos nigros & prominentes ea animat vivacitas, ut ſimilem in aliorum animalium nullo me experiri meminerim: pili longiores ſubtilitate caſtoreos ſuperant. Aures ſunt admodum ſubtiles, pedes anteriores quinque velut humanis digitis inſtructi, breviſſimi.

Maxilla

Digitized by Google

Maxilla utraque longis duobus dentibus (inferioribus ſubulatis, cum Linnæo loquor) armatur, quos magis minusve deducit. Myſtaces longiſſimi nigri ſunt, dorſi vero pilus coloris mixti flaveſcentis cum obſcuris & fere nigris maculis, ad leporinum aliquantum adcedit: venter albiſſimo veſtitus, uno ſolum foramine, ut avium uropygus pertuſus videtur, unde cum excrementis aliis etiam urinam ejicit. Crura tam longa ſunt, quam corpus reliquum, pes in tres digitos finditur, adjectis verſus cruſculi medium duobus velut calcaribus, adeo ut crurum figura cum avibus multum conveniat. Cauda æqualis flaveſcentis coloris perbrevi pilo contecta albo flocco, linea nigra per medium ſecto coronatur.

Quod cibum adtinet, diverſi generis propoſui experiundi cauſa: primis tribus aut quatuor menſibus amygdalis, piſtaciis, furfuribus tritici illud alui, nullo potu omni hoc tempore oblato, ſiquidem hoc muris genus nunquam bibere audiveram, quo tamen non obſtante largam urinam reddiderat. Didici poſtea, etiam pomis, ſiſeribus, rapis, atque herbis potiſſimum eum veſci, illis tamen ſolis, quæ minus ſunt odoratæ, ut ſpinacia, lactuca, urtica &c. rutam enim, mentham, thymum & id genus alias ne deguſtavit quidem: aquam etiam non ſine majore difficultate bibit neque ſemper tamen; erat, ut quadam die, cum valetudine tentatam exiſtimarem, aquam croco tinctam propinarem, adtamen eam ne delibavit quidem, quamvis ad prægustationem adigerem.

Ceterum panem, ſaccharum, & id genus alia, nunquam tamen caſeum, aut quæ ex lacte erant, in ci-

Digitized by Google

bum admiſit; Demum cum in arena rubra meum alumnum conſtituiſſem, tanto ejus ſe inferſit pondere ut manu ſublatus plus ſolito adpenderet, univerſim reliquis cibis omnibus ſemen cannabis, avicularum prandium, præhabuit. Bona lectoris venia conmemorare liceat, nec ipſum animaculum, nec ſtercus urinamve moleſti unquam fœtoris aliquid naribus obſudiſſe, quod ſane de cuniculis ſciuris, talpis &c. dici non poteſt, clypeato naſo ad horum animalium cubilia eſt opus.

Manſuetiſſimum expertus ſum ſemper, ita ut non tangi ſolum, ſed in omnem partem ſine morſus periculo verti poſſet. Lepore etiam magis timidum, ſe minora animalia metuebat: frigoris cum multum eſſet inpatiens, hieme prope fornacem eum conlocare oportebat. Non dubito, animalculum, hac ſui cura habita, victurum fuiſſe longiore tempore, niſi infortunio aliquo interiiſſet. (98)

Ne illud omiſerim, ſilphium cum γαλῇ (ſi Græce loquimur) animalculo has inter plantas nato, ſua in moneta a Cyrenæis, ut ſe pro urbis ſuæ gloria ab aliis diſtinguerent, conſignatum eſſe; id quod magis liquet ex iis, quæ

(98 Plura hodiernæ phyſicæ magis adcommodata de hoc mure meliore ordine, additis adcuratis dimenſionibus, atque imaginibus conſentientibus dabunt citati ſuperius commentarii Petropolitani; item der Schwediſchen Akademie Abhandlungen 1752 pag. 129 von der ägyptiſchen Bergratte.

Digitized by Google

quæ Cl. Bayle adnotavit in hanc ſententiam : Cyrenæi annis ſingulis ſilphii caulem in templo Delphico dedicabant, atque ſigillo urbis mulierem inſcalpi fecerant, quæ hanc plantam Batto conditori offerebat. (99) *Nouvel. de la Republ. des lettres Novemb. 1686. Art. 7.*

TABULA XVIII.

LACEDÆMONII.

Caput barbatum cum corona hederacea)(Vas ſerpente obvolutum inter Dioſcurorum pileos, infra quos ΛΑ prima nominis elementa : in margine ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΥ. Maſaniſſæ. Argenti optimi numus gran. 35, artificii optimi, fere integer. *Tab. XVIII. N. 1.* *D. Devonsh.*

Variis conjecturis diſtractus eram, ut numo huic aliquod lumen adfunderem, verum, ut quod res eſt, fatear, in harum nulla adquieſcere poſſum, adeo ut nullum explicatu difficiliorem numum me verſaſſe mihi videar. Dubitare non ſinunt eſſe Lacedæmoniorum cum literæ ΛΑ, tum pilei Caſtoris & Pollucis, atque ſerpens vaſi inplexus, typus in eorum ære frequens, quemadmodum numus conſequens indicat. Verum quid Spartanis negotii cum celeberrimo illo Numidiæ rege Maſſaniſſa, nec in autoribus, nec

(99) Criſin in hanc poſtremam obſervationem adpendiculæ ad Geſnerum ob numum Cyrenaicæ provinciæ ſingularem reſervo.

Digitized by Google

nec in meis divinationibus deprehendo (100) forſan nomen alicujus apud Lacedæmonios in magiſtratu conſtituti haberi poterit, verum inuſitatum ejusmodi apud Græcos; aſt quem unquam in Græcia Maſſaniſſam dictum novimus?

Nec

(100) Etſi difficile ſit, numo ipſo manibus non verſato conjecturam, quæ mihi ſubivit pronunciare, dicam tamen: recuſum arbitror, ut ab Arabibus multi numi regum Syriæ & imperatorum Conſtantinopolitanorum idem ſunt experti; perſuadet mihi hoc nomen ΜΑΣΙΝΑΣΣΟΥ extra marginem numi punctis deſcriptum velut ex priore typo deſtitutum. Momentum non exiguum ipſum metallum addit, præter Arei regis numum a Cl. Froelichio ex muſeo Inl. March. Savorgnan *Acceſs. nova ad Numiſ. regg. anecd. pag.* 1. *& ſeqq.* vulgatum, & alterum muſei Cæſarei, neſcio quo caſu a nobis in editione prætermiſſum, quem nuper admodum aliud quærens videram, antica repræſentantem caput diadematum, poſtica vas inter pileos Dioſcurorum, & has inferius literas ΠΕΙϹΙΠ præter hos inquam duos Spartanam argenteam monetam nullam novi, obelum aliquem hoc de argumento jam fixerat Inl. C. Criſtiani *T. I. p.* 132. hujus operis, ſub Agide nempe II circa an. A. X. 337, & magis ſub Lyſandro inrepſiſſe pecuniam auream & argenteam peregrinam, ſatis nota eſt deliberatio & ψηφισμα Spartanorum, quid auro & argento ex captis ab Lyſandro Athenis adportato faciundum; an non ut omnis fraus in legem caveretur, decerni poterat, ut peregrina argentea moneta typario Lacedæmonio refingeretur? Scio objici poſſe, majore tum copia iſtiusmodi nos viſuros numos; omitto, quæ reponenda ſubpeterent, ne commentarium ſcribam. Aliud ſubpedito: ſi Maſſaniſſæ nomen (non de celebri illo res hic eſt; ut Hannibales conplures, ita Maſſaniſſæ magiſtratibus potiti fuerint) ſi, inquam, nomen hoc non

Digitized by Google

Nec de vaſe, qualia duo in ſequente numo ſuis etiam ſerpentibus inplexa, vel in Pauſania, qui tamen de Lacedæmoniis bene fuſus eſt, vel alio aliquo autorum quidquam invenio, quod explicationi ſervire poſſet; In ſolo ergo barbato, atque hedera coronato capite calamus exercendus: Bacchi Indici illud eſſe cenſeo, qui reliquis antiquior barbatus nobis a Diodoro Siculo, duobus locis ejus mentione facta, depingitur: Duplici eſſe videtur forma, quoniam duo Dionyſii extiterunt. *Primus barba promiſſa* *L. IV. c. 5.* *antiquo more barbam nutrientium fuit: Pulcrior poſterior ju-* *L. V. c. 1.* *venis & (ut fertur) delicatus.* Id hic minime prætereundum, unicum huncce Lacedæmoniorum argenteum numum me vidiſſe hactenus, atque idem confirmat Cl. *Oudinet*, *Hiſt. de l'* qui, cum juſſu academiæ numos Athenienſes & Lacedæmo- *Acad. Ro-* nios in regio Galliarum theſauro conditos perluſtraſſet, *jale T. I. p.* nullum ex argento flatum ſe reperiſſe eſt teſtatus. *290. Edit. 2dæ.*

I. Capita Dioſcurorum)(Duo vaſa, quibus ſer- *D. De-* pentes obvoluti intra lauream. ΛΑ. quo compendio Lace- *vonsh.* dæmoniorum nomen fere in numis percuſſum videri ſolet. *Tab. XVIII. N. 2.*

X II.

---

accidere potuiſſe nemo negaverit, ut a Gylippo Spartano pro caſtrenſi pecunia numi Carthaginenſes, pretio forſan inferiore, ut Spartana paupertas reſtitueretur, in Lacedæmoniam monetam transformarentur ſub annum A. Ch. 413. & ſeq. cujusmodi Punica pecunia ſane maximo numero & pondere per diverſa bella aut per Pœnos ipſos, aut per Agathoclem regem iam anno A. Ch. 309. (ut de conmerciis, quibus Carthago florebat, nihil loquar) in Siciliam transvectæ fuerint.

Digitized by Google

D. Devonsh. II. Caput Jovis nudum. ΛA.)(capita Caſtoris, & Pollucis. ΕΠΙ. ΛΑΚΩΝΟC. *Sub Lacone.* De utriusque præclaro artificio nihil temporis edacitas detraxit. *Tab. XVIII. N. 3.*

Ibid. p. 280. Cum Cl. *Oudinet* libro indicato eruditis obſervationibus Lacedæmoniorum numos inluſtraverit, illuc digitum intendo lectori, ea omnia inventuro, quæ duobus hic propoſitis lucem adfundere poſſunt. Redditur perdocte ratio, cur Lacedæmonii ſuo in ære Dioſcurorum capita feriri fecerint; Vaſa ſerpentibus cincta ad Herculis infantis primum laborem referuntur, declaratur, cur præ diis aliis hi potiſſimum, atque Juppiter etiam honores ſuos apud Lacedæmonios habuerit. (101) Hujus populi numum hoc tomo pag. 89. alterum priore pag. 131. exhibui.

LAO-

(101) Ut quæ de Dioſcuris ſcribit Oudinetus probare debeo, ita non video, quid vaſa, quibus ſerpentes inplexi, ad Herculis cunas; an, quia antica Herculis caput refert, aſt in Haymii argenteo idem vas jungitur capiti Bacchi, in primo, de quo hic agimus Dioſcurorum capitibus, apud Arrigoni galeatum jungitur. Mallem Æſculapium his ſignis indicari, cujus tria templa ipſa in Sparta refert Pauſanias ſcilicet ad Leſchen Ευαπαδινος, alterum non procul a curriculo Αγνιτυ c. 14. *Lac.* tertium & quidem επιφανεςατον προς τοις Βοωνητεις c. 15. Hæc ſane cultum religioſum alicujus numinis magis ſtabiliunt, quam argumentum ex uno numo pro Jove hoc loco deductum ab Haymio, adjecto etiam, quod Oudinetus ex Plutarcho protrahit templo, qua in re noſter ſæpius alibi reprehendi meretur; arbitror enim Græcos monetarios, ſigna, quæ vel in templis re-

Digitized by Google

LAODICEA Ponti; vide literam Π.

LEONTIUM. Inter viros inluſtres hoc Tomo pag. 73.

LAMPSACUS.

Caduceus intra lauream)(Equus marinus. ΛΑΜ-ΨΑ. *Lampſacenorum.* Opus mediocre, ab injuriis ætatis tamen ſervatum. *Tab. XVIII. N. 4.* *D. Devonsh.*

Lampſacus minoris Myſiæ ad Helleſpontum urbs vini præſtantia, atque obſcœnis Priapi religionibus inclaruit. Conſulatur P. Harduinus, qui de hac urbe pluribus. Idem hoc oppidum, teſte Cornelio nepote, ab Artaxerxe Themiſtoclis potui adſignatum fuit. Equus marinus ut Neptuno ita caduceus Mercurio devotos indicat Lampſacenos. Corona laurea forſan ludos Olympicos deſignat. (102) Idem equi marini ſignum in duobus *Vaillantii* numis Commodi nempe, & Getæ conparet. *Pop. & Urb. pag. 281. Edit in 4to.* *Pag. 70. & 118.*

recens dedicata; vel in publico poſita, pro typariis ſuis ſelegiſſe, ut deinceps a Romanis factum eſſe, numi reſtitutionem præferentes conficiunt. Vaſa illa medicamentis aut aquis ſoteriis continendis magis congruunt, quam Herculis crepundiis. Ob eandem rationem ſerpentes e clava adſurgentes, niſi ſignum pantheon adeoque Mercurii etiam quis velit, Epidaurio adtribuo.

(102) Oleaſtro in Olympicis coronabantur.

LINDUS.

Caput juvenile pelle leonis tectum)(Clava cum leonis exuviis intra lauream. - - - ΙΝΔЄΩΝ. viridi ex ære cruſta contectus numus. *Com. de Winchilſea. Tab. XVIII. N. 5.*

Cum in primas literas, quæ in numo hoc ceterum integro viſum fugiunt, inveſtigaſſem, tribus ſolum modis mutilatæ epigraphes caput reſarciri poſſe vidi, legendo nempe vel ΑΛΙΝΔΕΩΝ. *Alindenſium*, vel ΛΙΝΔΕΩΝ. *Lindenſium*, vel denique ΣΙΝΔΕΩΝ *Sindenſium.* Ex cujuscunque harum urbium officina numus prodiit, rariſſimus ſemper erit & forſan unicus. Si Alindis Cariæ ſignatus eſt, unicum hujus oppidi numum ſub Auguſto apud Vaillantium, ex reginæ Sueciæ muſeo reperio, cujus averſa pharetra, arcu, & clava inſignis Herculem Alindis cultum oſtendit. Hac de urbe Arrianus, loquens de *Ada* regina *Hecatomni* filia, *Idriei* ſorore & conjuge, ita habet: *Ada vero unum oppidum Alinda tenuit munitiſſimum Cariæ.* Situm erat in mediterraneis verſus Lyciæ fines ad pedem Cragi montis.

L. 1. Exp. Alex.

Si Lindo inſulæ Rhodi oppido tribuitur, caput juvenile leonis exuviis tectum *Tleopolemi* Herculis filii habendum erit, quia Diodorus Siculus refert: *eum tres in Rhodo condidiſſe urbes, Lindum, Jelyſum, Camirum.* Nulli hactenus harum urbium numi in antiquariorum manus venerunt.

L. IV.

Denique ubi pro *Sinda* vel *Sindo* ſubfragia obtinuerint, monendus lector, tres hujus nominis urbes a geographis

phis recenſeri: harum una Cariæ finibus vicina jam *Sinda*, *Iſinda*, jam *Piſinda* & *Iſionda* a diverſis ſcriptoribus nominatur; Altera eſt ad limites Mæotidis Boſporo Cimmerico vicina, de qua Strabo, Mela, Ptolemæus, & Plinius. Mea ſententia, ſi ad urbem hujus nominis referendum eſt numiſma, vendicabitur potius Sindo Macedoniæ Axio fluvio vicino oppido, de quo ſcribit Herodotus; tum vero ut caput Alexandri M. exiſtimandum erit, ita averſa Macedonibus etiam congruet, qui ſuam ab Hercule originem jactabant. His non obſtantibus nomen *Lindi* præfixi, quia huc me potius factæ de hoc numo diſcuſſiones pertraxerunt. (103) *L. VII.*

MAEONIA.

Vitis)(Hercules cum clava, & cornu copiæ MAIONΩN. *Mæoniorum.* Integer, ſed ſcalptoris minus periti. *Tab. XVIII. N. 6.* *D. Devonsh.*

Ex ſententia Herodoti *L. I. & VII.* Strabonis, Stephani Lydia olim Mæonia dicta fuit. Homerus eam commemorat, dum Mæonas ad Tmolum habitaſſe canit: *Qui & Mæonas adduxerunt ſub Tmolo natos.* Idem confirmat Dionyſius. Per Virgilium aliosque Tmolus a vitium præſtantia erat celebris, atque propterea vitis etſi ſatis male ſcalpta in *In catal. v. 373.* *Georg. L. II. v. 97. Ovid. L. VI. Met. v. 15. Senec. Phæniſ. v. 602.*

(103) Non Lindo ſed Alindis tribuendum docet numus geminus, quem communi cum Froelichio labore in Cimelio Auſtriaco vulgatum, etiam imagine *Tab. XIV. N. 2.* repræſentaveram. Similem dedit Arrigoni. *Tab. II. N. 12.*

Digitized by Google

in una numi facie exhibetur, cum hinc tum ex imperato-
Pag. 137. rum numis apud Vaillantium in Alexandro Severo, & Tra-
168. & jano Decio liquet, Baccho atque Herculi etiam honores
169. præcipuos a Lydis ſeu Mæonibus delatos.

MELUS. *Inſula.*

I. Caput Palladis galeatum)(ΜΗΛΙΩΝ intra coronam oleaginam. *D. Guilielmi Croſſe. Tab. XVIII. N. 7.*

D. Devonsh. II. Numus fere ſimilis, atque ſola ad caput adjecta epigraphe diverſus. *Tab. XVIII. N.* 8. Ambo rudioris ſunt fabricæ.

l. IV. c. 12. Inſulæ Cycladum ſunt monetæ, de qua ita Plinius: *Melos cum oppido, quam Ariſtides Byblida appellat, Ariſtoteles Zephyriam, Callimachus Mimallida, Heraclides Siphnum & Acyton. Hæc inſularum rotundiſſima eſt.* Stephanus vero: *Melus inſula una ex Cycladidus, urbem habens ejusdem nominis. Phœnices olim conditores fuere, unde etiam Byblus appellata eſt a Bybliis, Phoenicibus. Vocatur etiam Zephyria: civis* Μήλιος. Ut ſæpe tentaveram, nunquam ex mutila anticæ partis numi alterius inſcriptione vocabulum conponere potui. (104) Minervæ caput, atque oleagina in averſa parte corona ritus quosdam ſacros ab Athenienſibus in hanc inſulam propagatos ſuadent.

MA-

---

(104) Literæ a dextra ad ſiniſtram lectæ eandem nempe ΜΗΛΙΩΝ epigraphen reddunt, ſi plura veſtigia poſt N. vidit Haymius, magiſtratus nomen erit, ut ex meo aliquo in averſa: ΕΠΙ. ΤΙ. ΠΑΝΚΛΕΟC inſcripto argui poteſt.

Digitized by Google

MAGNESIA Sipyli, inter viros inluſtres hoc Tomo pag. 86.

NISYRUS inſula. Tom. I. pag. 235.

ODESSUS.

Caput Jovis laureatum)(Eques ΟΔΗΣΙΤ. *Odeſſitarum.* Aliquantum detritus. *Tab. XVIII. N. 9.* *D. Devonsh.*

Odeſſus oppidum Thraciæ ejus ad Euxinum mare tractus, qui Mœſia inferior aut Pontus etiam dicebatur, medium inter Marcianopolin & Meſſembriam ſitum obtinuit; Strabo coloniam Mileſiorum fuiſſe vult. Urbis hujus numi ſub imperatoribus frequentiores.

ORTHOSIA.

Caput Dianæ)(Juppiter ſedens. ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. *Orthoſienſium.* Cælatori bono conſervatio reſpondet. *Tab. XVIII. N. 10.* *D. Devonsh.*

Tres hujus nominis urbes a geographis ſunt adnotatæ: una ſita in Caria, altera in Lydia, tertia eaque præcipua in Phœnice ad mare juxta Eleutherum fluvium. Poſtremæ huic numos ſuos ſub imperatoribus cuſos adſcribit *Vaillantius,* probabili hoc uſus argumento, quia omnes Caſtorem & Pollucem præferunt, typum in Tripolitarum vicinorum monetis uſitatum, atque itidem in horum uno Antonini Pii Seleucidarum epocha reperitur, a qua ipſa opinione, quan-

tum-

tumcunque repugnet P. Harduinus, (105) non dimovebor. Neque tamen præſentem numum Phœniciæ illi Orthoſiæ adjudicavero, ſed Cariæ potius, aut forſan etiam Lydiæ, cum typus & ipſa ſabrica ab imperialibus monetis diſcrepet; Quod utcunque ceciderit, ſemper de numo hactenus non edito gloriari mihi licebit.

ORCHOMENUS Tom. I pag. 234.

TABULA XIX.

OROAGREA.

Caput Apollinis)(Figura ignota. ΟΡΟΑΓΡΕΩΝ. *Com. de Pembrok. Tab. XIX. N. 1.*

Magnis tenebris numus mihi hic obtegitur; etſi integerrimus ſit, non niſi de capite Apollinis in antica ſignato pronunciare poſſum, neque enim vel averſæ typum diſcerno, vel hujus nominis oppidum ullo in autore obcurrit. Nihil magis quam eruditorum cum de hoc, tum de tribus ſequentibus ſententiam cupio. Adtendendum ad primam literam P ei ſimilem, quam in numo Hieræ pag. 138 notavimus, a conſequente diverſam. (106)

ORRA.

(105) Non video, ubi Harduinus diverſæ eſſet opinionis.
(106) Alteram literam non P, ſed vetus Π exiſtimo, neque enim in eodem numo tam varia ſolet eſſet characterum forma; de elemento tertio, an O ſit, ſubdubito, nec probare poſſum

ORRA.

I Caput Herculis juvenile)(Fulmen alatum. ORRA ΓOR. *Com. Pembrok.* *Tab. XIX. N. 2.*

II Caput muliebre mitratum, cum ſceptro transverſo.)(Amor cum lyra & quinque globulis ORRA. (107) *D. Maſſon.* *Tab. XIX. N. 3.*

III Caput galeatum)(Aquila fulmini inſiſtens ORRA. *Ejusdem.* Numi ſinguli elegantes, & boni artificii. *Tab. XIX. N. 4.*

Neque hac de urbe lux major adfulget. (108) Ne nihil agam, adnotationem ſubpedito, quæ forſan eruditis in hac numorum triga explicanda deſudaturis, obportuna videri poſſet, nempe R ea forma, qua nomen ignotæ urbis conponit, non nunquam pro B adhibitam eſſe. Inſpectis

Y ſequen-

ſim lectionem Frœlichii in *Notit. Element.* p. 104 OPOAΓAΓOPEΩN ob eandem rationem, & præterea punctum illud, quod pro O habuit, ultra apicem τȣ Γ obpoſitæ literæ N ad amuſſim reſpondentem procurrit. Cetera Davus ſum, non Oedipus.

(107) Quincuncis notam dicere oportebat.

(108) In aliqua Italiæ regione quærendum oppidum ſaltem hodie novimus, cum apud Arrigonium hac epigraphe ſextans cum ave, quadrans, triens, atque quincunx cum Amore cytharœdo conſpiciantur. Leviſſimæ conjecturæ loco adjicio, quia Cupido in quatuor numis eſt conſignatus, forſan in Apulia circa Barium ſitam fuiſſe hujus nominis urbem, cum Barini etiam Cupidinem ferierint.

Digitized by Google

ſequentibus imperatorum numis obſervabitur in numo Severi & duobus Getæ epocham Neocæſareæ Ponti ita exaratam: ET. PMR, ubi ſcalptor certiſſimo ET. PMB ſubſtituere debuerat, idem evenit in alio Caracallæ, qui ΑΛΑRΑΝΔΕΩΝ pro ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ eſt inſcriptus. (109) Tertii numi caput galeatum conditoris eſſe poterit.

OPHRYNIUM. Inter Viros inluſtres hoc tomo pag. 81.

PÆSUS.

D. Devonsh. Caput muliebre)(Cornu copiæ ΠΑΙΣ. *Pæſus.* Bonæ manus opus integrum, viridi æris cruſta veſtitum. *Tab. XIX. N: 5.*

L. XIII. Pop. & Urb. pag. 373. Edit. in 4to. Meminit hujus urbeculæ Strabo, ad fluvium ejusdem nominis inter Lampſacum & Parium ſitæ. Alterius typi numiſma protulit Harduinus. Id certum monetas hujus urbis ſingulari raritate præſtare. (110)

PE-

---

(109) Vidi ipſe hujusmodi B, quæ tamen inferiore parte per tenuiorem lineam in angulum acutum contrahuntur, ubi in hiſce numis brevior anterior pes non niſi pro R legi poteſt.

(110) Tam trientis indicium, quam litera S Haymium a Myſia abſtinere debuiſſet; Pæſi Strabonis numismata nusquam viſa raritatis erunt ſingularis, cujus tamen minime etiam in Germania ſatis obvii Pæſti in Lucania, quod Græcorum erat Poſidonia, ex cujus officina præſens numus prodivit. Acroſtolium cornui copiæ adjunctum de urbe mari potente, præ urbecula monere poterat.

Digitized by Google

PELINNA.

I Eques armatus)(Vir armatus telis & ſcuto. - - - ΕΛΙΝΝ - - *Pelinna.* Argenteus pondere granorum 92, cæli laudem conſervatio commendat. *Tab. XIX. N. 6.*

II Eques ſimilis captivum proterens)(typus fere ſimilis ſuperiori. ΠΕΛΙΝΝΑ. Ejusdem præſtantiæ. Ambo ex muſeo *Equitis Roberti Sutton.* *Tab.* XIX. *N.* 7.

De Pelinna noſtra ita Stephanus: *Pelinna urbs Theſſaliæ in Phthiotide; ſic vocata fuit a Pelino Oechaliei * filio.* Utraque numi I facie Pelinnum oppidi conditorem, hinc quidem equitem cum haſta, illinc ſtantem cum tribus telis & ſcuto repræſentatum exiſtimo, forſan ad denotandos ludos ab illo ibidem inſtitutos. Narrat de Philippo Polyænus: Eum, cum cupiditatis oculos ad Theſſaliam adjeciſſet, occaſione, quam jam Pelinnæi cum Pharſaliis, jam Pheræi cum Lariſſæis bello conliſi, implorato ejus auxilio, obtulerant, tam bene uſum, ut nunc horum, nunc illorum partes tuitus, eos ſibi plurimum obſtrinxerit, atque ita ſenſim Theſſaliam ſuæ poteſtati ſubjecerit.

* *Oechalia antiqua Theſſaliæ urbs Eurytium deinde dictum. Pauſan. L. IV. c. 2.*

Strat. L. IV. c. 2. N. 19.

Indicaveram ſuperius pag. 148. Theſſalos patrio quodam capitis tegumento fuiſſe uſos, quare equitem in proſtratum hoſtem ruentem numo II ſignatum, Philippum exiſtimo, quia cum capitis ornatus, tum armorum genus eſt diverſum, qui forſan expeditione aliqua Pelinnæorum res erexerit, addicit his temporibus etiam fabrica: In adverſa numi parte Pelinnum eundem exhiberi cenſeo, quia cum ſuperiore illo armato pedite geſtu & habitu plurimum

Digitized by Google

Pop. & Urb. p. 387. Edit. in 4to. *De uſu & præſt. Num. p. 902 Edit. 2dæ.*

convenit. Injiciunt hac de urbe mentionem Harduinus, & Spanhemius, nunquam tamen aliquod illius numiſma imagine expreſſum videre mihi contigit.

PERGAMUS hoc Tomo pag. 84.

PLATÆA Tomo I pag. 232.

PRASIA.

D. Devonsh.

Caput muliebre turritum)(Triremis ΠΡΑΣ. *Praſiæ.* Undique mediocris. *Tab. XIX. N. 8.*

Thucyd. L. II. Polyb. L. IV. Polyænus L. II. c. 15 &c.

Ptolemæus oppidum hoc Laconicæ ditionis ultimum in ſinu Argolico conſtituit, cujus conplures ſcriptores alii meminerunt. Emendandus Pauſanias & Stephanus, qui literam nominis primam Π in Β mutarunt: ΒΡΑΣ &c. Maritimam urbem, atque portu inſtructam, quod de ea autores prodidere, triremis, præcipuam vero aliquam, turritum caput confirmat. Nullus hujus urbis numus eruditorum notitiæ hucusque erat proditus.

PYTIONIA *Inſula.*

D. Devonsh.

Caput muliebre, crinibus conpoſitis)(Capra ΠΥΤΙ. Fabricæ bonæ, nigra cruſta a vitio protectus. *Tab. XIX. N. 9.*

L. IV. c. 12. initio.

Corcyræ circumjecta eſt Pytionia, neque præter Plinium aliquis ejus ad nos transmiſit notitiam: *Nec procul,* ait, *ab iis ante Corcyram Ericuſa, Marathe, Elaphuſa, Malthace,*

thace, *Trachie*, PTTIONIA (111) *Ptychta*, *Tarachie*. Caput anticæ Junoni tribuo, caper averſæ paſcuorum fertilitatem indicare videtur. Fugit antiquarios hujus inſulæ moneta.

DE URBIBUS PONTI.

Videbantur non abs re numi omnes Ponticarum urbium ſcilicet: *Amaſtridis*, *Amiſi*, *Gaziuræ*, *Caberæ*, *Comanorum*, *Laodiceæ*, *Chabacti* & *Sinopes* conjungendi, cum quia omnes ejusdem fabricæ, metalli & formæ ſunt, adeo ab aliis omnibus diverſi, ut dubitari non poſſit, eos omnes in hoc terra-

 rum

(111) Quam metuo, ne huic numo alia quærenda ſit patria; laudatus Plinius ab Harduino editus Pythioniam per adſpiratam ſcribit: nemo eam ætatem numo tribuet, quæ adſpiratarum uſum prævertit, cum venerabili antiquitate conſpicuos Thebanos, & Athenienſes alibi viderimus, nunquam niſi quadrato Θ inſignes. Adcedit, adcuratiorem multo Strabonem de his inſulis ſcribere *L. VII. p.* 324. Καὶ ἄλλαι δ᾽ ἐν τῷ παράπλῳ νησῖδες εἰσὶν ὀυκ ἄξιαι μνήμης. *Sunt & aliæ minutæ inſulæ juxta hanc oram non dignæ, quæ memorentur.* Mallem hic, quam in Oroagrea antiquius P agnoſcere, legereque: ΡΥΤΙιαν, quod Cretæ oppidum Strabo, Plinius, Stephanus indicant, minime inter πόλεις ὀυκ ἀξίας μνήμης, ut Pythioniam inſ. recenſendum, cum Homerus eam Phæſto conjungens ita canat in catalogo v. 155.

Φαιστόν τε, Ῥύτιόν τε πόλεις ἐυναιεταώσας

Phæſtum & Rhytium urbes bene habitatas.

Capra quam Cretæ congruat, vel Jovis cornuta nutrix docet; Caput tum Europæ eſſe poterit.

rum tractu percuſſos, tum quia uno velut in conſpectu commodius conſiderabuntur urbes; quarum nullus hactenus in publicum prolatus eſt numus, ſolito aſteriſco notavi.

AMASTRIS *Ponti.*

D. Devonsh. I Caput turritum.)(Thyrſus Bacchi ΑΜΑΣΤΡΕΩΣ. *Amaſtreos.* ΓΜ. anno 43 intra coronam. Integer, verum ſcalptoris parum ſciti. *Tab. XIX. N. 10.*

TABULA XX.

II Scutum cum capite Meduſæ)(Victoria gradiens d. lauream, ſ. palmam gerit. ΑΜΑΣΤΡΕ - - Numi conditio eadem cum ſuperiore. Eſt *D. Guilielmi Croſſe. Tab. XX. N. 1.*

Maritimæ huic Paphlagoniæ urbi, atque, ut ex numo M. Aurelii apud Vaillantium confirmatur, vicinæ flu-
Pag. 49. vio Parthenio, qui hanc provinciam a Bithynia dirimit, nomen dedit Amaſtris Oxathris fratris Darii filia, quæ Dionyſio Heracleæ tyranno nupſerat, ut *T. I. pag.* 143
L. X. Ep. 99. memineram. Oppidum hoc Plinio juniori amœniſſimum, perpulcrum & latiſſime patens forum complectebatur.

Quando epocha, cujus notas in nullo alio Amaſtrianorum numo videram, inceperit, hæreo; poterat a morte Lyſimachi initium duxiſſe, quia tum teſte Memnone apud Photium Heracleotæ Ponti in poteſtatem regum Syriæ ſub Seleuco I tranſierunt anno V. C. 473, cui numero ſi

addun-

Digitized by Google

adduntur 43, numus cuſus videri poteſt anno V. C. 515 Seleucidarum 74. Æræ hujus exordium ad Mithridatem differendum, probabile non exiſtimo ob eam, quam numus ſpirat, antiquitatem. (112) Bacchus & Cybele præſtites hujus urbis deos fuiſſe numi imperatorum apud *Vaillantium* ſub Caracalla, & Julia Mæſa confirmant.

Numum II, quemadmodum ſequentes alios omnes inferioris ætatis habeo, eosque tempore memorati Mithradatis cuſos cenſeo. Scutum Gorgoneum, quod eorum major pars præfert, Palladem reſpicit, ob originem a Macedo-

---

(112) Defectio Heracleotarum probabilius in annum V. C. 472 incidit, quippe anno 473 jam Seleucus I. occiſus fuit, ad quem tamen legati venerant. Qui hanc legationem ex indicatis Memnonis excerptis legerit *c.* 12. ægre ſibi perſuadebit, hinc initium epochæ duci, quia Heracleotæ ſub poteſtatem regum Syriæ venerant, ita ibi Memnon: Σέλευκος παροξυνθεὶς τοὺς τε πρὸς αὐτὸν ἀφικομένους πρέσβεις ἀπειλητικοῖς ἐξεφαύλιζε λόγοις, καὶ κατέπληττεν. *Seleucus irritatus legatos ad ſe profectos minis increpitos perterruit.* Et poſt pauca: Ἡρακλεῶται τά τε ἄλλα παρασκευάζοντες, καὶ συμμάχους ἤθροιζον πρός τε Μιθριδάτην τὸν Πόντου βασιλέα διαπρεσβευόμενοι κ. τ. λ. *Heracleotæ cum alia ad bellum præparant, tum copias auxiliares congregant, legatione Mithradatem Ponti regem ſolicitant.* Concluditur hoc caput: Καὶ οἱ Ἡρακλεῶται τὸν εἰρημένον τρόπον τῆς παλαιᾶς εὐγενείας τε, καὶ πολιτείας ἐπελαμβάνοντο. *Hoc itaque modo Heracleotæ in antiquum nobilitatis & gubernationis ſtatum ſe reſtituerunt.* Tale aliquod temporis punctum epochæ initio, ſi tamen ex literis in unico numo viſis de epocha cogitare licet illico, conveniebat potius; Nec aliquid numi antiquitati decerpetur, ſi pro Mithradate VI adſumatur ejus nominis IV, in cujus regnum hæc revolutio incidit.

Digitized by Google

cedonibus tractam: Victoria averſæ partis ad eundem Mithradatem eſt referenda.

AMISUS.

Caput Palladis)(Hercules ΑΜΙΣΟΥ *Amiſi*. Artificium mediocre, ſatis commode cruſta viridi protectum. Ex muſeo *D. Guilielmi Croſſe. Tab. XX. N. 2.*

Cum Amiſum Strabo inluſtribus oppidis adnumeret, mirum ſane, Xenophontem ſuo in itinere ne verbo ejus meminiſſe, quæ tamen abſque omni dubio tum florebat, *L. VII. c. 21.* quia Polyænus narrat, a Datamene Artaxerxis regis duce dictum fuiſſe militibus ſtipendia exigentibus: *oportere ipſos Amiſum proficiſci, & monetam cudere.* Prima urbis fundamenta jecerant Mileſii, colonis ſubinde Athenienſium eo deductis frequentata juxta Arrianum: *Amiſus urbs Græca, Athenienſium colonia.* Liberrima aliquando, quam quæcunque alia Aſiæ urbs, poſtea a Ponti regibus obpreſſa libertatem per Romanos recuperavit tam numis imperialibus, *L. VI. c. 3.* quam Plinio teſtibus. In nulla alia Amiſenorum moneta ſignatum Herculem videram. (113)

GA-

(113) Et forſan, ne hic quidem videtur, quippe ſimilis numus in catalogo Theupoli ita deſcribitur: Mulier ſtans d. extenſa ſ. caput hominis reciſum; Sane truncatum cadaver ab ipſo Haymio indicatur, neque facile Herculem pallio hujusmodi tectum quis obſervaverit, quare etſi viri ſignum non negem, de Hercule tamen dubito.

Digitized by Google

GAZIURA.

Caput galeatum)(Parazonium. (114) ΓΑΖΙΟΥΡΩΝ *Gaziurorum.* Adtritus quamvis antiquariorum notitiæ nihil ſubtrahit. *Tab.* XX. *N.* 3. *D. Devonſh.*

Strabo Iris fluvii iter deſcribens, dum eum per mediam urbem Comana & Damoxitidem fertilem verſus occaſum campum deduxit, ſubjicit: *Inde ad ſeptentriones ſe inflectit apud ipſa Gaziura, veterem regiam, nunc deſertam.* *L. XII.* Plinius vero: *Gens*, inquit, *Cappadocum: oppidum Gaziura, & Gazelum, amnis Halys.* *L. VI. c. 2.* Nihil præterea hac de urbe, in theſauro Goltzii quidem indicata nullius tamen alius autoris numo inluſtrata, reperi.

CABERA.

I. Caput Palladis galeatum)(Mercurius. ΚΑΒΗ. *Caberorum.* Opus cælaturæ humilioris, integrum, Cyanei coloris bractea ab mineralibus halitibus pulcerrime obvolutum. *Tab.* XX. *N.* 4. *D. Devonſh.*

II. Ægis)(Victoria gradiens cum palma & laurea. ΚΑΒΗΡΩΝ. *Caberorum.* Priori ſimilis. *Tab.* XX. *N.* 5. *D. Devonſh.*

Z Hac

(114) Qui inſtrumentum hoc cum pharetra Dianæ, ut a monetariis effingitur, conparaverit, telorum thecam dicet: lorum adnexum bene longum in pugione cingulo inſerendo tam otioſum, quam neceſſarium eſt, ut ex humero ſuſpendatur. Idem ex meo Sinopenſi in adpendicula confirmabo.

Digitized by Google

L. XII. Hac de urbe ita Strabo: *Ad ipſum latus montis Paryadris Cabira ſita ſunt, ab illa* (Eupatoria ſeu Magnopoli) *meridiem verſus CL circiter ſtadiis diſtantia. Cabiris autem arx regia Mithridatis extructa eſt.* Dicta etiam fuit *Diopolis & Sebaſte.* Præcipuum fuiſſe oppidum ex Plinio *L. V.* L. VI. c. 7. *c. 27.* (115) Plutarchi Lucullo, Appiano in Mithradaticis, Eutropio colligimus. Mercurius primis Cabiris adcenſetur. (116) Typi alii Ponticis urbibus ſunt communes.

COMANA.

D. Devonsh. Scutum Gorgonium)(Victoria, ut ſuperius. ΚΟΜΑΝΩ. *Comanorum.* (117) *Tab. XX. N. 6.*

De hac provincia (118) pluribus agit Strabo; Hirtius de bello Alexandrino ita: *Magnisque itineribus per Cap-*

(115) De Paryadre monte loquitur Plinius, ſed ne verbum de Cabiris.

(116) Si, ut alibi fecit Haymius, ex numo corrigendam ſcriptorum orthographiam monuiſſet, nec arbitror, Mercurium cum Apollonii ſcholiaſte Cabiris adnumeratum fuiſſe.

(117) Monogrammata non bene diſtinxit Haymius, in ſimili meo a tergo Victoriæ eſt AR, præ illa ΑΥΕ.

(118) Non de provincia, ſed de oppido res eſt, id quod Strabo non uno loco indicat, de Iri fl. loquens ita habet *pag.* 547 Ῥυεὶς δὲ διὰ πόλεως μέσης Κομάνων τῶν Ποντικῶν. *Poſtquam Comana Ponti urbem mediam pertranſiit.* *Pag.* vero 557 Ὑπὲρ δὲ τῆς Φαναροίας ἐςὶ τάδε Κόμανα τὰ ἐν τῷ Πόντῳ ὁμώνυμα τοῖς ἐν τῇ μεγάλῃ Καππαδοκίᾳ. Super Phanarœam ſunt Comana Ponti ejusdem nominis cum urbe Cappadociæ magnæ.

Digitized by Google

Cappadociam confectis, biduum Mazacæ conmoratus (Cæſar nempe in Pharnacem ducens) *venit Comana, vetuſtiſſimum & ſanctiſſimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut ſacerdos ejus deæ majeſtate, imperio, & potentia ſecundus a rege conſenſu gentis illius habeatur.* (119)

LAODICEA.

Typus ſuperiori, exceptis monogrammatis ſimilis. *Tab.* XX. *N.* 7. *D. Devonsh.*

Plurium hujus nominis urbium meminerunt geographi, verum in nullo Ponticæ mentionem factam ſcio, qua tamen in provincia numum hunc ſignatum eſſe, typus, fabrica, metallum atque terrea cruſta hisce monetis propria (120) conficiunt.

SINOPE.

Ægis)(Victoria. ΣΙΝΩΠΗ. *Sinope.* Flavi æris numus, ſine vitio. *Equitis Roberti Abdy.* *Tab.* XX. *N.* 8.

Z 2 Xeno-

(119) Confundi hic ab Hirtio Cappadocica cum Ponticis Comanis, jam obſervavit adcuratiſſimus Cellarius T. II. pag. 327. edit. Lipſ. 1706.

(120) An color hic Ponticis numis ita proprius, dubito, mei, etſi non admodum nitidi, ſicut Haymii Amiſenus viridem potius præferunt, quam eum qui Italis eſt *Turchino*, quare arbitror, Caberorum & Chabactiorum numos, ex eodem, in quo ſepulti erant, agro alicubi in Ponto erutos in ducis Devonſhirii theſaurum conmigraſſe.

Digitized by Google

L. VI. Xenophon Sinopen Mileſiorum coloniam ſcribit, idem L. XIV. dum adfirmat Diodorus Siculus, adjicit urbem fuiſſe Paphlagoniæ, eamque potentem. Strabo hæc de illa: *Poſtea Mileſii opportunitatem loci videntes & imbecillitatem incolarum, ſuam fecerunt, & eo miſerunt coloniam.* Et paullo ſuperius: *Mileſii eam condiderunt.* Teſte Pom- L. I. c. 19. ponio Mela Diogenis Cynici fuit patria; Ibidem ut natus & educatus fuerat Mithradates Eupator, ita Ever- *Vaillant. de coloniis Theſ. Brit. T. I. p. 260.* getes violenta morte interiit. Inter Romanas etiam colonias cenſetur. De ſignis utriusque partis egeram ſuperius.

CHABACTUS.

D. Devonsh. I. Caput galeatum)(Parazonium (pharetra nempe) aſtrum & luna. ΧΑΒΑΚΤΩΝ. *Chabactiorum.* Operis prominentis cærulea vernice tectus, atque integerrimus. *Tab. XX. N. 9.*

D. Devonsh. II. Minervæ ſcutum)(Victoriæ typus, ut ſuperius, epigraphe ſimilis. Ejusdem coloris cruſta minus tamen aſperum typum a vitio ſervavit. *Tab. XX. N. 10.*

Eandem cum Strabonis, etſi obiter ſolum indicata Χαβακα *Chabaca*, urbem eſſe exiſtimo, quæ, quantum ex ejus narratione erui poteſt, *Irin* inter & *Halyn Themiſcyram* verſus jacebat. Neque quid amplius de illa apud autores quæſiveris. Caput galeatum numi I non tam Palladis, quam alterius, neſcio cujus, herois potius exiſtimo: Parazonium, quod in moneta Gaziurorum etiam vidimus, Mace-

doniam

Digitized by Google

doniam redolet. (121) Aſtrorum typus apud Parthos & Perſas obtinet, unde Mithradates rex Ponti originem trahebat. (122) Atque hic finiunt urbes Ponticæ.

TABULA XXI.

RHAUCUS.

Neptunus ſtans cum equo)(Tridens ΡΑΥΚΙΟΙΣ. *Rhauciois.* Argenteus ſine ætatis, non item ſcalptoris vitiis; adpendit 140 grana. *Tab. XXI. N. 1.* *D. Devonsh.*

Rhaucum Stephanus mediterraneis Cretæ urbibus adnumerat, Polybius eam Cnoſſo & Lytto admovens nomen

(121) Pharetram eſſe etſi hodie inter antiquarios ſatis convenit, in adpendicula ad Geſnerum oſtendam.

(122) Ad Perſas, atque a Mithradate I ductam familiam hoc ſignum referri poſſe non negaverim, adtamen ad Mithradatem VI, quem hic iterum obtrudit Haymius, id non probo, propterea, quod numi cum ægide & Victoria, quos illi adſcribit, metallo flavo, mole tenuiore multo, fabrica, characteribus ipſis ab iis diſcrepant, qui pharetram cum galeato capite præferunt, hi ſiquidem craſſiuſculi ætatem, & artis rationem diverſam produnt, id quod vel ex meis Sinopeno altero, altero Amiſeno conficio, cum ergo in meo & Goltzii Amiſeno idem aſtrum cum luna videatur, quod hic in utroque Chabactiorum numo reſplendet, quorum alter cum pharetra haud dubie indicatis meis conſentiet, minus adcuratam explicationem rejicere cogor.

Digitized by Google

Legat. c. 45. men ita ſcribit Ραυκίοις. (123) Quod nomen, ut in numo exaratum eſt, non pro dandi caſu pluralis, ſed recto ſingularis numeri legendum mihi videtur, ut ipſas Rhauciorum terras, parte agri Cnoſſiis a Cydate filio Antitalcis (124) Coſmo Gortyniorum juxta laudatum Polybium, ademta, auctas deſignet, inflectique debeat *Raucíois Raucioidis* Ραυκιοῒς Ραυκιοῒδος (125) Neptuni typus tam urbibus in inſulæ mediterraneis, quam ad ipſum mare ſitis convenit. Epigraphe numi in Theſauro Goltzii indicatur qui-

Hard. de Pop. & Urb. p. 417 Edit. in 4to.

---

(123) Ecquo alio modo ſcribere poterat, qui dandi caſu utitur? en verba Polybii de Gortyniis: Τὰ μὲν καλέμενον Λυκάστιον προσένειμαν Ραυκίοις. Τὸ δὲ Διατόνιον Λυκτίοις. *Lycuſtium, quod vocant, Rhauciis contribuerunt: Diatonium Lyctiis.*

(124) Urſinus in notis ita emendat: Κοσμοῦντος ἐν Γορτύνι Κυδωνιάτου Ἀντιτάλκεος. *Magiſtratnm gerente Gortynæ Antitalce Cydoniata.*

(125) Exiſtimo ſigma ejus formæ, cujus in numo eſſe videtur Haymio, nec ſatis cum A & P, nec ipſam ſcribendi rationem cum temporibus adjecti Cnoſſiorum agri & hujus legationis: (κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον, *eodem vero tempore* cum veniſſet in Cretam Romana legatio &c. ſcribit Polybius) qua Appius litigantium urbium controverſias ſub an. V. C. 570 conpoſuit, florente jam Philippo Macedone, congruere, ut nihil dicam de parum Græca derivatione Ραυκιοῒδὸς. Quare poſtremum elementum N eſſe mallem, & quia numo cum Polyrrheniorum, Eleuthernæorum Cretenſibus aliis conparato remotam antiquitatem concedere debeo, præſtabit forſan ob utriusque partis ſigna mare potius ſpirantia (ſi reapſe I ultimum in numo adeſt) admiſſis duabus (Æliano de Animal. *L. XVII. c.* 35 ſubpetias veniente) Rhaucis, quarum maritima altera tempore interierit, dualis numeri gignendi caſum agnoſcere, qua inſolente quidem, fateor, epigraphe ſororium inter ſe vinculum communi moneta ambæ urbes fuerint conteſtatæ.

Digitized by Google

quidem, numiſmatis tamen imago nunquam hactenus in publicum eſt producta. (126)

SAME urbs. Vide inter Viros Inluſtres pag. 88.

SAXUS.

Caput Jovis)(Tripus. ΣΑΞΙΩΝ. *Saxiorum.* Periti ſcalptoris opus integrum cruſta viridis elegantius reddit. *Tab.* XXI. *N.* 2. *D. Devonsh.*

Geminum huic, ſi monogramma margini imaginis adjectum, atque primam literam, quæ O eſſe videtur, excipias, poſſidet eruditiſſimus noſter Maſſonius, ut adeo in eo legendum: ΟΑΞΙΩΝ, quæ urbs Cretæ in vicinia, Eleutheræ (127) a Stephano Byzantino, & Herodoto adtribuitur,

---

(126) Cum ſcirem in gazophylacio Cæſareo Vindobonenſi iſtiusmodi numos mea manu tractatos, data opera regium muſeum conſului, tres Rauciorum numos inſpexi, major argenteus, qui cum Haymiano congruit, poſtremam literam aliquantum quidem contortam in hunc modum N habet, adtamen nullius jota, quæ dualem faceret vel minima eſt ſuſpicio, alter minoris formæ argenteus, quemadmodum tertius æneus in ΩN terminantur; ut adeo I illud in Haymiano lapſui monetarii, aut Haymii deceptis oculis ſit tribuendum.

(127) Reſtituendum: *Eleutherna*, cum quia nec Stephanus alicujus in Creta Eleutheræ (ubi Eleuthernam numi etiam conteſtantur) meminit, tum quia in Synecdemi Hieroclis ſinceris codicibus Οαξίω, ut ibi quidem legitur Ελευθερνα ſubjicitur.

Digitized by Google

L. IV. buitur, quorum hic: *Cretæ oppidum Oaxus.* Numorum, de quibus ſermo, ea eſt inter ſe ſimilitudo, ut, ſi noſter non foret integerrimus & nitidus præterea, exiſtimarem in eodem primum elementum O præ Σ eſſe, verum quia ad amuſſim in propoſita imagine eſt exaratum, arbitror vel nomen hujus urbis primam literam habuiſſe variam, vel Saxum Oaxo fuiſſe tam propinquam, ut iisdem quævis cælatoribus pro ſuis monetis uteretur. (128)

SAR-

(128) Poſtremæ Haymii conjecturæ nemo facile ſubſcripſerit: Nec probare poſſum illam, quam ex Cl. Liebe *Goth. Num. cap. V. p.* 163 adſumſerat Frœlichius *Not. Elem. Numiſ. p.* 77 velut F & Ϲ ante A poſitæ vario modo ſpiritum lenem denotantes numos FΑΞΙΩΝ. ΟΑΞΙΩΝ, ϹΑΞΙΩΝ omnes ad eandem urbem ΑΞΙΩΝ ob idem etiam tripodis ſignum revocarent; Omnia enim nituntur Axo Stephani ex Herodoti corrupto codice, ut Cl. Martinier bene obſervat, protracto, cum hodie L. IV. indicato legatur Οαξις in MS. & editionibus omnibus. Tripodis ſignum idem id tuto non efficere, ex numo ΕΡΕΣΙΩΝ ab Arigonio *Tab. X. N.* 97 producto, cum eadem in area literarum diſpoſitione, eodem monogrammate ſuperiore, quod in Maſſoniano, inferiore quod in Haymiano, conprobo; colonia eſſe poterit Axus & forſan Ereſus Oaxi ſeu Saxi Creticæ, ſed ubi gentium illa, viderint me feliciores, qui totus in marmore Teio a Cl. Chishul publicato *Antiq. Aſiat. illuſt. p.* 114 *& ſeqq.* acquieſco, conventionem Tejos inter & Saxios ita continet, ut ipſe titulus inſcriptus ſit ϹΑΞΙΩΝ, quo digamma Liebei convellitur, cum pro quadrato ſigmate in prima linea & deinceps adhibeatur Σ commune: Εδοξεν Σαξίων τοῖς Κοσμίοις ψαφισαμένοις κ. τ. λ. ut adeo prior Haymii conjectura obtineat, quemadmodum Λαρπα etiam Λαππα ita certam Herodoti Οαξον etiam Σαξον more Creticarum urbium ſcriptam fuiſſe.

Digitized by Google

SARDIS.

I. Caput dei Luni MHN. ACKHNOC.)(Fluvius decumbens. CAPΔIANΩN. B. NЄΩKOPΩN. ЄP-MOC. *Sardianorum iterum Neocororum, Hermus. Tab. XXI. N. 3.* *D. Devonsh.*

II. Caput & epigraphe eadem)(Cornu copiæ & temo. CAPΔIANΩN. B. NEΩ - - - Amborum ſigna artificii mediocris bene ſervata. *Tab. XXI. N. 4.* *D. Devonsh.*

Sardis celeberrima atque Lydiæ urbs princeps monti Tmolo, & Pactolo fluvio, in Hermum ſe exoneranti propinquum agrum inſidebat; Strabo hæc de illa: *Sardis eſt urbs magna, poſt Trojana tempora quidem condita, ſatis tamen antiqua, arcem habens bene munitam, quondam Lydorum regia.* Biga numorum, quam exhibeo, tam ob caput dei Luni, quam ob epigraphen raritatis & præſtantiæ eſt ſingularis: MHN Græcis idem, quod Latinis *Menſis* aut Lunus ſignificare extra omne dubium conſtituunt numi apud Harduinum inſcripti COL. CAES. ANTIOCH. MENSIS. non quidem cum dei hujus capite, quod præſentibus ſingulare eſt, ſed cum ejusdem ſtantis ſigno.

Quod adjicitur ACKHNOC minime nomen magiſtratus, ſed adpoſitum & cognomen hujus numinis habeo, conpoſitum ſcilicet ex A ςερητικῶ ſeu *privante* & ΣKHNH *Tentorium,* quare interpretor: *Menſis* (ſive) *Lunus* ſine *tentorio,* quaſi diceres, Lunum, quin quieſcat alicubi, moveri perpetuo, cum idem ſit cum Phœnicum deo Elagabalo, ut teſtatur Egnatius apud Lilium Gyraldum: *De Luno* *De diis gentium pag. 93.*

Luno deo, quem Elagabalum Phœnicum lingua dicerent &c. Idem proinde hoc adpoſito proteſtabantur Sardiani, deum hunc, ut ſecundum ſuam vim ſine ceſſatione undique diſpertiatur, nuſpiam adhæreſcere. Ætas horum numorum Septimii Severi tempora non prævertit, quo imperante titulus iterum Neocororum in Sardianorum ære primum hactenus conparet, cum Hermo fluvio etiam numiſma Sabinæ prodidit *Vaillantius*. Temo in noſtrorum altero fluvium navigabilem, ut cornu copiæ circumjecti agri fertilitatem & abundantiam deſignat.

SEBASTE.

D. Devonsh. Caput laureatum juvenile. IЄPA. CYNKΛHTOC. *Sacer Senatus.*)(Figura ſtans pileo Phrygio tecta. (129) CЄBACTHNΩN. *Sebaſtenorum.* Cæli laus bona conſervatione inferior. *Tab. XXI. N. 5.*

Plures Sebaſtes apud geographos leguntur: eſt ſua Ciliciæ & Samariæ, aliæ in Phrygia, Ponto, & Galatia recenſentur; Nec typus, nec fabrica noſtri numi primis duabus addicit, quarum monetæ ſub imperatoribus obcurrunt epocha ſemper inſignes. Lucem adfert pileus Phrygius,

(129) Quia ſimili fere habitu, & geſtu Lunus in numis coloniæ Antiochenſis Piſidiæ conparet, idem numen repræſentari ſuſpicor. Mea hæc ſuſpicio certitudinem fere adſequitur ex numo muſei Theupoli *T. II. p.* 1293 peſſime deſcripto: *Caput muliebre cum pileo Phrygio in luna bicorni.*)(ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΙΕΚΟΣΑΤΩΝ. legi enim oportebat: ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ.

Digitized by Google

gius, qui citra dubium pro Phrygia, aut Galatia rem decidit, cum tamen obſcurior ſit illa, in Galaticam Tectoſagorum inclinat ſententia, quæ nempe marmoribus inclaruit, quorum unum apud *Gruterum pag. 427. N. 8.* alterum inluſtrius apud *Wandale*, quæ tamen hic brevitatis cauſa ſubjicere omitto. (130) Satis ſit urbem hactenus ſuo ære non notam antiquariis me propoſuiſſe.

SINOPE in Ponticarum catalogo eſt relata.

STRATONICEA.

I. Caput turritum CTPATONEIKIA. *Stratonicia.* *D. Devonsh.*
(131))(Diana venatrix. ΕΠΙ - - - ΧΙΝΟΥ. CTPATONI-

(130) Cum nihil me ad brevitatem eam adſtringat, qua utilia ſubtrahantur, librique iſtiusmodi in privatorum bibliothecis ſæpe non adſint, non abs re eſſe arbitrabar exemplo Haymii *Tom. I. pag.* 79 Gruterianam inſcriptionem ſubjicere, quam Muratorius ex Montfauconio Ancyræ deſcriptam item adfert *pag. MLXXX.* N. 2.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗ-	*Senatus Et Popu-*
ΜΟC CΕΒΑCΤΗ-	*lus Sebaſte-*
ΝΩΝ ΤΕΚΤΟCΑ-	*norum Tectoſa-*
ΓΩΝ ΕΤΙΜΗ C ΕΝ	*gum Honoravit*
Μ ΚΟΚΚΗΙΟΝ	*Civem Suum*
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΤΟΝ	*Marcum Coccejum*
ΕΑΥΤΩΝ ΠΟΛΙΤΗΝ	*Alexandrum*
ΑΝΔΡΑ ΣΕΜΝΟΝ ΚΑΙ	*Virum Venerabilem Et*
ΤΩΝ ΗΘΩΝ ΚΟCΜΙΟ-	*Morum Orna-*
ΤΗΤΙ ΔΟΚΙΜΩΤΑΤΟΝ.	*tu Probatiſſimum.*

(131) Lapſum cælatoris monetarii in epigraphes anticæ partis penul-

TONIKEΩ, *Sub - - - chino Stratonicenſium.* Artificium bonum magis commendat metallum nulla ex parte detritum. *Tab. XXI. N. 6.*

D. Devonsh. II. Caput laureatum. ΔΗΜΟϹ. *Populus.* Cybele leone vecta (132) ϹΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ. Cælatura ſuperiore numo inferior, integer tamen. *Tab. XXI. N. 7.*

Oppidum hocce Cariæ nomen a Stratonice Antiochi Soteris Syriæ regis uxore ſecundum Stephanum traxit. Ex Strabone addi poteſt: *Stratonicea eſt Macedonum colonia, & ipſa pretioſo adparatu ornata ab regibus.* Subjungit idem, Jovem & Hecaten a civibus majore veneratione cultos: adtamen ex præſentibus numis Dianam & Cybelen ſuis aris non caruiſſe evincitur, quorum numinum ſigna nuſpiam apud *Vaillantium* in hujus urbis ære imperatorum capite conſignato conparent.

SYNNADA.

D. Devonsh. I. Noctua diotæ inſidens. ϹΥΝΝΑΔΕΩΝ, *Synnaden-*

---

penultima & ultima ſyllaba ſatis arguit gentile derivatum, in poſtica cum hujus, tum ſequentis numi.

(132) Vide anonymi epicriſin, contra cenſores Lipſienſes, atque Chriſtium præcipue, editam an. 1756, ubi pro Frœlichii, & mei ipſius defenſione pluribus *pag.* 18 & *ſeqq.* de ſimili ſigno, in quo Lipſienſis Venerem Uraniam vidit, erudite diſputatur.

Digitized by Google

nadenſium.)(Aquila ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟ - - *Sub Valeriano.* (133) Bona fabrica ætatis injurias effugit. *Tab.* XXI. *N.* 8.

II. Caput velatum, & laureatum, ΒΟΥΛΗ. *Senatus.*)(Vir armatus ſtans d. Palladium geſtat. CΥΝΝΑ-ΔΕΩΝ. ΔΩΡΙΕΩΝ. *Symadenſium, Dorienſium nempe, Concordia.* Ejusdem oum ſuperiore pretii ex muſeo *D. Croſſe.* *Tab.* XXI. *N.* 9.

Synnada Phrygiæ majoris urbs verſus Galatiæ fines iacebat, non admodum magna, ut Strabo ſcribit, verum marmore rubris maculis adſperſo celeberrima. Sacra ejus præcipua erant Jovis Pandemi id eſt Præfecti, (134) atque ad hunc referenda eſt averſæ partis aquila; Alterius

 numi

(133) Quia inſolens eſt in numis, ut viri in magiſtratu conſtituti nomen ſolum averſæ parti, gignendi caſu, ſine præpoſitione, aut munere, quod geſſit, adjecto inſcribatur, metuo, ne numus non ejus conſervationis ſit, quam Haymius prodidit; forſan pro ΑΝΟ - - legendum ΑΝΘΥΠ., videmus enim numum Auguſti hujus urbis apud Harduinum, in quo: ΟΥΑΛΕΡΙΟC. ΑΝΘΥΠ. Si hoc non adridet, ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ fugientibus quibusdam literis, legere mallem, cum quia ſimilis aquila in moneta Thyatirenorum ſuperius *pag.* 129 ab Haymio producta, tum quia Synnadenſes monetarii populorum nomina, cum quibus eis ſocietas interceſſit, in averſa parte alias ſignaverant, ita indicatus ab Harduino *Pop. & Urb.*, & ab Arigonio *T. XX. N.* 202 etiam imagine repræſentatus numus in adverſa ΣΥΝΝΑ-ΔΕΩΝ, in averſa: ΔΩΡΙΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ inſcribitur.

(134) Univerſi populi Præſidem aptius dixiſſet, ita Pauſanias Vene-

Digitized by Google

numi ſignum viri armati Acamantis, qui Trojano bello intererat, urbis juxta Stephanum conditoris eſſe cenſeo.

Synnadenſium numi ſub imperatoribus ſatis frequentes obcurrunt, atque ex duobus item apud *Vaillantium* cum capitibus M. Aurelii & Macrini eorum cum Dorienſibus concordia confirmatur.

TABALA.

D. Devonsh. Caput Genii. ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Sacer Senatus.*)(Fluvius jacens ΤΑΒΑΛ. - - ЄΡΜΟC. *Tabalenorum Hermus.* Integer & bene cælatus. *Tab.* XXI. *N.* 10.

Etſi Tabalæ Lydiæ oppidi duo numiſmata alterum Commodi, Caracallæ alterum apud Vaillantium reperiantur, ex horum tamen nullo certius de ejus ſitu docemur, quam ex noſtro hocce, qui illam Hermo admovet ob averſæ typum, cujusmodi nullum hactenus proditum novimus.

TABULA XXII.

TABÆ.

D. Devonsh. I. Caput muliebre ΤΑΒΗΝΩΝ. *Tabenorum.*)(Neptunus ΤΑΒΗΝΩΝ &c. *Tab.* XXII. *N.* 1.

II.

Veneris Pandemæ rationem reddens *in Atticis c.* 22. Ἀφροδίτην δὲ τὴν Πάνδημον ἐπεὶτε Ἀθηναίους Θησεὺς ἐς μίαν ἤγαγεν ἀπὸ τῶν δήμων πόλιν - - κατέστησε. *Veneris popularis religionem induxit Theſeus, quum in unam civitatem Atticæ populos conpuliſſet.*

Digitized by Google

II. Caput Bacchi, epigraphe eadem)(Neptunus. ΣΕΛΕΥΚΟΣ. ΔΡΑΧΙΛΛΙΔΟΥ. *Seleucus Drachyllidis filius.* Ambo artificem bonum, & ætatem benignam habuere. *Tab. XXII. N. 2.* *D. Devonsh.*

III. Caput laureatum. ΙЄΡΟϹ. ΔΗΜΟϹ. *Sacer Populus.*)(Mulier ſtans d. temonem, ſ. cornu copiæ. ΤΑΒΗΝΩΝ. Artificii mediocris. *Tab. XXII. N. 3.* *D. Devonsh.*

Solus Livius nos, quo loco ſtructæ fuerint Tabæ, adcuratius edocuit, quæ ejus narratio mox ſubjicienda a numis propoſitis majorem lucem accipit, ita ille: *Inde ad Gordiutichos, quod vocant, proceſſum eſt, ex eo loco ad Tabas tertiis caſtris perventum. In finibus Piſidarum poſita eſt urbs in ea parte, qua vergit ad Pamphylum mare.* Imo exiſtimo, ipſum ad mare ſitam fuiſſe, neque enim video, cur in averſa parte amborum numorum Neptunum cum delphino feriri feciſſent cives. (135) Neptuno ergo, Baccho, & Dianæ, quæ in numis Domitiani, Domitiæ, & M. Aurelii a *Vaillantio* adnotatis conparet, honores præcipui habiti ſunt a Tabenis. *Lib. XXXVIII. c. 13.*

TA-

(135) Nec veſtigium in geographo deprehendetur, ſeu Lydiam, in qua Stephanus, ſeu Phrygiam, in qua Strabo Tabas conlocat, aliqua parte ad mare Pamphylum ſe porrexiſſe, quare aut Tabæ aliæ, quam de quibus narrat Livius, inquirendæ erunt, aut dicendum Haymium cultum religioſum Neptuni provinciis mediterraneis omnibus negare, cum tamen Pauſanias Hippocurii Neptuni templum Spartæ *L. III. c.* 12, Hippii Mantineæ *L. VIII c.* 10, Epoptæ Megalopoli *c.* 28 adnotaverit.

Digitized by Google

TARENTUM.

D. Devonſh. Caput Apollinis laureatum)(Aquila fulmini inſiſtens. TAPANTIN. *Tarantinorum.* Nitidiſſimus, peritiſſimique ſcalptoris manu elaboratus, aureus granorum 32. *Tab. XXII. N. 4.*

Tarentum Calabriæ urbs clariſſima ſinui maris, cui adſidet, nomen dedit. Ejus ex ære numi obvii ſunt, rariſſimi vero aurei. Noſter Apollinis & Jovis aras aquilæ ſigno conteſtatur; Vide eruditiſſimum P. Harduinum, qui de hoc oppido pluribus. *De Pop. & Urb.*

TEATE.

Caput Jovis laureatum)(Aquila unguibus fulmen ſtringens. TIATI. N. (136) *Teatinorum* ſine omnis corroſionis labe opus præſtans, ejusdem cum imagine diametri, molis bene craſſæ. *Equitis Roberti Abdy* *Tab. XXII. N. 5.*

L. V. De Teate urbe ita Strabo: *Habent etiam Teate caput Marrucinorum: ad mare vero Aternum, Piceno confine,* &

(136) Separavi literam N, quia arbitror monetarii notam eſſe nec ad nomen pertinere, cum quod litera ſit ceteris major, tum quod tam in Begeriano, ubi ſatis amplum pro N ſpatium fuiſſet, & meo quincuncis nota paulo aliter diſpoſita, cetera ſimillimo & integerrimo, quam in tertio muſei Auſtriaci Vindobonenſis cum nota trientis & leone gradiente, a nobis edito *Tab. XV. N. 21.* ſolum TIATI. legitur.

& flumen ejuſdem nominis, quod Veſtinos a Marrucinis dirimit. Eam a Pipino Caroli M. filio everſam conmemorat Leander Alberti in deſcriptione Italiæ, reſtitutam poſtea, atque hodie Chieti dici. Idem autor Facium Uberti de urbis ejusdem origine ita canentem producit:

Vidi Teate, dove già fu il ſeggio
De la madre d'Achille; e di queſto
Per teſtimon quei del paeſe chieggio. *Dittamondo Canto I. L. 2.*

Obtigerat celebrem peramœno in colle Teaten
Adtonitis ſpectaſſe oculis; hac ſede, colonos
Vos teſtor, Thetis ipſa ſuas fundaverat arces.

Subjungit tamen, alium hujus rei autorem adhuc ſe inveniſſe neminem.

Begerus Teatinorum numiſma refert, illudque ante cum altero aliquo vulgatum eſſe a *Lucio Camara*: Hoc caput Herculis in antica, in poſtica clavam cum pelle leonis: illud, quod item in Begero galeatum caput Palladis, & noctuam repræſentat cum epigraphe: TIATI. Præter duos hoſce numos nullus publicam in libris lucem vidit, noſter tamen ab his diverſus Jovis etiam venerationem viguiſſe conprobat. (137) *Theſ. Brand. T. I. pag. 316*

Bb TE-

(137) Bis hic labitur Haymius, neque enim Begerus dicere poterat, numum ſuum jam ante a Camara productum, niſi res ſit de ſolis ſignis, ipſe enim ſuum quincuncis nota inſignem, Camaræ vero quadrantis eſſe conmemorat. Altera hallucinatio eſt in averſæ typo; leonem & clavam ſcribit Begerus, non exuvias leonis, neque aliter a Camara exhibetur Antiq. Grævii

T.

Digitized by Google

TEGEA inter Viros inluſtres pag. 3.

TRALLES

D. Devonsh. I. Caput muliebre velatum)(ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. Sacer Senatus)(Menſa, ſupra quam corona in qua ΟΛΥΜΠΙΑ, & urna in qua ΠΥΘΙΑ. infra eandem vas aliud: ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΕΛΛΑΔΟϹ. *Trallianorum, qui ſunt in Græcia primi.* Bene ſcalptus, & elegans. *Tab. XX. N. 6.*

D. Devonsh. II. Caput juvenile diadematum. ΙΕΡΟϹ. ΔΗΜΟϹ. *Sacer Populus*)(Corona in qua ΟΛΥΜΠΙΑ. in exteriore orbe ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ nempe: Certamina *Olympia Trallianorum. Tab. XXII. N. 7.*

III. Utraque parte fulmen, & epigraphe ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ex muſeo comitis *de Winchilſea.* Ambo hi fere ſine vitio. *Tab. XXII. N. 8.*

D. Devonsh. IV. Caput Jovis laureatum ΖΕΥϹ. ΛΑΡΑϹΙΟϹ. *Juppiter Laraſius*)(Bacchus nudus ſtans. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. Numus nitidiſſimus *Tab. XXII. N. 9.*

Tralles mediterraneum Lydiæ erant oppidum, Mæandro fluvio vicinum. Audiatur Strabo. L. XV. *Poſt Magneſiam via Tralles ferens, ad lævam habet Meſogidem montem, a dex-*

T. IX. P. V. Col. 24., qui numus, etſi triens, & non quadrans, ut Begerus adnotavit, videatur, a triente Auſtriaco per aſtrum, aut florem intra leonis pedes procuſum differt, ut adeo cum meo indicato, quinque hujus urbis numos diverſis typariis ſignatos habeamus.

Digitized by Google

dextra Mæandri campum. Stephanus: *Tralles*, ait *urbs Lydiæ, quæ prius dicebantur Anthia, quod multi flores illic naſcebantur; Nominabantur etiam Eurymna.* In numo formæ maximæ, qui reliquorum agmen ducit, obſervamus Trallianos ſe primos Græciæ publico in ære geſſiſſe, magnificus hic titulus mirifice confirmat Strabonis hac de urbe ſententiam: *Siqua alia civitas Aſiæ, hæc frequens eſt, ab opulentis viris habitata.*

Ludorum Pythiorum, & Olympiorum indicium etiam in quibusdam hujus urbis imperialibus monetis ſub Domitiano, Caracalla & Sabina Tranquillina præbetur. De corona victoribus in Olympicis decreta agens Pauſanias ſcribit: Herculem inſtitutorem horum ludorum fratribus certamen curſus propoſuiſſe, victoremque oleaſtri ramo coronaſſe, cur hæc præ alia daretur, ratio mox ſubjicitur, idem adtingit alibi. *L. V. c. 7.* *L. VIII. c. 48.*

Etſi numiſma tertio loco poſitum ſingulare ſit omnino ob idem fulminis ſignum, ad Jovem ſane referendum utraque numi parte, atque cum eadem epigraphe percuſſum, novitate tamen magis ſuperat cognomen hujus dei: ZEYC. ΛΑΡΑCΙΟC numo IV. inſcriptum, qui titulus non ſolum antiquariis hactenus fuerat ignotus, verum nec minimum ejus veſtigium apud ſcriptores reperiri poteſt. An forſan explicationem eam admittet, ut *Rex Aſiæ* intelligatur? legere enim me memini, vocabulo *Lar* Hetruſca lingua regem aut dominum deſignari. (138) Id hic

(138) Barbaris nominibus Jovem quidem Labradeum, Bacchum Duſarem &c. adtamen natis in eadem provincia adpellatum novimus; ut vero ex Hetruſca & Græca lingua atque invita grammatica conſarcinatum a Trallianis fuiſſe cognomen probem,

Digitized by Google

hic monendi ſunt eruditi, ne lectionis errorem aliquem ſuſpicentur, velut pro *Lariſſæus* ſubſtitutum fuiſſet *Laruſius*, quia in numo, ut præmiſeram, integerrimo ejuſcemodi lapſui locus eſſe non poteſt. Bacchum, qui in averſa conſpicitur, Tralliani etiam ſuo in ære ferierunt Gordiani Pii, & Gallieni temporibus, ut numi a noſtro *Vaillantio* vulgati teſtantur.

TABULA XXIII.

HYPÆPA.

D. Devonsh. Caput Herculis.)(Bacchus nudus ſtans. ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ *Hypæpenorum.* Artificium bonum optime ſervatum. *Tab.* XXIII. *N.* 4.

*T.I.p.*269 De Hypæpa Lydiæ urbe egeram alibi; Ovidius Metamorph. *L.* XI. *v.* 150. ita canit:

Riget arduus alto
Tmolus in adſcenſu: clivoque extentus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.

Hactenus in Hypæpenorum ære nec Hercules nec Bacchus ſunt obſervati.

HYRCANIS.

I. Caput Herculis.)(Teleſphorus. ΥΡΚΑΝΩΝ. *Hyr-*

bem, a me impetrari nequit. Dixi male conſarcinatum, quia ab Ασια Ασιατης vel Ασιανός derivatur, neque enim puto ad Aſiam Lydiæ urbem reſpexiſſe Haymium. Oedipi gloriam poſteris relinquamus.

Digitized by Google

Hyrcanorum. Opus mediocre, detritum præterea. *Ex muſeo D. Sherard.* *Tab.* XXIII. *N.* 2.

II. Caput turritum. ΥΡΚΑΝΙϹ. *Hyrcanis.*)(Fortuna ſtans d. temonem, ſ. cornu copiæ. ΥΡΚΑΝΩΝ. Minus perito artifice feliciorem ætatem nactus. *Tab.* XXIII. *N.* 3. *D. Devonsh.*

III. Caput Genii. ΙЄΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. *Sacer Senatus*)(Æſculapius ſtans. ЄΠΙ. Α ЄΡΜΟΓЄΝΟΥϹ. ΥΡΚΑΝΩΝ. *Sub Archonte Hermogene Hyrcanorum.* Ejusdem cum ſuperiore fortunæ. *Tab.* XXIII. *N.* 4. *D. Devonsh.*

Inter Hermum & Caicum Lydiæ fluvios diffuſi ſunt campi Hyrcani, in quibus ejusdem nominis urbs, ad cujus officinam exhibiti numi referendi ſunt, dominabatur. Æſculapii, Hygiæ, atque Teleſphori etiam numini devotos fuiſſe cives ex imperialibus quoque Commodi & Maximi monetis diſcimus. Numus II. in itinerario Sponii quidem editus eſt, differt tamen a noſtro, in quo pro ΥΡΚΑΝΗ inſcriptum legitur: ΥΡΚΑΝΙϹ. Caput numi I. Herculis eſſe videtur, verum, quia numus ea parte plurimum vitii fecit, etſi id probabile videatur, pro certo obtrudere nolo. *D. Devonsh.*

PHARSALUS.

I. Caput galeatum.)(Caput equi. ΦΑΡ. *Pharſalus* Ex argento flatus, grana 46 adpendit, integer quidem, ſed rudiore manu ſcalptus. *Tab.* XXIII. *N.* 5. *D. Devonsh.*

II. Caput galeatum. THIΩ)(Eques. ΦAP. ΩTNA-ΦΞΛΞT. Artificis præſtantis & nitidus, pondere granorum 100. *Equitis Roberti Sutton. Tab. XXIII. N. 6.*

Pelasgiotidis in Theſſalia urbs Pharſalus Enipeo fluvio propinqua, campi qui interjacent, conflictus, quo Pompejum Cæſar vicit, theatrum erant, quam ob pugnam ubique celeberrimam cum apud omnes hiſtoriæ Romanæ ſcriptores notiſſima ſit Pharſalus, pluribus abſtineo. Numiſma I. a P. Harduino quidem conmemoratur, aſt non ſine epigraphes diſcrimine, ad quod adcedit P. Latino fere ſimile, quod ipſum præter cælaturæ ruditatem inſignis antiquitatis teſtimonium ſubpeditat. In numiſmate altero nuſpiam edito nomen præter morem a dextra in ſiniſtram ſcriptum conjunctum cum literis in antica parte ſignatis dum lego: *Telephanto Teio*, cogor pene in animum inducere, Telephanto huic copiarum duci ob rem præclare pro Pharſaliis geſtam equeſtrem, quam in poſtica videmus, ſtatuam a civibus fuiſſe erectam, etſi ne nomen quidem hujus herois ullo in libro reperiam.

PHILADELPHIA.

D. Devonsh. I. Caput laureatum. ΔHMOC. Populus)(Leo gradiens ΦIΛAΔEΛΦEΩN. NEΩKOPΩN. *Philadelphenſium Æditunorum.* Artem ſuperat bona conſervatio. *Tab. XXIII. N. 7*

D. Devonsh. II. Caput ſimile, epigraphe eadem)(Mulier ſtans. ΦΛ. ΦIΛAΔEΛΦEΩN. NEOKOPΩN. *Flaviorum Philadelphenſium Æditurorum.* Inperitæ manus opus, ſed integrum. *Tab. XXIII. N. 8.*

III.

III. Caput diadematum. ΔΗΜΟϹ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚ. *Populus Philadelphenſium Æditnorum*)(Cybele ſedens. Κ. ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Et Smyrnenſium tertium Æditnorum concordia.* Sine ætatis vitio cælaturæ mediocris. *Tab. XXIII. N. 9.*

IV. Caput Dianæ)(Apollo ſedens cum lyra. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ - - - *Philadelphenſium Hermippos Hermogenis filius ſummus ſacerdos.* Fabricæ bonæ reſpondet nitor. *Tab. XIII. N. 10.* *D. Devonsh.*

Philadelphia Lydiæ inter Tmolum montem, & Cayſtrum fluvium ſita, in Sardium vicinia conditorem ex Stephani ſententia habuit Attalum Philadelphum, fratrem Eumenis Pergami regis. Duos titulos tres priores numi nobis exhibent, Neocororum communem omnibus, & Flaviorum ſecundo proprium, illum ab Hadriano, ut ex numo Antinoi a *Vaillantio* producto conjicio: hunc etiam monetis Juliæ Domnæ, Gordiani Pii & Philippi patris inſcriptum a Veſpaſiano, aut filiis obtinuerint. III. Numus de concordia Smyrnæorum hactenus antiquariis ignota nos edocet; IV. nomen magiſtratus ſummi ſacerdotis obfert, id quod conjecturam eruditiſſimi *Vaillantii* evertit, qui arbitrabatur Lydiæ urbibus omnibus archontes præfuiſſe. (239) *Vide numum Sardianorum in Caracalla p. 109.*

Leo

(139) Fateor conjecturam Vaillantii convelli, verum aliud aliquid illi ab Haymio adpingitur: Non negat, ad munus archontis adſumptos etiam fuiſſe ſummos ſacerdotes, id ſolum adſerit, ſe augurari, magiſtratus non pontifices, ſed archontes in aliorum Lydiæ oppidorum numis, quemadmodum in Sardianis, adpellari,

Digitized by Google

Leo in poſtica primi numi ob Attalum conditorem, ut dixeram, gloriam, quam ex Macedonica origine captabant, indicat; typus ſimilis in Alexandri M., Caſſandri, & Lyſimachi monetis obſervatur. Quale ſignum ſecundo in numo ferierint monetarii, ob inperitam cælaturam diſtinguere nequeo; ſi geſtus ſpectetur, Diana haberi eo probabilius poterit, quod ejusdem deæ caput in antica numi ultimi videtur, quemadmodum etiam in numis Commodi & Septimii Severi eadem in urbe ſignatis. Cybele etiam numi III. capiti M. Aurelii, ſicut Apollo poſtremi hujus & Commodi vultibus in numis Græcis a Vaillantio relatis jungitur.

CHABACTUS recenſita eſt litera Π inter Ponticas.

CHALCIS T. I. pag. 234.

lari, ipſe alias ſecum pugnaret, qui *pag.* 310. de munere Αρχιερεως agens ſcribit: *Non propter eam* (dignitatem) *numorum cudendorum habere poteſtatem exiſtimamus, ſed quod hanc dignitatem cum prætoris, aut alterius magiſtratus munere habeat adjunctam.* Ceterum Vaillantii conjectionem numi poſtea producti non de aliis Lydiæ oppidis, ſed de ipſis Sardibus evertunt, muſeum Theupoli Sardianorum numum *T. II. pag.* 982. Frœlichius *IV. Tent. pag.* 219. Acraſiotarum, *pag.* 449. Thyatirenorum numum profert, in quibus Στρατηγου *Prætoris* magiſtratus inſcriptus.

Digitized by Google

DE NUMIS CONSULARIBUS.

Pauci hi familiarum Romanarum numi anteambulonum more potius viam ad ſeriem imperialium ſternunt, quam ut peculiarem libri ſectionem conſtituant. Eo illos ordine, quem D. *Vaillantius*, atque ante illum alii tenuerant, referam.

TABULA XXIV.

CÆCILIA.

Ciſta Bacchi cum ſerpente.)(Signum legionare cum duobus ſerpentibus utrinque adſurgentibus. Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. cum monogrammate, cui literæ ΠΕΡ inplexæ (140) numum Pergami ſignatum indicant. Elegans non ſine præclara cælatoris laude, granorum Anglicorum 190. *Equitis Roberti Sutton. Tab. XXIV. N. 1.*

Urſinus noſter eruditiſſimus primus erat, qui numos his nominibus inſcriptos P. Cornelio Scipioni Naſſicæ vendicavit; Adoptatus is erat a Metello Pio, ut Dio ſcribit, *L. XL.*, factus ſubinde conſul V. C. anno 702 cum Pompejo, cui filiam in matrimonium conlocavit. Bis a milite imperator adclamatus eſt, primum dum Syriam pro con-

(140) Imo Γ etiam continet, ne quis inprudens Perinthiorum officinam cogitet.

Digitized by Google

ſule obtinebat; iterum cum poſt cladem Pharſalicam in Africam, ubi Cato illi exercitum tradidit, ſe recepiſſet. Geſta prætura provinciali an. V. C. 699, violenta manu ſibi ipſi inlata, poſtquam victus fuiſſet; interiit in Africa an. V. C. 708.

CESTIA.

D. Devonsh. Caput Cereris velatum. M. CESTIV - -)(Dea eadem in curru quadriga equorum vecto. MVN. HENNAE. Ex ære flatus, molis craſſioris, fabricæ laudabilis nec a ſitu aut uſu vitiatus. *Tab. XXIV. N. 2.*

Vide Tab. 67 & pag. 46. Edit. Lugd. Etſi Paruta ſuos numos omnes imaginibus repræſentaverit, præſtantem tamen hanc monetam ita ſolum deſcripſit: A. GESTIVS. Q. MVNACIVS. MVN. ENNA. -- quæ epigraphe, ut ex noſtra videtur, mendoſa ipſum Parutæ numum in adulterationis ſuſpicionem adducit, in præſente etenim citra omne dubium legitur: *M. Ceſtius* pro *A. Ceſtius* & *Mun. Hennae* pro *Mun. Enna.* Spanhemius nec *De præſt. & uſu num. pag. 906. Edit. 2dæ.* typo nobiſcum conmunicato, nec nominum ratione habita, adnotaſſe contentus erat, in eo legi: MVN. HENNAE; Ob incertam adeo, vagamque hujus monumenti notitiam operæ pretium me facturum arbitrabar, ſi adjunctis obſervationibus exacta ad omnem adcurationem cælatura omnium oculis numiſma objicerem.

In edito quodam loco, qui, quod in inſulæ medio ſe erigebat, umbilicus Siciliæ dicebatur, ſtructa erat Enna, conditores Syracuſanos duce Enno, a quo nomen traxerit, contendit Stephanus; Pomponius Mela, eam a Cereris tem-

plo

Digitized by Google

plo famam habere ſcribit, atque hinc filiam ejus Proſerpinam raptam eſſe notum. Ariſtoteles tantam in circumſitis pratis florum abundantiam conmemorat, ut horum odore canes ab indagine avertantur.

Si quis omnia, quæ ad numi noſtri explicationem faciunt, exhaurire deſiderat, Ciceronis orationem in Verrem, quæ incipit: *Venio nunc ad iſtius* &c. adeat, leget ibidem: *Etenim urbs illa non urbs videtur, ſed fanum Cereris eſſe; Habitare apud ſe ſe Cererem Ennenſes arbitrantur, ut mihi non cives illius civitatis, ſed omnes ſacerdotes, omnes accolæ, atque antiſtites Cereris eſſe videantur.* Quis jam miretur in monetæ antica parte caput Cereris, in poſtica deam eandem face armatam curru vectam atque quærentem Proſerpinam filiam, fuiſſe ſignatam. *L. VI. aliis IV. orat. 9.*

Laudatus mox Cicero paullo ſuperius dixerat: *Apud patres noſtros atroci ac difficili rei publicæ tempore, cum Ti. Graccho occiſo, magnorum periculorum metus ex oſtentis portenderetur, Q. Mucio, L. Calpurnio conſulibus V. C. 621. aditum eſt ad libros Sibyllinos, in quibus inventum eſt: Cererem antiquiſſimam placari oportere. Tum ex ampliſſimo collegio decemvirali ſacerdotes populi Romani, cum eſſet in urbe noſtra Cereris pulcherrimum, & magnificentiſſimum templum, tamen usque Ennam profecti ſunt, tanta enim erat autoritas, & vetuſtas illius religionis, ut, cum illuc irent, non ad ædem Cereris, ſed ad ipſam Cererem proficiſci viderentur.*

Quia nec de M. Ceſtio, nec quidquam de tempore, quo municipii jus Ennenſibus datum ſit, apud hiſtoricos reperio, ex Ciceronis verbis infero, argui poſſe, ablegatum

Digitized by Google

eo ab Romanis, beneficio, quod a Cerere pertulerant, potitis, M. Ceſtium, oppidoque municipii dignitatem fuiſſe conlatam; Erat hæc ſane ex præcipuis, quæ a re publica exteris concedebatur, cum municipia coloniis multum præſtarent teſte Aulo Gellio, qui cum pluribus diſcrimen colonias inter & municipia perſequitur, refert Hadrianum imperatorem Italicenſium, unde ipſe originem traxerat, preces, quibus municipes cum eſſent, coloniæ jura petebant, non ſine indignatione miratum eſſe.

L. XVI. c. 13.

CLAUDIA.

Ciſta Bacchi, ut in numo primo)(inter adſurgentes ſerpentes duos ferula, cum acroſtolio, ad latus aliquid caduceo ſimile. C. PVLCHER. PROCOS., ΜΗΝΟΔΩΡΟϹ. *Menodorus* magiſtratus nomen, & monogramma Pergami. Belle cælatus, atque nitidiſſimus, Equitis *Andreæ Fountain. Tab. XXIV. N. 3.*

Paucis de numiſmate hocce argenteo formæ majoris diſſeram, cum ejusdem proconſulis nomine inſignem, etſi ab noſtro diverſum produxerit omni eruditione conſpicuus Seguinus, illud ſolum adtingam, quod ab aliis referentibus ejuscemodi numos eſt neglectum; Typo ſimili cuſos quinque novi hactenus, nempe præter noſtros, & indicatum Seguini, quartum M. Tullii Ciceronis nomine inluſtrem, qui duo ex Laodicena officina prodierunt; agmen claudit alius Apamenus Patini, cui Pub. Lentulus inſcriptus, quem numum in familiis Romanis *Vaillantii* non commemorari, miror plurimum.

Select. Numiſ. Edit. 2da pag. 80.

Theſ. in 4'o pag. 45.

Cum

Cum nunc relati, tum noſtri Pergameni hinc duos ſerpentes Aſiam repræſentantes, illinc in corona hederacea myſticam cum ſerpente ciſtam habent, qui typus Cretenſium proprius, ut erudite numos Goltzii explicat Lud. Nonnius. *Inſ. Græc. Tab. III & IV. pag. 217.* Objiciet aliquis, quid Cretæ inſulæ cum urbibus Apamea, Laodicea, Pergamo? Rem omnem conficit Strabo, qui totam illam Aſiæ partem Cretenſium coloniis frequentatam fuiſſe nos docet, *L. XII. p. 572.* unde facile conſequitur antiquos religionis ritus, ludos, & feſta ab iiſdem conſervata eſſe. (141)

PUPIA.

Caput Jovis Ammonis.)(Sella curulis & faſces. *D. Devonsh.* ANTICT. *Tab. XXIV. N. 4.*

Explicationem hujus monetæ videſis in familiis *Vaillantii pag. 323. & Tab. CXX. N. 5.* familiæ Pupiæ. Quia inſcriptio ſub ſella curuli in noſtro bene conſervato numo non conſentit cum laudati autoris imagine, id ſolum movit, ut eandem hic reſtituerem.

 SEM-

(141) Nihil Aſiæ cum ſerpentibus, aut Cretæ cum ciſta myſtica peculiare, quam in Pergamenis, Laodiceno, Apameno numis viderat ipſe Haymius, ut ſua tam Aſiaticis, quam Cretenſibus erant Sabazia, ita numi cudebantur ciſtophori; Præſtitiſſet, Strabonis locum præ illo pro coloniis ex L. XII ad horum numorum explicationem ex L. X. adferre, ubi *pag.* 468: Ἐν δὲ τῇ Κρήτῃ - - καὶ τὰ τοῦ Διὸς ἱερὰ ἰδίως ἐτελεῖτο μετ' ὀργιασμοῦ *In Creta autem peculiari modo etiam Jovis ſacra cum orgiis peraguntur.* Vide contra utramque Haymii explicationem ſingularèm libellum conlegæ mei Panelii de ciſtophoris, atque præcipue cap. 13 & 14.

SEMPRONIA.

Caput muliebre velatum velut quadrato quodam circumſcriptum, extra quod ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ. *Lilybætanorum.*)(Tripus, cui obvolutus eſt ſerpens. ΑΤΡΑΤΙΝος ΠΥΘΙΩΝος *Atratinus Pythionis filius.* Flavi æris, atque rubra cruſta inductus, pondere 373 granorum; cælatura miſera aliquanto melior conſervatio. *Equitis Hans Sloane. Tab. XXIV. N. 5.*

Fazel. Dec. I. L. 7. c. 1. Lilybæum urbs & promontorium Siciliæ Sibyllæ Cumanæ hoſpitio & ſepulcro inclaruit, adeo, ut Solinus Lilybætanorum oppidum promontorio, huic vero Sibyllæ monumentum plurimum decoris addidiſſe contendat. Cellarius *L. II. c. 12.* ex Aſconio Pediano *in Divinat. Verrin.* hæc refert: *A duobus quæſtoribus Sicilia regi ſolet, uno Lilybætano, altero Syracuſano* &c. *Miſc. Erud. Antiq. pag. 184.* Inſcriptio apud Sponium adſervata coloniam eam ab Auguſto factam demonſtrat, eccam: DEC. SPL. COL. AVG. LILYB. τὸ SPL. lego: Splendidiſſima, quia hoc honoris titulo eam ſæpius eadem in oratione cohoneſtat Cicero.

His perpenſis caput muliebre velatum aut Sibyllæ Cumanæ, aut Pythiæ ſacerdotis eſſe exiſtimo, cum quia a Lilybætanis præcipui honores Apollini deferebantur, tum quia hac in urbe ſacer quidam erat puteus, ex cujus aquis qui bibiſſent, divino quodam ſpiritu incitati futura prædicebant, lineæ ſane illæ, quæ caput quadrato circumſcribunt, etſi rudi imagine vel ipſum illum puteum, vel Sibyllæ ſepulcrum repræſentare poterunt. Ad partem averſam adgrediamur, quæ majoris eſt momenti.

In-

Digitized by Google

Inſcriptio: *Atratinus* numum ad familiam Semproniam pertinere indicat, quæ præter hoc etiam Pitionis cognomen uſurpavit; Quare nequaquam dubito, monetam noſtram ad celebrem illam navalem victoriam, quam Romani de Carthaginienſibus ad Lilybæum bello Punico ſecundo an V. C. 535 reportaverant, eſſe referendam, quo anno Sicilia Tito Sempronio Longo Cos. erat decreta, videturque moneta imperio Æmilii prætoris cuſa, qui eo ipſo tempore Lilybæi agens, cum ab Hierone non ſolum de adventu hoſtilis claſſis admonitus, ſed duodecim etiam navibus adjutus eſſet, plurimum ad felicem hanc pugnam contulit. (142) Numi ea antiquitas, quæ non niſi remotiora hæc tempora redolet, conjecturæ meæ pleniſſime addicit. *Vaillant. in famil. Sempronia.* *Tit. Liv. L. XXI. c. 20.*

Deſcripſerant hunc atque explicaverant etiam ante me quatuor celeberrimi antiquarii: Patinus, Harduinus, Begerus, & Vaillantius, quorum opiniones (omiſſa Patini, quæ apud Vaillantium indicatur) ut, quam in diverſa abiverint, videatur, compendio enarrabo. Eruditione clarus Pater Harduinus ſub velato capite Pompejum vidit, epigraphen anticæ cum legiſſet: ΑΙΛΤΒΑΙΤΑΝ: poſticæ: ΑΤΡΑΤΙΝΟΥ: ΠΥΘΙΑ *Ludi Pythii, edente Atratino*, numum adtribuit L. Sempronio Atratino an. V. C. 720 Cos. *De Pop. & Urb. in addit. pag. 578. edit. in 4to Paris. 1684.*

Begerus ex epigraphes peſſime adfectæ reliquis literis ΙΛ - - - ΙΤΑΙC nihil niſi admirationem colligit, viſo C pro *Theſ. Brand. T. II. pag. 583.*

(142) Mutavi annum V. C. 537, qui in editione lapſu typographi videtur poſitus; Omiſi etiam parum commode adſutas conſulis in prætorem conlatas laudes, de quibus nihil Livius.

Digitized by Google

pro Σ, quam ſigmatis formam Domitiani ætate primum, uſu invaluiſſe arbitratur; Numum ad Antonii expeditionem Parthicam removet, quia caput anticæ Bacchi eſſe videbatur &c.

Num. fam. Rom. T. II. p. 369. Tab. 125. N. 7.

Vaillantius Patinum ſecutus, caput Apollinis ſignatum cenſet, neque ea parte aliud legit quam TOIC: in averſa vero ATPATINOC. ΠΤΘΙΑ; monetam ad Domitiani tempora retractam A. Sempronio Atratino Cos. adtribuit. Poſtremi hi duo altum tacent de ΛΙΛΤΒΑΙΤΑΝ, forſan quia numum adeo detritum habuere, ut ne legi quid poſſet. Arbitrium, quæ harum opinionum præferenda, eruditis relinquo; quod ſi mea aliqua ratione magis probanda eſt, id numo magis integro debeo. (143)

IN-

(143) Primus, quod ſciam, delato ab Haymio arbitrio reſpondit Havercampius in Grævii *Sicilia T. VI. col.* 545. Probat is primum caput Sibyllæ, lineas tamen, quibus clauditur, quia in triangulum potius convergunt, triquetræ ſignum eſſe contendit; Perſtringit deinde, numum ad Sempronium referri, cui an. V. C. 535 Sicilia erat decreta, utpote qui Longi, non Atratini cognomen habebat; addere potuiſſet: qui nihil ad navalem Æmilii prætoris victoriam abſens contulerat. Denique de quodam Atratino epigraphen averſæ explicat, qui templum Apollinis dedicaſſet, ita enim legerat: ΑΤΡΑΤΙΝ. ΠΥΘΙΟΝ, atque ſubintelligendum cenſet ΑΝΕΘΗΚΕ, meo judicio parum commode, dum de templi dedicatione agitur. Me quod adtinet, non parum offendit, inſolens apud Romanos parentis indicatio per cognomen, quam tamen per ſubpletum ΠΥΘΙΟΝος illis inpegit Haymius, ut nihil dicam Semproniam familiam

Pitio-

Digitized by Google

INCERTÆ.

I. Caput Panis dei, aut Satyri.)(Eques - - - TINOC. conſervationis mediocris. *Tab.* XXIV. *N.* 6. *D. Devonsh.*

Quia ad caput fiſtula, quæ adtribui ſolet Pani, abeſt, Satyrum exhiberi mavelim, quem quidem typum in nullo conſularium, ut dicimus, numiſmatum obſervavi; Mutilum nomen TINOS. qui aliter, quam legendo COLATINOS conpleam, non video, ut adeo figura equeſtris d. coronam gerens in monumentum *relatæ* de Carthaginenſibus *in* Sicilia victoriæ honoribus familiæ ATILIAE percuſſa ſit, vide *Vaillantium.* *T. I. pag.* 147.

Dd II.

Pitionis, nunquam vero Pythionis cognomen habuiſſe. Præſtabit forſan primos hujus coloniæ II viros agnoſcere, quorum alter ΠΥΘΙΩΝ peculiari indulgentia ex ipſis oppidi civibus erat deſignatus, obtinente adhuc Græca præ Romana publicis in monumentis lingua. Lineas illas nec puteum vel ſepulcrum, nec triquetram indicare exiſtimo; non hanc: cum quia Lilybætani in nullo, qui ad nos perveniſſet, numo ſolitum trium crurum typum adhibuere, tum quia nulla alia inſulæ urbs hac forma tria promontoria repræſentat. Haymii figuræ ideo non placent, quia cum tam ſacer ille puteus, quam monumentum Sibyllæ ad urbis decora pertinuerit, aliquod ſaltem aliis in numis veſtigium adpareret. Mallem reſiduam ex antiqua hujus formæ cava area circumſcriptionem, more aliarum urbium etiam tum retentam, cum utraque pars monetæ ſignari cœperat, haberi, dum quid aptius in medium proferatur.

Digitized by Google

II. Caput Herculis cum clava, oleagina corona cinctum velut inſtitutoris Olympicorum ludorum, ut ſcribit Pauſanias.)(Eques alterum equum manu ducens cum aliis ſignis poſtea indicandis. Numus integerrimus & præclari artificii, adpendit grana 59. Ex muſeo D. *Richardi Edgecumbe. Tab. XXIV. N. 7.*

L. V. c. 7.

A Vaillantio & Fulvio Urſino cum hic numus inter incertarum familiarum alios referatur, nec mihi ſumam, ut eum explicem, id ſolum moneo diverſum eſſe cum in litera K, pro qua in illis B, tum per duos talpas, quorum loco alii urſum, aut aprum ſignatum habent. Literæ D. S. S. in noſtro incuſæ ſunt.

Fam. Rom. Tab. 150. N. 5. Urſ. p. 288.

VELIA *urbs.*

Duo ſequentes numi ad corrigendum Vaillantium in familiis Romanis hic proponuntur.

D. Devonsh. I. Caput Jovis laureatum cum nota quincuncis.)(Aquila cum fulmine: VEλητων. Numus craſſior, ſine ſcalptoris vel ætatis vitio, pondere 254 grana Anglica æquat. *Tab. XXIV. N. 8.*

D. Devonsh. II. Caput Palladis galeatum cum nota ſextantis.)(Noctua cum ramo oleæ VE. granorum 46. *Tab. XXIV. N. 9.*

Velia Italiæ ad mare Tyrrhenum in Lucania urbs erat, a Parmenide & Zenone philoſophis Pythagoricis teſte Strabone non parum inluſtrata; hodie ruinis ſuis contumulatam

tam Alberti in ſua deſcriptione Italiæ conmemorat. Inter numos familiarum apud *Vaillantium* primo noſtro ſimilis, & quidem VETVRIAE familiæ adſcriptus reperitur, ſcribit etiam in adnotationibus: legi in moneta VET. nominis hujus gentis initium, verum in excuſa imagine nihil de T conparet. Noſter integerrimus numus ſolum VE contractum repræſentat, atque citra omne dubium eſt urbis Veliæ, quod clariſſime in ſecundo Pallas & noctua confirmant, quibus ſignis conditores ſuos Phocæenſes, juxta Herodotum, profitentur Hyelæi. Conſule Harduinum & Goltzium in Sicilia cum explicatione Nonnii.

T. II. pag. 534.

De Pop. & Urb. p. 520. in 4to. Tab. 22 & 23. Pag. 247.

NUMISMATA IMPERATORUM ROMANORUM.

TABULA XXV.

BRUTUS & SULLA.

BRVTVS. Caput nudum, & barbatum.)(SVLLA. COS. Caput nudum. Subæratus, cetera integerrimus. *Tab. XXV. N. 1.* *D. Devonsh.*

In nullo hactenus numo duo hæc capita juncta vidimus, quippe Brutus plerumque cum Ahala, Sulla cum Rufo ſignatus reperitur, noſter primum rei publicæ inſtitutorem cum primo monarchiæ imperii Romani autore repræſentat:

Plutarchus in Sulla ſub finem. ut diſcordiæ, Marii & Sullæ præluxerunt Cæſari & Pompejo, ita ſupremus dictatoris magiſtratus, per annos 120 intermiſſus, (144) ab Sulla adſumtus Cæſari perſuaſit, ut ſe dictatorem perpetuum gereret. Neque tamen eo hunc numum conſilio percuſſum arbitror, fuerit aliquis familiæ Corneliæ & forſan Pompejus ipſe, qui eum monetariis feriundum conlocavit, ut demonſtraretur, Sullam Mario perdomito, & dictatura abdicata rem publicam conſervaſſe, quam primum Brutus conſtituerat, & documento publico, quam animus ab monarchia abhorruerit, liqueret.

POMPEJUS. M.

D. *Devonsh.* MAGNUS. IMP. Caput Pompeji nudum cum gutto & lituo.)(M. SCAVR. AED. CVR. inferiore in ſegmento RX. ARETA. nempe *rex Aretas*. Rex barbarus genu flexo d. ramum oleæ porrigit, ſ. frenos cameli tenet. Literæ ad amuſſim in imagine cælatæ ſunt. Subæratus, ſine alio ætatis vitio. *Tab. XXV. N. 2.*

T. I. p. 49. M. Scauri cum Areta rege in ſimili numo familiæ Æmiliæ N. 44 meminit Vaillantius, quod nequaquam ab noſtri editione me abſterruit, in quo ſingulari novitate cum capite Pompeji exhibetur. Arabum regem Aretam ab hoc ipſo M. Cicerone, & C. Antonio Coss. V. C. anno 691 victum *L. XXXVII.* teſtatur Dio. Non eſt, quod alicui ſuboriatur ſuſpicio, velut errore monetarii, qui numum adulteravit, caſu aliquo adhibitum

(144) Non videbam, qua alia ratione locum Haymii conſanarem, ubi: *Silla Dittatore per anni* 120 *a inſegnato a Ceſare &c.*

bitum fuerit typarium ſolito Pompeji capite cælatum, cum altero Scauri nomine, de quo memini, inſcripto; etenim averſæ epigraphe non ſolum literarum forma omnino diverſa eſt, ſed abeſt præterea: EX. S. C.

JULIUS CÆSAR.

Caput Cæſaris laureatum I - L.)(Duumvir agens boves, ſignum coloniæ deductæ. Q. LVCRET. L. PONTI. COL. DERTOSA. Artificium pro Hiſpanico bonum cruſta viridis pro merito conſervavit. *Tab. XXV. N. 3.* *D. Devonsh.*

Dertoſam Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Iberum fluvium ſitam urbem Strabo coloniam nominat, eam ab Julio Cæſare coloniis frequentatam fuiſſe, ſuadet numus capitibus Tiberii & Auguſti atque his literis: C. I. A. D. inſignis, quas felici divinatione, rejecta Harduini, qui Dertonam Liguriæ pro Dertoſa obtruſit, opinione, ita legerat Vaillantius: *Colonia Julia Auguſta Dertoſa.* Spongia Vaillantii etiam laudati Strabonis ad rem conprobandam autoritate ſtipati adeo uſſit P. Harduinum, ut non ſolum animum in priore ſua ſententia, qua Dertoſam nunquam coloniam, ſed municipium fuiſſe contendit, obfirmaverit in altera operum ſuorum editione in folio, ſed etiam Strabonem ipſum his verbis inpetierit: *Dertoſam coloniam fuiſſe tam falſò Strabo prodidit L. III. p. 159, quam Panormum L. VI. p. 172.*

L. III. *Pop. & Urb. p. 137. in 4to.* *Colon. T. I. p. 33 & 74.* *Pag. 49.*

Verum præſens numiſma litem omnem clare decidit, non ſolum enim pro Strabone coloniam, ſed a Julio Cæſare fundatam pro *Vaillantio* pronunciat: adſunt præterea IIvirorum nomina urbi præfectorum, atque ne in ſimilem cum

Harduino errorem prolabamur, cavetur per ſpeciem aliquam monogrammatis I - L in antica ſignati, quod legi poterit: *Ilergavonia*, vel ad rem etiam aptius *Hibera Ilergavonia* ſolutum ſcilicet ob punctum medium magis oblongum in tres has literas H. IL. Hinc conſequitur, non facile iis fidem adhibendam,* a quibus etiam probatiſſimorum ſcriptorum autoritas proteritur. Nullus hactenus coloniæ Dertoſæ nummus Cæſaris caput exhibuit; quando vero idem oppidum jura municipii adierit, hujus loci non eſt, ut a me diſcutiatur.

TRIUMVIRI.

D. Devonsh. Tria capita nuda)(Diana Epheſia. ΕΦ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΓΛΑΥΚΩΝ. ΓΡΑΜ. ΛΕΚΗΠΑΔΗΣ. *Epheſiorum ſummus ſacerdos Glaucon, ſcriba Lecepades.* Ætatem magis, quam artem benignam habuit. *Tab. XXV. N. 4.*

Pag. 235 Vide Vaillant. pag. 2. Edita quidem hæc moneta jam fuerat a Morellio in ſuo *ſpecimine*, verum cum alius ſcribæ nomine. Obſervatione dignum eſt in noſtra, capita & ætate, quam præferunt, & oris habitu eſſe ſimilia, id quod forſan de induſtria, ne cuiquam aliquid præcellentiæ tribueretur, factum, ut oſtenderetur, Auguſtum, M. Antonium & Lepidum ſine ullo dignitatis diſcrimine in triumviratu eſſe æquales. (145)

CLEO-

(145) Arbitror plus ingenii cælatoribus Epheſinis in mediocri, ut ipſe fatetur, opere adtribui ab Haymio; Vultuum ſimilitudinem in iisdem tabulis X & XI. Tom. II. picturarum Herculanenſium videmus, idque inſcitiæ potius argumentum, cum Plinius Polygnotum Thaſium laudet L. XXXV. C. 9. *quod inſtituit, - - - vultum ab antiquo rigore variare.*

Digitized by Google

CLEOPATRA & M. ANTONIUS.

BACIΛ. ΘEA. NЄA. *Regina Diva altera*, vel *Regum altera Diva* (146))(ANTΩ. VΠIA. Γ. *Antonius Cos III.* numus utrinque ſine ſignis, aliquantum detritus, officinam mediocrem redolet. *Tab.* XXV. *N.* 5. *D. Devonsk.*

Quia conſulatus III. Antonii in Ægypto cum conſulatu Cæſ. Auguſti & M. Valerii Meſſalæ in annum V. C. 724. A. X. 30 incidit, numus eo ipſo anno eſt ſignatus, quo Cleopatra ſecundum Plutarchum ætatis 39, regni 22, conſuetudinis cum hoc triumviro 14, & quod excedit, anno, atque Antonius annos 53, vel juxta alios 56 natus violentas ſibi manus intulerunt. *Dio. L. LI.*

Titulum deæ novæ in rariſſimo hoc numo Cleopatræ adjectum cenſeo, quia jam altera Cleopatra Ptolemæi Philometoris VI. regis Ægypti filia, atque trium regum Syriæ uxor, ut in ejus numis tomo noſtro primo, item apud *Vaillantium* videri poteſt, ſuperbo hoc titulo eſt ornata. Laudatus *Vaillantius* hujus Cleopatræ Ægypti reginæ duos præterea numos vulgavit cum cognomine deæ novæ ΘEA. NEΩTEPA. quod alio, quam ego, modo explicat. (146) Numus noſter, ut plures alii quatuor primis tabulis imperialium a me producendi, erroneam illorum opinionem, qui ſigma hujus formæ C. ante Domitiani tempora uſitatum non fuiſſe cenſebant, clariſſime redarguit. *Pag.* 94. *&c. Hiſt. Reg. Syr. pag.* 337. *Hiſt. Ptol. pag.* 189. *&* 190.

AU-

(146) Utraque explicatio diſplicet, divarum nomen non niſi mortuis indulgebant Romani; Græca adulatione reddenda epigraphe: *Regina dea nova* vel *junior*, alibi enim in ære publico NEΩTEPA nominatur.

AUGUSTUS

I.

D. Devonsh.

ΚΑΙΣΑΡ. *Cæſar.* Caput Auguſti nudum.)(Sacerdos ſtans d. pateram ſ. ſecurim gerit. ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ. ΓΛΥΚΩΝ. ΙΕΡΕΥΣ. *Heracleotarum. Glycon ſacerdos.* Integer, & periti artificis. *Tab. XXV. N. 6.*

Cum forma, tum fabricæ ratio mihi perſuadent, non aliam quam Jonicam officinam eſſe quærendam, Heracleæ nempe ad Latmum montem Mileto, & mari vicino oppido, cujus nullam adhuc monetam vidimus; percuſſum numum eo temporore cenſeo, quo junior auguſtus Cæſaris ſolum titulum geſſerat. Latmum apud poetas ab antro Endymionis, ejusque cum Luna amoribus celebrem novimus, quare haud aliter acſi Auguſtus ipſe foret Endymion, adſtat in poſtica parte ſacerdos peregrino habitu ad ſacrificium Auguſti honoribus faciundum adcinctus, velut in eum Heracleotarum numen tranſiviſſet.

II.

D. Devonsh.

Caput nudum CAESAR. AVGVSTVS.)(PVTEAL. SCRIBON. Elegans, ſed ſubæratus. *Tab. XXV. N. 7.*

Scribonia Juliæ mater, tertia Auguſti uxor, ipſa ſi Dionis narrationem ſequimur, die, qua filiam enixa erat, ab Auguſto Liviæ amoribus capto anno V. C. 716. repudiata fuit. Vivebat quidem adhuc anno 749 Scribonia, quia indicatus autor ſcribit, eam ſponte cum filia Julia exulatum iviſ-

ſe.

Digitized by Google

ſe, numus tamen hic multo poſt repudium tempore cuſus fuit, quia Octavianus Auguſti titulum in numo ſignatum anno 727 primum adſumſerat. Ex quibus conſequitur, cum caput ſuum ſolito in familia Scribonia averſæ typo jungi voluerit, denarium in ejus gentis honorem revocata adfinitatis memoria, quam cum ea contraxerat, illius juſſu flatum fuiſſe. Pro poſticæ partis explicatione *Vaillantium* lector conſulat. *L. LV.*

III.

CЄBACTOC. *Auguſtus.* Caput ejus nudum)(ΠΑΙΩΝΙΟΥ. CΥΝΑΡΧΙΑ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Pæonio* conlega vel duumviro, *Synarchia Antiochenſium* Pallas armata gradiens. Cælaturæ bonæ par conſervatio. *Tab. XXV. N. 8.* *D. Devonsh.*

Numos Antiochenos, qui ſynarchiæ mentionem faciunt, Cariæ adtribuit Cl. Morellius, quem conſule. Cum ſolum Auguſti nomen inſcriptum ſit, arbitror cives ipſum hunc titulum Octaviano tum conlatum fuiſſe gratulatos; Quod ſi obtinet, numus ſub annum V. C. 727. cuſus fuerit. Epigraphe CEBACTOC ſigma quadratum habet ei ſimillimum, quod in vocabulo CΥΝΑΡΧΙΑ imagine averſæ partis inſcalptum exhibeo. *Specim. p. 207. & ſeqq. Vide etiam Vaillant in Livia & Claudio.*

IV.

Epigraphe, & caput ſimile)(ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. ΚΤΙΣΤ. - - - - *Clazomeniorum conditor.* Pallas armata ſtans, (147) *D. Devonsh.*

Ee cujus

(147) Cum in conſequente numo poſſeſſor non adſcribatur, forſan hoc in margine indicium illuc referri debebit.

Digitized by Google

cujus vultui aſtrum in area inminet. Ex muſeo *D. Guilielmi Croſſe.* Artificium laudabile parum detritum. *Tab.XXV. N. 9.*

L. VII. C. 3. Clazomenii, quamvis eorum urbs teſte Pauſania erat antiquiſſima, Auguſtum conditorem ſuum, non in hac ſolum *Specim. Tab. XX. Græc. Imp. pag. 12.* moneta, ſed altera diverſa apud Morellium jactant. Pallas, averſæ partis ſignum, in alio Claudii apud Vaillantium numo hujus urbis adnotatur; in noſtro tamen, cum aſtrum, quod planetam Venerem eſſe conjicio, ſuſpiciat, Auguſti originem indicare videtur.

V.

Antica ſuperioribus ſimilis)(ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΠΥΘΗΣ. ΠΥΘΟΥ. ΤΩ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. *Laodicenſium Pythes Pythis* filius *iterum.* Juppiter Philalethes ſtans. *Tab. XXV. N. 10.*

L. V. C. 29. Laodiceæ Cariæ vel Phrygiæ Lyco fluvio adſitæ adſcribendus eſt numus, de qua Plinius: *Celeberrima urbs Laodicea impoſita eſt Lyco flumini, latera adluentibus Aſopo, & Capro, appellata prius Dioſpolis, dein Rhoas.* Conditam vult Stephanus ab Antiocho Stratonices filio, atque ab hujus uxore nomen traxiſſe. Numi atque ille præcipue a *Vaillantio* ſub Auguſto relatus, qui inſcribitur: ΖΕΥΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Juppiter veritatis amans* *Græc. Imp. pag. 4.* *Laodicenſium* Jovis hujus, & filiorum, ut in noſtro Dioſcurorum pilei declarant, ſanctiſſimam apud cives fuiſſe religionem conteſtantur.

VI.

VI.

CЄBACTOC. Caput Auguſti laureatum)(ΑΠΟΛ-ΛΩΝΙΟC. ΥΙΟC. ΑΦΡΟΔΙCΙΩΝ. cujus epigraphes explicatio infra dabitur. Diana Polymaſte. Cruſta mineralis nigra boni ſcalptoris opus ab injuria temporis cuſtodivit. *Tab. XXV. N. 11.* *D. Devonsh.*

Aphrodiſienſes Cariæ hanc Auguſti honoribus feriiſſe monetam ex Vaillantii ſententia cenſeo. Ab Hierocle *in Notit.* dicitur: Metropolis Aphrodiſias, Plinius Aphrodiſienſes liberos pronunciat: videſis etiam Tacitum. Averſæ partis inſolens inſcriptio interpretationes duas admittere poteſt, en primam: *Apollonius filius* ſeu *Junior Aphrodiſienſium*, atque tum ejus Apollonii filius deſignatus eſſe poterit, cujus parens Cæſaris, ut Plutarchus, & Ciceronis, ut ipſe dialogo de Oratore teſtatur, magiſter fuerat, in quem ob patris merita Auguſtus beneficia aliqua contulerit. *Ann. L. III. c. 62.* *In Cæſare ſub initium*

Habe alteram: *Apollonius Aphrodiſienſium filius.* Ut hæc explicatio magis præter morem videri poſſet, planior tamen eſt, atque in Apollonium Aphrodiſienſem ſummum ſacerdotem & hiſtoricum conveniet, qui teſte Suida præter hiſtoriam Caricam, de Trallibus, de Orpheo, ejuſque ſacris ſcripſerat. Unde conſequetur ſuam civisque ſui gloriam hac moneta illuſtrare voluiſſe Aphrodiſienſes, cui ſcilicet ob nominis famam jure merito ex libris ſuis conlectam titulum: filii patriæ adjecerant; additum præterea eſt numen hactenus in Aphrodiſienſium ære non obſervatum, cujus ſacerdotio fungebatur. *Vide Tab. XXVIII. N. 2. & 7.*

Digitized by Google

Sol Luna, & quæ utrinque aream ornant, agri fertilitatem deſignant, utpote quorum aſtrorum alterum calore, humore alterum frugum proventum adjuvat. Nec ipſæ literæ, quibus ſingularis hujus numi inſcriptio conſtat, ſunt negligendæ, etenim ſigma, quod in antica eſt quadratum, in poſtica in rotundam figuram, ut Latinorum C, contrahitur. De illo denique monendus eſt lector, frequentem typum eſſe Dianæ Multimammiæ in pecunia urbium ejus terrarum tractus, ut in Lydia, Caria &c.

VII. VIII.

D. Devonsh. Caput Auguſti nudum ſine epigraphe)(ΓΡΑΜΑΤΕΥΣ. ΑΡΙΣΣΑΣ. ΕΦΕ. ΤΑ. *Scriba Ariſſas Epheſiorum.* - - Cervus ſtans. Boni commatis integer numus. *Tab. XXV. N. 12.*

D. Devonsh. Antica ſimilis)(ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΚΛΑΣ. ΕΦΕ. ΤΑ - - *Summus ſacerdos Aſclas Epheſiorum* - - - (148) Viridi cruſta eleganter obductus. *Tab. I. N. 13.*

Notiſſimæ in Aſia urbis monetæ ambæ diverſæ ſunt ab iis, quas Vaillantius *pag. 3 & 4.* ſub Auguſto recenſet. Cervus, quem primus numus in averſa exhibet, ad celeberrimum Dianæ Epheſiæ cultum pertinet.

TA-

(148) In muſeo Theupoli refertur numus ita inſcriptus: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΚΡΑΣ. ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ. ΕΦΕ. ex quo conſequitur, detritum in utroque Hayminiano nomen alterius magiſtratus eſſe debere; ſuſpicio præterea ſuboritur, alterutrum antiquarium in legendo nomine ſummi ſacerdotis aberraſſe.

Digitized by Google

TABULA XXVI.

IX.

Vir ſacrificantis ritu velatus, ab alio adſtante coronatur. ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ. ΣΙΛΒΑΝΟΝ.)(Templum tetraſtylon, in quo figura paludata ſtans. ΔΗΜΟΦΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Nitidiſſimus ſcalptorem etiam commendat. *Tab. XXVI. N. 1.* *D. Devonsh.*

Exhibentur ejuſdem principis numiſmata duo æris medii apud Patinum a Pergamenis occaſione fœderis cum Sardianis ićti cuſa, a præſente tamen diſcrepant. De Pergamo urbe notiſſima apud geographos ſi plura congererem, noćtuas Athenis inferrem. Liquet ex noſtro templum Auguſto cum ſtatua poſitum a civibus, ejuſque numini deputatum ſacerdotem *Demophontem* eundem, qui altera numi facie ſacrificantis habitu exhibetur, exiſtimo; ſub ſigno coronantis Pergamenum populum Silvani religionibus addićtum videre mihi videor, qui deus mira adulatione ſacrificio Auguſti honoribus adparato adeo adplaudit, ut ſe ad idem perpetrandum porrećta patera paratum profiteatur. Non video quo alio monetæ typo elegantius ſuam majeſtati Auguſti devotionem conteſtari potuiſſent. Conſulatur etiam Patinus loco indicato. Nomen *Silvani* dei nullo unquam in numiſmate legere me conmemini, etſi ejus ſignum inſcalptum viderim, id quod etiam juxta *Vaillantii* deſcriptionem Pergameni in monetis L. Veri & Maximini ferierunt. Vide laudatum autorem *pag. 65. Num. III. & pag. 145. Num. VI.* (149) *pag. 41.*

 X.

(149) Sat ruſtice ſe hic, quantuscunque deus ſit, Silvanus intruſit; profećto ut templum Auguſti nec a ſolo Demophonte, nec

X.

D. Devonsh.

Capita adverſa Auguſti laureatum, & Liviæ velatum. ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜ - - ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Senatus Populus Laodicenſium* (150))(Juppiter Philalethes ſtans. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ. *Julius Andronicus Evergetes*. Cælaturæ optimæ, ſine omni vitio. *Tab. XXVI. N. 2.*

De

---

nec pro eo ſolo, ſed ab, & pro Pergamenis ſtructum erat, ita non video illud *complimento belliſſimo* imperatori factum, ſi Haymii explicatio obtinet: *Demophon Auguſtum, Pergameni vero Silvanum colunt.* Male item confunditur Demophon cum figura viri togati, quæ in utroque Patini numo ne minimam ſacrificantis ſpeciem habet. Aptius multo Silvani nomen de magiſtratu, vel de cive alio Pergameno ob virtutem, ac ſingularia in rem publicam merita corona aurea, vel ſtatua honorato explicabitur; pleni ſunt libri ejuſcemodi pſephiſmatibus, vide Muratorii *T. II. pag.* IↃLVII. inſcriptionem 3, & 4. &c. Utque utraque numi pars ad Auguſtum referatur, cum idem typus in Patini numis cum eodem templo jungatur, fuerit hic idem Silvanus aut in magiſtratu conſtitutus, aut legatione functus, qui pro Pergamenis ad hanc ædem ſtruendam permiſſum Auguſti tanquam ſingularem in civitatem conlatum favorem obtinuerit, atque a gratis civibus ſtatua hujusmodi in templi vicinia honoratus fuerit.

(150) Dubitari poſſet, an non capita adverſa ipſius Senatus & Populi Laodicenſium ſint, cum quia nulla de Auguſtis mentio, & pro more ejus temporis numi anepigraphi capita jugata repræſentare ſolebant, vide Patinum *pag.* 44; tum quia in numis etiam Græci commatis, uxoris, quin matris caput dextrum ſemper numum adſpicienti latus in area obtinent.

Digitized by Google

De Laodicea Cariæ, ubi hicce numus cuſus, ſatis dixeram ad N. V. Senatus populusque in moneta ſe Auguſto & Liviæ, quorum capita ſine nominibus exhibentur, devotos profitentur. Julium Andronicum Evergetem ſacerdotem Jovis Philalethis dei ejus civitatis præſtitis fuiſſe auguror.

XI.

Caput nudum Auguſti ΘΕΟϹ. ϹЄΒ - - - Divus Aug - -)(Victoria gradiens cum palma & laurea - - - ΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Demetrienſium vel Eretriorum ſacræ.* Quid paſſus ſit numus, ex ejus ectypo liquet. *Tab. XXVI. N. 3.* *D. Devonsh.*

Quia literæ aliquæ temporis edacitate conroſæ ſunt, in dubio relinquimur, utri ex duabus urbibus numus adſcribendus, an Demetriadi, de qua hoc tomo actum eſt, an Eretriæ inluſtri inſulæ Eubœæ oppido; id certum, ſeu hujus, ſeu illius ſit, numum ſemper fore inter ſingulares præſtantem, cum ex neutrius officina imperialis moneta in hanc diem conſpecta ſit, & ſuam etiam novitatem titulus *ſacræ* adjiciat nunquam in harum urbium numis obſervatus. Cuſum fuiſſe poſt mortem Auguſti, ſuadet epigraphe: *Divus Aug.* Victoria averſæ indicat, eum ab hac dea plurimum favente ad ſummam imperii dignitatem eſſe evectum. *Pag.* 124.

XII.

Caput Auguſti laureatum ΣΕΒΑΣΤΟΣ.)(Templum hexaſtylon. ΧΑΡΙΝΟϹ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ. *Charinus Scri-*

Scribæ munere fungens. Integer, & peritæ manus. Ex *muſeo D. Sherard. Tab. XXVI. N. 4.*

Etſi nullius urbis nomine adſcripto, officina definiri nequeat, vulgandus tamen erat, cum quia hactenus non editus, tum quia hinc cognoſcitur, quod munus geſſerit Charinus ſequenti numo nudo nomine inſcriptus.

LIVIA & JULIA.

D. Devonsh. Caput mitratum Liviæ. ΛΙΒΙΑΝ. ΗΡΑΝ. ΧΑΡΙΝΟC. *Liviam, Junonem Charinus* nempe ſcriba.)(Caput Juliæ. ΙΟΥΛΙΑΝ. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. *Juliam Venerem* ſubintellige: *colunt.* Cælatoris boni opus viridi æris elegantiſſime ab injuriis defenſum. *Tab. XXVI. N. 5.*

L. LIII. & LIV. Nata erat Julia Auguſti, & Scriboniæ filia Dionis ſententia anno V. C. 716; in matrimonium conlocata primum Marcello an. 730, tum M. Agrippæ an. 734, tandem an. 745. Tiberio: ob laſciviam, & peſſimam morum corruptionem *Tacit. Ann. L. I. N. 53.* relegata ab Auguſto in Pandatariam inſulam 749. an. V. C. eodem quo imperator ipſe, eſt exſtincta. Similis numus a *Vaillantio*, & Morellio vulgatus eſt quidem, ΛΑΡΙΝΟC tamen magiſtratum gerentis nomen legerant, quod tamen non in hoc, ſed in præcedente etiam numo nitidiſſimo charactere ΧΑΡΙΝΟC exaratum eſt.

CAJUS & LUCIUS CÆSARES.

Cajus, & Lucius Auguſtum habuere avum, utpote ex Julia, cujus memineram, & M. Agrippa nati. Primam ille

Digitized by Google

ille lucem aſpexit Romæ an. V. C. 734, mortuus vero eſt in Lycia V. C. anno 757, ætatis 22. hic natalem annum habuit V. C. 737, Maſſiliæ annorum 18. adoleſcens V.C. 755. eſt extinctus, adeo ut inter utriuſque mortem menſes duo de viginti intercesserint. Tres hic Caji, unum Lucii numos, qui Vaillantium fugerant, repræſento.

I.

Caput nudum Caji ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Cajus Cæſar.*)(ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ *Laodicenſium.* Aquila. Artificium laudabile, & bene ſervatum. *Tab. XXVI. N. 6.* *D. Devonsh.*

Cum Cajus mortuus ſit in Lycia, quam in provinciam ab Auguſto, Suetonio teſte, miſſus fuerat, ſine erroris periculo pro numis ejus vultu ſignatis officinæ in iis Aſiæ urbibus conſtituentur, quæ Lyciæ magis vicinæ, quare præſens abſque dubio Laodiceæ Phrygiæ ad Lycum fluvium adtribuendus eſt, qua in urbe, ut ſuperius vidimus, cultus Juppiter Philalethes per averſæ partis aquilam indicatur.

II.

Epigraphe, & caput idem)(Caput muliebre - - ΓΙΕΩΝ. *Ægienſium* cetera ſine vitio, bona etiam ex forma flatus. *Tab. XXVI. N. 7.* *D. Devonsh.*

Etſi pluribus urbibus hoc nomen commune, ipſa tamen, qua in numis illud exaratur, diverſa orthographia ſe diſtinguunt; cum fundamento huic tum rationi ſuperius adductæ innixus Ægis Æolidis monetam adtribuo, cujus

Digitized by Google

Rer.Græc. L.IV.pag. 313. etiam oppidi gentile Αἰγιεῖς a Xenophonte ſcribitur. Situs illius ſupra Cymen in vicinia Temni conſtituitur.

Caput muliebre partis averſæ Junonis, aut alius dearum haberi poteſt, ſi tamen, quod ſentio, prodere licet liberius, dicam fieri potuiſſe, ut monetarii ſub deæ ſpecie vel Liviam uxorem Auguſti, vel vero Octaviam ſororem repræſentare voluerint, quia eas Auguſti gratia multum floruiſſe legimus in Suetonio: *Quædam etiam opera ſub nomine alieno nepotum ſcilicet, & uxoris, ſororisque fecit, ut porticum, baſilicamque Lucii, & Caji: item porticus Liviæ & Octaviæ &c.* Re ita ſe habente, duplici argumento ſuam erga Auguſtum devotionem proteſtati ſunt Ægienſes. Ceterum non repugnabo, ſi quis Lucii & Caji ſororem aliquam Juliam nempe, vel Agrippinam, aut Juliam etiam Auguſti filiam horum cæſarum matrem, quæ in ſuperiore numo ſub Veneris numine conparuit, ſcalptam eſſe mavelit.

Auguſt. c. 29.

III.

D. Devonsh. Caput idem ΓΑΙΟΣ - - -)(Palmæ ramus. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΑΠΙΑΣ. *Hierapolitarum Papias.* Eadem hujus conditio. *Tab. XXVI. N. 8.*

Quum de Hieropoli, aquarum copia & thermarum ſalubritate celebri, ab aliis in Lycia, in Phrygia ab aliis conſtituta conplures ſcripſerint, de ſolo Papia, qui magiſtratum geſſerat, paucula diſſerendi campus mihi relinquitur. Patrem hunc vel avum epiſcopi Hieropolitani, cujus in hiſtoria eccleſiaſtica meminit Euſebius, fuiſſe conjicio, ejus nempe, quem aliqui ſancti Joannis diſcipulum & Poly-

L. III. c. 36 & 39.

Digitized by Google

lycarpi conlegam, atque autorem librorum de interpretatione Oraculorum Dominicorum, volunt. Vide loca indicata, ubi de his pluribus. Palma averſæ partis ludos indicat.

IV.

Caput nudum juvenile ΣΜΥ. Smyrnenſium.)(Victoria gradiens. ΕΠΙ. ΦΙΛΙΣΤΟΥ. ΕΙΚΑΔΙΟΣ. *Sub. Philiſto Icadius* Cælaturæ præſtantiſſimæ, nitidiſſimus *Tab. XXVI. N. 9.* *D. Devonsh.*

Aliquot a *Vaillantio* adnotatæ ſunt Smyrnæorum monetæ, in quibus ambo hi fratres, Auguſti deliciæ, erant ſignati, quare non dubito, præſentem harum alicui adtribuendam eſſe atque Lucio cæſari potiſſimum, quia vultus a ſuperioribus Caji non ſolum diverſus, ſed magis juvenilis eſt etiam. Signata fuit ſub prætura Philiſti, Icadio ſacerdotio fungente. Averſæ partis typus victorias augurari videtur, quas a deſtinato Auguſti ſubceſore referendas cupiebant cives. (151)

(151) Non poſſum celare dubium, quod me non parum hic angit: Quid ſi numus reapſe minime Smyrnæorum, atque adeo nec Lucii cæſ. foret? Non ignoro Ζ pro Σ ſubſtitutum nonnunquam, adtamen quia percurſis omnibus Smyrnæorum cum apud Harduinum, tum in muſeo Theupoli numis nunquam abruptum civitatis nomen aliter quam quatuor literis ΣΜΥΡ exaratum reperi, epocham mallem literis capiti ſubſcriptis deſignari, præſertim quia ampliſſimum in orbem ſpatium patebat, non ſolum ad Ρ, ſed totum nomen, etiam cum titulis ſcalpendum. Nihil obſtat numus Claudii peſſime conſervatus, a

TIBERIUS.

TI. CAESAR. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum)(Duo cæſares ex ſellis curulibus adverſi dextras jungunt. DRVSVS. CAESAR. NERO. CAESAR. C. C. A. *Coloniæ Cæſareæ Auguſtæ.* Artificio laudabili par conſervatio. *Tab. XXVI. N. 10.*

I.

Sueton. in Tib. cap. 54. Tiberius imperator, cum filiis careret, Druſum & Neronem ſuos ex Germanico nepotes non ſenatui ſolum, ſed datis congiariis die, qua virilem togam ſumſerant, etiam populo commendaverat, cum tamen anno ſequente pro illorum ſalute vota publica ſuſcepta intellexiſſet, ægrimonia inde concepta, atque nec in ſenatu diſſimulata, tandem mortem violentam miſeris concivit. Numus noſter florente horum principum fortuna cuſus differt ab eo, quem *Vaillantius* inter ſuas colonias refert, quippe in illo ſola illorum capita, in hoc vero ſedentes, porrectis in mutuæ concordiæ ſignum dextris exhibentur.

Ta-

Triſtano T. I. pag. 188. relatus, partim quia alter Neronis pag. 228. etſi per Z nomen incipiat, P tamen adjunctum habet ZMYP: partim quia in numo Claudii in longiore ſed corrupta inſcriptione urbis nomen probabiliſſime jam adeſt, ut adeo ZMY annum indicare debeat. Ad quam vero urbem hæc epocha, ad quem principem Haymii numus referendus ſit, divinandi mihi non eſt otium.

Digitized by Google

TABULA XVII.

II.

Caput laureatum. ΣΕΒΑΣΤΟΣ Auguſtus.)(ΥΠΑΤΟC. ΦΙΛΩΤΗΣ. ΠΡΥΜΝΗCCΕΟΝ. *Conſul Philotas Prymneſſenſium.* Mulier ſtans d. bilancem, ſ. ſpicas gerit. Peritæ manus opus cruſta viridi veſtitum, quid ætate tulerit, propoſita in imagine prodit. *Tab. XXVII. N. 1.* *D. Devonsh.*

Prymneſſi Phrygiæ urbis, Synnadæ & Docimio ad Galatiæ fines verſus Peſſinuntem vicinæ numos hucuſque non vidimus, præterquam Titi, Caracallæ, Getæ, Alexandri Severi a *Vaillantio* adnotatos, quibus adcedit noſter, quem ob vultus conformationem Tiberio tribuo. Averſæ typus in pleriſque Æquitatis ſignum quidem præfert, verum ſine magiſtratus nomine; ut, quod res eſt, dicam, fateor vocabulum ΥΠΑΤΟC ob numum ea parte male adfectum dubium quidem eſſe, verum neque in *Vaillantio* nisi unus ſub Auguſto hunc magiſtratum exhibet, ita inſcriptus: ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΠΛΟΥΣΙΑΣ. ΥΠΑΤΟΣ. *Cæſar Auguſtus Pluſiæ* (in Sicilia) *conſul.* *pag.* 5.

III.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. Caput Tiberii nudum)(Caput velatum ΜΗΤΗΡ. ΕΠΙ. ΓΕΙΣΚΟΥ. Ι'Μ. *Mater ſub Giſco* anno 43. Cæli mediocris, detritus. *Tab. XXVII. N. 2.* *D. Devonsh.*

Etſi hic numus nec locum, ubi cuſus, indicet, & præterea ab uſu aut ſitu non parum perpeſſus ſit, magni

Digitized by Google

tamen momenti, & raritatis ſummæ eſt habendus. Quantum ex ratione fabricæ conjicere licet, ex Phœniciæ, aut Paleſtinæ aliqua urbe prodiit, quæ æra Actiaca uſa fuerit, cum legatur annus 43, qui in primum Tiberii, V.C. 767. incidit, tot enim ſubductis accuratiſſime calculis, ab victoria illa ad mortem Auguſti fluxerant, ut adeo annus numo inſcriptus epochæ Actiacæ initium certiſſimo ſtabiliat.

Adeſt præterea in averſa parte caput Liviæ, & velatum quidem, quia Auguſto illico ab morte divini honores, ipſa Livia ſacerdote conſtituta, fuerunt delati, atque tum, ut Dio ſcribit, Juliæ nomen adſumſit. Non minoris raritatis eſt nomen matris in numo poſitum, quod ſane Liviæ conveniebat quam maxime, non ſolum quia reapſe Tiberium genuerat, verum etiam quia illius erat ſtudioſiſſima, huic enim ſolum & adoptionem Tiberii in familiam auguſtam, & deſtinatum a vitrico imperium adſcribunt hiſtorici.

L. LVI. ſub finem.

GERMANICUS & AGRIPPINA.

I.

D. Devonsh. Caput laureatum Germanici. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ.)(Caput Agrippinæ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. ΕΠΙ. ΜΗΔΗΟΥ. *Agrippina. Æzanitarum ſub Medeo.* Integer, & artificii laudabilis. *Tab. XXVII N. 3.*

Pag. 10. Numus ſimilis refertur quidem a *Vaillantio*, verum magiſtratus nomen a noſtro diverſum legitur. Æzanum Phrygiæ minoris trans Rhyndacum verſus Bithyniam ſitum

oppi-

oppidum autores omnes ſine diphthongo ſcribunt, ita Strabo: Αζανίτιδος; Solus Ptolemæus cum orthographia numiſmatis conſentit: Αιζανίς. Cuſum arbitror imperante Cajo, quem ſignatis in ære parentum ſuorum Germanici, & Agrippinæ capitibus venerari ſtudebant.

II.

Caput Agrippinæ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ - - - *Agrippinam.* Caput alterum muliebre mitra & ſpicis ad pectus ornatum. ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. Boni ſcalptoris opus. *Tab. XXVII. N. 4.* *D. Devonsh.*

De Æzano urbe mox egimus. Caput averſæ partis, etſi ob ſpicas Cereris exiſtimari poſſit, quia tamen mea ex ſententia tempore Caligulæ percuſſa eſt moneta, fieri ſane poterat, ut Æzanitæ ſub deæ ſpecie ſororum a Cajo adeo adamatarum unam feriri voluerint, qua de re arbitrium eruditis relinquo.

CAJUS.

I.

Caput ejus radiatum. ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. CEBACTON. *Cajum Cæſarem Auguſtum.*)(Duæ figuræ ſtantes, viri altera velati d. pateram, altera mulieris d. ſceptrum, ſ. ſpicas gerentis. - - - ΜΑΝΙΚΟΝ. ΚΑΙ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΑ. ΠΡ. CΙΠΥ. *Germanicum, & Agrippinam. Magnetes ad Sipylum.* Utraque laude dignus. *Tab. XXVII. N. 5.* *D. Devonsh.*

Pla-

Placuit hanc monetam repræſentare, quia in literarum diſpoſitione aliquantum a Morelliana differt; Vide ejus *Specimen Tab. XX*, explicationem vero *pag. 206*. Edit. 2dæ.

II.

D. Devonsh. Caput idem laureatum. ΓΑΙΟΝ. - - - - ΝΙΚΟΝ. ΕΠΙ. ΑΤΙΟΛΑ. *Cajum Germanicum ſub Aviola.*)(Ceres ſedens d. ſpicas cum papavere, ſ. haſtam gerit. ΔΡΟΤΣΙΛΛΑΝ. - - ΤΡΝΑΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΗC. *Druſillam. Smyrnæorum Menophanes* colit. Cælatura præſtan[illegible] ſine vitio. *Tab. XXVII. N. 6.*

Druſilla Germanici filia, ſoror & concubina Caji altero ejus imperii, V. C. 791 anno diem extremum obiit. Quantum a fratre amata fuerit, cum decreti poſt mortem honores ſimiles, quales Liviæ inpenſi erant, tum præter conſecrationem & imperatam in curia ex auro ſtatuam, ſacramenta per ejus numen faciunda declarant. Dicta fuit Panthea, atque dearum in numero per urbem culta. Hæc ex Dione & Suetonio. Averſa numi pars eandem Druſillam ſub perſona Cereris exhibet, quemadmodum Romæ ſigno Veneris exhibebatur. Similem numum a Pergamenis cuſum adnotavit *Vaillantius*.

L. LIX. In Calig. N. 24. Dio ibid.

CLAUDIUS.

D. Devonsh. Caput Claudii laureatum. ΤΙ. ΚΛΑΤΔ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒ. - - - *Ti. Claudius Cæſar Aug.*)(ΕΠΙ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΤ. ΠΩΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΤ. ΠΑΤΡ. *Sub L. Mindio Pollionis F. Procos. Patrenſium.* Caput Palladis galeatum. Artem commendat. *Tab. XXVII. N. 7.*

De

Digitized by Google

De Patris nobiliſſimo Achaiæ oppido ita Plinius: *Patræ colonia in longiſſimo promontorio Peloponneſi condita ex adverſo Ætoliæ, & fluminis Eveni.* Inter urbium Græce loquentium numos apud Vaillantium ſub Claudio & Nerone ſolum Patrenſes recenſentur etiam cum proconſulis nominibus, ſed aliis, quam in noſtro legatur. Caput galeatum poſticæ Palladis, aut Romæ eſt, cum horum numinum ſigna integra etiam in monetis M. Aurelii, L. Veri, & Commodi Patrenſes percuſſerint, ut nos numi coloniarum ejusdem autoris docent. *L. IV. c. 4.* *Tom. I. pag. 191, 205, & 216.*

VALERIA MESSALINA.

TI. CLAVDI. - - GERMANICVS. Caput Claudii nudum.)(VALERIA. MESSALINA. CAPITON. Caput Meſſalinæ. Neutro titulo mediocritatem excedit, cruſta nigra veſtitus. *Tab. XXVII. N. 8.* *D. Devonsh.*

Valeria Meſſalina Barbati Meſſalæ filia, quinta Claudii uxor eo laſciviæ proceſſit, ut ejus flagitia ſingillatim ab Suetonio, Tacito & Dione deſcripta pudicus oculus legere perhorreſcat, occiſa demum juſſu Claudii V. C. anno 800. Similem cum alterius tamen duumviri nomine numum inter colonias protulit Vaillantius dubius, cui illum oppido adſcribat; Quod meam opinionem adtinet ex fabricæ ratione pro officina Hiſpanica pronunciarem. (152) *L. XI. L. LX.* *Tom. I. pag. 111.*

Gg AGRIP-

(152) De injuria Vaillantio inlata ab Haymio hic queri debeo; non is vage regionem, quemadmodum Hiſpaniam ille, ſed urbem

AGRIPPINA *Minor.*

D. Devonsh. TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. X. IMP. XIIX. Caput ejus laureatum.)(AGRIPPINA AVGVSTA. CAESARIS. AVG. Caput Agrippinæ. Numus argenteus formæ majoris, integer & elegans 170 grana adpendit. *Tab. XXVII. N. 9.*

I.

Superſedeo de hac Agrippina ſexta Claudii uxore, atque matre Neronis apud hiſtoricos celeberrima, pluribus agere. Jucundiſſimum eſſe debet antiquariis rariſſimo hoc in numo & certam ejus & Claudii effigiem nobis exhiberi, adjecta etiam tribunitia poteſtate, ex qua tempus cuſi numi definiri poteſt, quod mea ſententia matrimonium paullo conſecutum fuerit.

II.

D. Devonsh. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΗΒΑΣΤΗ. *Agrippina Auguſta.* Ejus caput.)(ΓΑΙΟΥ, ΠΟΣΤΟΜΟΥ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Sub

---

urbem ipſam libro indicato his verbis determinat: *Si conjecturæ locus eſt, illum Corinthi cuſum ſuſpicamur ob Pollionis nomen in hac ſola colonia vulgare.* Id quod, etſi forſan rudius artificium numus præferebat, exiſtimare debuit, qui præmiſit: videri a Cajo jus cudendæ monetæ Hiſpanicis coloniis abrogatum. Quod argumentum ægre ab Haymii quocunque defenſore evertetur, præſertim cum monetariorum Corinthiorum cælum ſæpe nihil elegantiæ ſpiret.

Digitized by Google

Sub *Cajo Poſtumo Laodicenſium* Aquila. Sine ætatis & ſcalptoris vitio. *Tab.* XXVII. *N. 10.*

Tam de Laodicea Phrygiæ numi hujus patria, quam de Jove Philalethe, cujus eſt aquila poſticæ partis, actum eſt ſuperius.

TABULA XXVIII.

III.

Caput & epigraphe eadem.)(- - - - ΩΤΕΡΟΣ. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Philot:ros Hierapoltarum.* Cybele ſedens. Integer artem ſpirat. *Tab.* XXVIII. *N. 1.*

Quæ ad Hierapolin Phrygiæ pertinent, etiam alibi perſecutus ſum. Cybeles ſignum, quod averſam ornat, in numo Alexandri Severi apud Vaillantium quoque obſervatur.

IV.

Caput ſimile. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Agrippinam Auguſtam.*)(Cybele inter duos leones conſidens. ΚΟΤΙΑΕΩΝ. ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΥΙΟΥ. *Cotiaenſium ſub Varo filio* nempe *colit.* Artificium bonum ne minimum detritum. *Tab.* XXVIII. *N. 2.*

Cotiaeum Phrygiæ majoris urbs ſita erat in vicinia Ancyræ & jugorum Sipyli. Idem quidem hic typus ab *Vaillantio* proponitur cum Cybele, ut in noſtro, verum lapſum eſſe in epigraphe ita deſcripta: ΕΠΙ. ΙΟΥΛΙΟΥ. *Pag.* 15.

ΥΙΟΥ, præſens integerrimum numiſma ſine erroris periculo demonſtrat. An forſan laudatus autor pro ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ legit: ΕΠΙ. ΙΟΥΛΙΟΥ. id quod facile evenire potuit, vel ſi numus hinc inde vitium fecit, vel ſi literarum ductus minus certi fuerunt, hujus controverſiæ arbitrium eos apud eruditos ſtat, quibus adeſt occaſio, numum ipſum in regis Galliarum theſauro adcuratius inſpiciendi.

BRITANNICUS, OCTAVIA, & ANTONIA.

D. Devonsh. Caput juvenile nudum. ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΓΕΡΜ.--- *Tib. Claud. Germanicus.*)(Capita duo muliebria paris ætatis. ΚΛΑΥ. ΟΚΤΑΙ. - ΚΛΑΥ - - - *Claudia Octavia, Claudia* - - - Epigraphe excepta integer & bono ſcalpro laboratus. *Tab. XXVIII. N. 3.*

Numus hic inſignis, atque unicus uno conſpectu liberos Claudii imperatoris objicit: antica parte caput Britannici junioris antequam nempe hoc cognomen ſubſtitutum fuiſſet, conparet cum nominibus Tiberii Claudii Germanici: *ex Meſſalina Octaviam, & quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit.* *Suet. in Claudio n. 27. pag. 473.*

Poſtica pars duas ejusdem Claudii filias repræſentat, Claudiam Octaviam ſcilicet, etiam ex Meſſalina natam, atque ſubinde Neronis uxorem, alteram Claudiam Antoniam Æliæ Petinæ filiam, quæ ab eodem Nerone, quod ejus nuptias recuſaverat, occiſa fuit, etſi enim ſolum gentis nomen legatur, extra dubium tamen eſt, Antoniam eſſe ſignatam. Ad majorem ex hoc cimelio voluptatem capiendam

Digitized by Google

endam legantur præter totum articulum ex Suetonio indicatum, ea, quæ *Vaillantius* in coloniis de numo inſcripto: LIBERIS. AVG. differit. Inter eam numorum copiam, quibus *Sherardus* noſter muſea Londinenſia locupletavit, ſolus iſte Claudii liberos exhibet. *Tom. I. pag.* 108.

BRITANNICUS.

Caput nudum. ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. ΚΑΙCΑΡ. *Britannicus Cæſar.* Juppiter ſtans d. aquilam ſ. haſtam tenet. ΠΙ -- ΔΕ --- ΟΥ. Artificio quam conſervatione præſtantior. *Tab. XXVIII. N. 4.* *D. Devonsh*

Quin principis hujus infeliciſſimi fortunam doleam, omittere non poſſum, quippe qui imperio natus, non ſolum ſuo jure Agrippinæ Claudii uxoris artibus everſus, ſed a Nerone, in obtento per ſummam injuriam principatu non adquieſcente, veneno eſt ſublatus.

Cum interruptis averſæ partis literis, ut in numo ſunt, urbem deſignari non dubitem, Pindeniſſo Ciliciæ numum tribuo, de quo oppido in quadam ad Catonem epiſtola Cicero: altiſſimo illud munitiſſimoque fuiſſe loco ſcribit, ab iisque habitatum, qui ne regibus unquam paruiſſent, & Parthorum adventum, quibus ſe contra Romanos defenderent acerrime, exſpectabant. Ipſe qui hæc ſcribit, Cicero urbe, obſidionariis machinis admotis, non niſi bimeſtri fere ſpatio eſt potitus. Hujus præ alius urbis nomen inſcriptum ſuſpicor, cum ſpatia vacua vix pro alia conveniant; poſtremum ΟΥ prætoris nomini, qui tum urbi præerat, tribuo, quod tamen breve eſſe oportebat, cujus- *L. XV. ep. 4. Vide L. II. ep. 4. & L. V. ad Attic. epiſt. 20.*

Digitized by Google

modi foret: Silani, Flacci, Rufi &c. cum urbis nomen longius etiam ultra medium Jovis ſignum ſe debuerit porrigere.

NERO.

I.

D. Devonsh. Caput Neronis nudum. - - ΡΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Nero Auguſtus.*)(Juppiter ſtans d. aquilam, ſeu bipennem tenet. ΕΥΜΕΝΕΩΝ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΛΕΩΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΙΑΣ. *Eumenenſium. Julius Cleon Summus Sacerdos Aſiæ.* Monetarium peritum, ætatem benignam habuit. *Tab.* XXVIII. *N.* 5.

L. IV. Eumenia ab Eumene Attali fratre juxta Eutropium condita inter fines Lydiæ & majoris Phrygiæ verſus Galatiam eo in terrarum tractu jacebat, qui regnum Amyntæ ſubinde dicebatur. Monetæ hujus urbis raræ ſunt admodum, nec in *Vaillantio* præterquam ſub M. Aurelio, Philippo Patre, & Otacillia adnotantur. Magiſtratum gerebant ſummi ſacerdotes, cui titulo tamen nec in *Vaillantii*, nec aliis numis unquam, ſicut in noſtro, adſcriptum legitur *Aſiæ*, quare ſuſpicor, poſteriore tempore Eumenenſi ſummo ſacerdoti eam dignitatem abrogatam. (153) Juppiter averſæ partis Labrandenus eſt, Græcis ΖΕΥΣ. ΣΤΡΑ-

(153) Quia Αρχιερέα Ασίας, & Ασιάρχην eundem eſſe cenſeo, atque hic annis ſingulis ab urbibus Aſiæ ad moderandos in communi conventu ludos eligebatur, inanis eſt Haymii de abrogatione conjectura.

Digitized by Google

ΣΤΡΑΤΙΟΣ ſeu *Militaris* ob bipennem, quam gerit, dictus; vide Seguinum de hoc. *Pag.* 7 & 37. *Edit.* 2*dæ.*

II.

ΝΕΡΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Neronis laureatum.)(Duæ figuræ muliebres haſtatæ dextras jungunt. ΖΗΝΩΝΩΣ. ΖΗΝΩΝ. ΥΙΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΟΜΗΡΟΣ. *Zenonis Zeno Filius. Laodicenſium Smyrnæorum. Homerus.* Integerrimus atque optime cælatus. *Tab. XXVIII. N. 6.* *D. Devonsh.*

Quia de notiſſimis duabus urbibus Smyrna & Laodicea, quæ in pulcerrimo hoc numo concordiam ineunt, alibi egeram, ad magiſtratus nomen progrediamur. Viderint grammatici de inſolita nominum diſpoſitione in parte averſa, id ſolum conmemoro, apud *Vaillantium* ſub eodem Nerone adnotatum eſſe numum ita inſcriptum parte antica: ΝΕΡΩΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, poſtica vero: ΕΤ. ΙΓ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΠΟΛΙ. ΤΟ. Δ: *Anno XIII. Zenone Præfecto urbis quartum.* Legi etiam in alio: ΕΠΙ. ΖΗΝΩΝΟΖ. ΕΦΕΣ. ΣΜΥΡΝ. ΟΜΟ. *Sub Zenone Epheſiorum Smyrnæorum concordia.* Ex quibus conficitur, Zenonem noſtrum ſub Nerone Smyrnæ urbis præfectum fuiſſe.

Duo præterea moneo; primum: Eodem tempore nomen ΣΜΥΡΝ, & per Σ & per Ζ ut in noſtro ſcriptum eſſe. Alterum: apud eundem autorem ſub M. Aurelio numum reperiri, qui de concordia Smyrnam inter & Laodiceam teſtatur. Ambas has urbes fœdere junctas duæ

por-

porrectis dextris mulieres deſignant. Homeri nomen, quod inter utramque intercedit, indicat, eas in veneranda memoria tanti poetæ, qui tanquam numen colebatur, conſpirare; Homeri ſane ſignum frequens eſt in Smyrnæorum ære, quippe qui inter alios de ejus natalibus gloriabantur.

III.

D. Devonsh. Caput Neronis laureatum - - - - - ΙΣΑΡΑ. ΚΟΤΙΑΕΙΣ. *Cotiaenſes.* Neronem *Cæſarem* colunt.)(Juppiter nudus ſtans - - - - Υ. ΥΙΟΥ. ΠΟΛΕΩΣ. Typus omni parte elegans. *Tab. XXVIII. N. 7.*

Cotiaei Phrygiæ majoris mentionem injecit numus II. *Tab. XXVIII.*, vidimus ibi nomen ſeu prætoris ſeu archontis ita inſcriptum: ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΥΙΟΥ, qui cum ætate Agrippinæ matris præturam geſſerit, haud dubio idem eſt, cujus nomen hac in moneta cuſum fuerit: Titulus filii patriæ, quem Apollonio *N. XI. Tab. XXV.* adſeruimus, quia nunquam in numis obſervatus, inſolens videbatur, præſens tamen demonſtrat, epigraphen aliter legi non poſſe, quam: ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΥΙΟΥ. ΠΟΛΕΩΣ. *Sub Varo Filio Urbis*, atque hujusmodi conpellationis, quæ ut exiſtimo, cum jure civitatis, non niſi paucis, idque raro dari ſolito, conjuncta fuit, uſum apud veteres erga eos obtinuiſſe, qui urbes, quibus præerant, ampliore aliquo beneficio recreaſſent. Hæc explicatio pro pluribus aliis Græcis numis ſerviet, quibus, hujus ignoratione, contorta peſſimum in modum lectio adhibebatur.

IV.

Digitized by Google

IV.

Caput Neronis laureatum. ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. *Nero Cæſar.*)(Caput Herculis laureatum. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΕΠΙ. ΜΙΝΔΙΟΥ. *Sardianorum ſub Mindio. Tab. XXVIII. N. 8.* *D. Devonsh.*

V.

Caput & epigraphe eadem.)(Caput idem. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΕΠΙ. ΤΙΜΝΑϹЄΟΥ. *Sardianorum ſub Timnaſeo.* In utraque moneta artificio bono conſervatio non concedit. *Tab. XXVIII. N. 9.* *D. Devonsh.*

De Sardibus Lydiæ oppido inter urbes ſub litera Σ diſſerui; frequentes quidem cum imperatorum vultibus ab ejus monetariis ſunt percuſſi numi, neque tamen ullus apud *Vaillantium* ſub Nerone, cujus caput noſtri referunt, eſt propoſitus. Tam hi ambo, qui caput, quam alii apud laudatum autorem, qui ejusdem dei ſtantis ſignum ſub Domitiano, Trajano, Caracalla, Gordiano Pio, Philippis & Gallieno repræſentant, præter alias religiones Herculis etiam cultum Sardibus viguiſſe confirmant.

VI.

ΝΕΡΩΝ Caput ejus nudum.)(ΜΑΓΥΔΕΩΝ. *Magydenſium.* Pallas armata ſtans. Rudis manus opus, nec ætatem benignam habuit. *Tab. XXVIII. N. 10.* *D. Devonsh.*

Magydum Pamphiliæ urbem Ptolemæus inter fluvios Cataracten, & Ceſtrum conſtituit. Singularis raritatis eſſe

Digitized by Google

hujus officinæ numos inde liquet, quia non plures duobus in *Vaillantio* reperiuntur, alter cum capitibus Liviæ, & Auguſti, alter ſub Trajano *pag. 29* cum ſimili averſæ partis typo, cujusmodi in noſtro deſcripſi.

VII.

D. Devonsh. Caput Neronis laureatum. ΝΕΡΩΝ. CEBACTOC. AKMONEIC. *Nero Auguſtus. Acmonenſes.*)(Juppiter ſedens cum haſta, & patera. CEPOΥHNIOΥ. ΚΑΠΙΤΩΝΟC. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΑC. CEOΥΗΡΑC. *Servenio Capitone, & Julia Severa.* Pretium cælaturæ auget conſervatio. *Tab. XXVIII. N. 11.*

Acmonia Phrygiæ majoris urbs verſus montem Sipylum ſita erat. Hujus oppidi monetam inter ſuas mediæ formæ Agrippinæ Neronis matri inſcriptam producit *Pag. 85.* Patinus cum iisdem ſacerdotibus, qui in noſtro percuſſi, verum erravit ita legendo epigraphen: ΕΠΙ. ΣΕΡΟΤΕΝΟΥ. ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΑΣ. ΣΕΟΥΗΡΑC. ΑΚΜΟΝΕΩΝ. Eodem omnino modo hoc numiſma retulit *Pag. 15.* *Vaillantius*; Aliud vero viſum fuit P. Harduino, quippe qui legendum contendit: ΕΠΙ. ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΥ. ΚΑΙΠΙΩΝΟΣ &c. *Pop. & Urb. p. 23. Edit. in 4to.* Integerrimus noſter, ut dixeram, numus, tum alter ſimilis a me viſus utriusque antiquarii lapſum clariſſime redarguit, in his nempe citra omnem dubitationem CEPOΥHNIOΥ. ΚΑΠΙΤΩΝΟC &c. legitur. Quid contractis literis exaratum ΕΙΧΑΡΤΩΓ (ita enim reſolvo) ad ſellam Jovis, qui in nullo hactenus hujus civitatis numo conparuit, ſibi velit, eruditi viderint.

TA-

Digitized by Google

TABULA XXIX.

AGRIPPINA *Mater Neronis.*

ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗϹ. ΓΕΡ. ΣΕΒΑΣΤΗΣ. *Agrippinæ Germanici. F. Auguſtæ.* Caput illius.)(Caput Neronis corona querna ornatum. ΝΕΡΩΝ, --- Σ. ΣΕΒ. *Neronis Cæſaris Aug.* Majuſculæ formæ argenteus granorum 226. elegantia ſua peritiam artificis magis oſtendit. *Tab.* XXIX. *N. 1.* *D. Devonsh.*

Querna corona Neronis capiti inpoſita cives ſervatos indicat. In nullo præterquam in hocce numo matri Neronis adſcriptam fuiſſe ejus ex Germanico originem me legere conmemini.

OCTAVIA NERONIS.

OCTAVIA. NERONIS. AVG. Caput ejusdem.)(A. A. CANDIDO. IIVIR. COR. Mulier ſtans bigæ hippocamporum vehitur. Undique mediocris. *Tab. XXIX. N. 2.* *D. Devonsh.*

Octavia Claudii & Meſſalinæ filia, cujus impubis effigiem ſuperius *Tab. IV. N. 3.* produxi, primis Neroni nuptiis annos nata XVI. deſponſa fuit, honeſtatis & caſtimoniæ ſpectabilis mulier, quæ tamen hoc in ſexu adeo æſtimata decora illam mariti, jam amoribus Poppææ inpliciti ſævitiæ eripere non poterant; relegata primum in Pandatariam inſulam, tum vicennis barbarum in modum

Digitized by Google

trucidata fuit. Corinthii, dum thalamo adhuc Neronis fruebatur, ut principi adularentur, eam averſa in parte ſub ſpecie Amphitrites Neptuni uxoris hac in moneta feriri fecerunt. (154) Hoc typo, & IIviro ſignatus numus deeſt in catalogo Coloniarum *Vaillantii.*

POPPÆA SABINA.

I.

D. Devonsh. ΝΕΡΩΝ. ΠΟΠΠΑΙΑ. *Nero, Poppæa.* Capita eorundem jugata.)(ΑΟΥΙΟΛΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΑΙΧΜΟ - - - ΕΦΕ. *Aviolæ Proconſuli Æchmocles* dicat, *Epheſiorum.* Cervus ſtans. Integer & periti ſcalptoris. *Tab. XXIX. N. 3.*

Poppæam pulcerrimam quidem, ſed non minus inpudicam deſcribunt autores; ducta primum a Ruſo Criſpo, dein in manus Othonis convenit, quo ab Nerone in Hiſpaniam dimiſſo palam ſe imperatoris uxorem geſſit, ab eodem quodam veſpere reprehenſo calcis ictu ſub annum imperii VII periit. Narrat Plinius, quacunque iter faceret Poppæam quingentas circumduxiſſe aſinas, quarum lacte lota cuticulam curabat; ejus capillos ſuccini colorem habuiſſe alibi indicat. Fateor, numum hunc ab altero *Vaillantii* parum diverſum, hoc tamen loco referendum exiſtimabam, non tam ut ſecundæ Neronis uxoris effigies repræ-

L. XI. c. 41.

L. XXXVI. c. 3.

Pag. 18.

(154) Nihil quam maris dominatum indicare voluiſſe monetarios, præter alia Neptuni ſigna perpetuus ſub conſequentibus imperatoribus Melicertæ typus ſatis declarat.

Digitized by Google

præſentaretur, quam ut numum Meſſalinæ mox ſubjiciendum conprobet.

II.

Caput Neronis laureatum -- AICAP. CEBACTOC. Mulier ſedens, ſ. haſtam gerit. ΠΟΠΠΑΙΑ. CEBACTH. ΚΛΑΥΔΕΙ. ΚΟΛ. --- *Poppæa Auguſta, Claudiæ Co.* ---- Non parum ætate, & ſitu perpeſſus. *Tab. XXIX. N. 4.* *D. Devonsk.*

Protulit Morellius Fauſtinæ numum cum typo Fortunæ, & hac epigraphe: ΚΛΑΥ. ΔΕΡ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΟΝΙΑC. *Claudia Derbe Commune Lycaoniæ.* - Moneta noſtra literas: ΚΛΑΥΔΕΙΚΟ. diſtinctiſſime quidem exhibet, verum, dum numus magis integer in antiquariorum manus veniat, nihil hac ſuper re eſt definiendum. (155) Ex ſigno partis averſæ conjicio, Poppææ, ab ignotæ hujus urbis civibus ſtatuam fuiſſe poſitam.

(155) Ipſe Morellianus numus conjecturam (quæ donec ab numo integro convellatur, valebit) ſubpeditavit, Lycaonia ipſa me Iconii monuit, atque propterea in Latina epigraphes interpretatione non, quemadmodum Haymius *Claudiæ Coloniæ* ſed *Claudiæ Co* -- ex quadam autoris reverentia ſcripſeram, abſterruit ab illo (etſi Iconium ſubinde colonia fuerit) uſus in hisce monetis obſervatus, quo vocabulo *coloniæ* cognomen fere nunquam præponebetur, legimus: COL: AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* COL. FL. PAC. *Col. Flavia Pacenſis.* In Græ-

STATILIA MESSALINA.

Caput Meſſalinæ. MECCAΛΛINA. - - *Meſſalinam.*)(Mulier turrita ſtans d. haſtam ſ. icunculam Dianæ Epheſiæ. AOVIOΛA. - - MH. AIXMOKΛH. EΦE. *Aviola, Roma: Æchmocles, Epheſus* colunt. *Tab.* XXIX. *N.* 5.

Præſtantiſſimum atque unicum hocce numiſma adſervatum in muſeo celeberrimæ *Univerſitatis Oxonienſis,* lineari pictura adcuratione ſumma deſcriptum debeo eruditiſſimo *D. Joanni Maſſon,* qui fidem ſuam interpoſuit, numum integerrimum eſſe, atque ea parte, qua adfectus videri poſſet, typarii ictum ſolum feſelliſſe.

Sta-

Græcis KOΛ. AYP. KAPPHNΩN. *Col. Aurelia Carrhenorum.* Adceſſit, incertum admodum eſſe, an a Claudio colonia facta ſit, eo tempore, quo Græca adhuc epigraphe numos ſignabat, qualem profert muſeum Muſelianum *Tab. X. N.* 5, cum non niſi duos Latino charactere inſcriptos, utrumque ſub Gallieno, editos noverim, alterum in muſeo Theupoli, alterum a Frœlichio ex muſeo Granelliano Conlegii academici Vindobonenſis ſocietatis noſtræ: *Quat. Tent. pag.* 143. Invitavit vero ad Iconii lectionem epigraphe ab Haymio deſcripta in numi effigie, poſtrema enim litera N. æque atque Λ eſſe poterit, ut adeo legendum cenſeam: KΛAYΔ. EIKON. Confirmor hac in opinione a marmore apud Muratorium T. II. Pag. IↃCCLXXIX N. 2.

L. ANNIVS. VAL-
ENS. L. F. CLAVD-
IA. ICONIO.
MILES. COHOR.
II. PR. 7 MAXIMI &c.

Digitized by Google

Statiliam Meſſalinam tertiam, poſtremamque Neronis uxorem Tauri bis conſulis, ac triumphalis abneptem fuiſſe ſcribit Suetonius; qua ut potiretur, virum ejus Atticum Veſtinum Cos. in honore ipſo trucidavit. Superſtes Neroni, Othonis thalamo, ſi de Galba victor abiret, deſtinata, verum cum ipſe manu ſibi injecta vitam abrupiſſet, literas paullo ante mortem ſcriptas pro marito accepit, quibus legendos ſuos cineres commendavit. *In Nerone N. 35.* *In Othone N. 10.*

Pluribus ex rationibus numum hunc Meſſalinæ Neronis potius, quam Claudii adtribuo: primum, quod oris lineamenta ab alterius vultu, quin etiam capitis ornatu liquido ſunt diverſa: deinde quod nomen ejus, qui tum magiſtratu functus erat, idem Neronis numo N. 3. eadem tabula relato inſcriptum eſt. His citra dubium obtinentibus gratulari ſibi debent antiquarii de effigie matronæ auguſtæ in moneta, ut ad me perſcriptum eſt, antiquitatis certiſſimæ edita, cujus dubias ſolum imagines in Ænea Vico & Triſtano habuimus hactenus. *Vide Vaill. pag. 16.* *T. I. pag. 245.*

GALBA.

ΓΑΛΒΑC. CΕΒΑCΤΟC. *Galba Auguſtus.* Caput ejus laureatum.)(ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. ΕΤΟΥC. Β. *Commune Cypriorum, Anno II.* Veneris Cypriæ ſignum conicum inminente aſtro, atque adſtitutis utrinque facibus. Sine vitio numus. *Tab XXIX. N. 6.* *D. Devonsh.*

Monetæ ſub imperatoribus hac in inſula, a qua Venus Cyprigena dicitur, percuſſæ tam frequenter deam ſub hujus formæ ſimulacro repræſentant, ut fruſtra eſſem, ſi de hoc pluri-

pluribus. Aſtrum ad idem numen refertur; faces duas ardentes duos amores Veneris filios caſtum ſcilicet, & laſcivum arbitror denotare. Ceterum Galbam magna erga hanc deam veneratione fuiſſe, liquet ex Suetonio, qui narrat, ab eo monile margaritis, gemmiſque conſertum, poſthabita Fortuna ſua Tuſculana, Capitolinæ Veneri fuiſſe dedicatum. Taceo de Cypro bene nota inſula, in qua numus ſignatus, quia actum agerem: de nota vero incuſa anticæ parti, quia, quid ſibi velit, non adſequor; Id omittere non poſſum, obſervatione dignum eſſe, annum II in poſtica expreſſum, cum Suetonius Galbæ imperio non plures ſeptem menſibus tribuat, quare exiſtimo, Cyprios conceptis votis imperii ſtabilitatem auguratos eſſe. (156)

In Galba N. 18.

OTHO.

IMP. M. OTO. Caput ejus laureatum.)(S. C. in corona querna. *Comitis de Winchilſea. Tab. XXIX. N. 7.*

Etſi præſens numus integerrimus & boni artificii parum ſolum in epigraphe ab alio jam vulgato differat, effigiem omittere nolebam, ne Othonis imperatoris caput hac in ſerie deſideraretur. Id teſtor elegantiorem me hactenus non vidiſſe,

(156) Nihil hic augurii, vel votorum; eodem modo de hoc numo, quemadmodum de aliis Galbæ ſeu in Ægypto, ſeu cum epigraphe: ETOYC. NEOY. IEPOY in Aſia cuſis ſentiendum, ſcilicet ſex ejus imperii menſes duobus Cypriorum annis ita congruiſſe, ut horum aliquot declinante eorum anno civili decurrerint, poſtremis aliis in annum alterum trajectis.

Digitized by Google

diſſe, dignumque eſſe pretio 20 Quineorum aureorum, ſeu ſcutorum 86, quo ab inluſtriſſimo poſſeſſore emtus erat.

VITELLIUS.

Caput ejus laureatum. ΑΥΛΟΥ. ΟΥΙΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. *Auli Vitellii Cæſaris Auguſti Germanici.*)(Iſidis loto ornatæ caput. L. A. *Anno I.* Ex muſeo *D. Wren* *Tab. XXIX. N. 8.*

Vaillantius, qui pauciſſimos Vitellii inter Græcos ſuos relatos numos Othonianis raritate præhabet, ſine interpretatione epigraphen anticæ partis ita interpunxit: ΑΥ. ΛΟΥ. ΟΥΙΤ. ΚΑΙΣ. ΓΕΡΜ.; Abſunt in noſtro puncta, ſed ΣΕΒ. adeſt præterea, quare inſcriptionem non aliter, quam ſuperius ſcripſeram, explicandam exiſtimo, quia Vitellius imperator in Latinis numis nunquam cum prænomine *Lucii*, quod fratris erat, ſed *Auli* obſervatur. Satis mirari non poſſum, cur Vaillantius pulcerrimum Græcum Vitellii numiſma ex Triſtano recenſere neglexerit, cujusmodi incuria aliis etiam locis admiſſa parum eos commendat, qui abſolutos numorum catalogos promittunt. Nec magis adſequor, quid his ſibi verbis velit P. Harduinus: *Vitellii nulla ſunt numiſmata Græca.* An forſan hæc non Græca? an alius quam Vitellii? *Pag. 637. edit. in folio.*

VESPASIANUS.

I.

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Imp. Cæſar. Aug. Veſpaſianus.* Caput ejus laureatum. *D. Devonsh.*

)(ΕΠ. Λ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΣΩΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ. ΒΙΘΥΝΙΑ. *Sub Lucio Antonio Naſone PROCVRATORE. Bithynia.* De bona cælatura nihil decerptum. *Tab.* XXIX. *N. 9.*

Notior eſt Bithynia Aſiæ minoris provincia, quam ut de illa ad literariam utilitatem aliquid adnotare liceat. Numos ejus nomine ſignatos ſub Hadriano, Sabina & Antinoo ibidem nato ſolum recenſitos reperi, omnes templum poſtica exhibent, Sabinæ vultu ſignatus in templo fortunam, ut noſter ſane rariſſimus, repræſentat, rariſſimum dixi non tam, quia Veſpaſiani capite inſignis, quam quia magiſtratus nomen in monetis nondum obſervatum prodidit ſcilicet: ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ., quod interpretor *Procurator.*

II.

D. Devonsh. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤ. *Cæſar. Auguſt.* Caput ſimile.)(ΤΕΚΤΩΣΑΓΩΝ. *Tectoſagum.* Tres ſpicæ. Scalptotis periti opus mutilum. *Tab. XXIX. N. 10.*

De Tectoſagum regione inferius ad numum Domitiani *Tab.* XXX. *N. 8.* magis integrum diſſeram; arbitror enim epigraphen in utriusque averſa eandem eſſe. Spicæ frugum eo in terræ tractu abundantiam teſtantur.

TABULA XXX.

III.

D. Devonsh. ΑΥΤ. ΚΑΙ --- ΣΕΒΑΣΤΩ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ.

ΠΡΟΥ-

ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ. *Imp. Caſ. Auguſto Veſpaſiano Pruſienſes.* Ara.)(ΕΠΙ. ΜΑΚΡΟΥ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Marco Plancio Varo Proconſule.* Æris flavi cælatorem peritum, ætatem benignam habuit. *Tab.* XXX. *N. 1.*

Urbem, in cujus officina hæc moneta Veſpaſiano flata eſt, Pruſam ad Olympum montem exiſtimo, de qua Strabo: *Pruſa ad Olympum Myſium condita eſt ab illo Pruſia, qui cum Crœſo bellum geſſit.* L. XII. Inducor in hanc ſententiam, quia Pruſa, quæ ad mare, atque altera, quæ ad fluvium Hypium jacebat, ſitus ipſius rationem in numis indicant, illa quidem adjecto: ΠΡΟC. ΘΑΛΑCCΑΝ: hæc vero: ΠΡΟC. ΥΠΙΩ. Quare noſtra Bithyniæ mediterranea obtinet, quæ erectam Veſpaſiano tanquam ſuo numini aram ſub proconſule memorato dedicat; Hujus viri nomen etiam in alio apud *Vaillantium* numo legitur, in antica ita inſcripto: ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ. ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑ: in poſtica vero, quæ caput muliebre turritum repræſentat: ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Pag.* 20 & 21.

VESPASIANUS & TITUS.

Caput Veſpaſiani laureatum. ΑΥΤΟΚ - - - - ΠΑCΙΑΝΟC. *Imp. Veſpaſianus.*)(Caput Titi laureatum. Τ. ΦΛΑΥΙΟΥ. - - - ΙΕΡΟΥ. Β. *T. Flavii. - - Anno Novo Sacro II.* Argenteus tetradrachmus elegans 223 grana adpendit. *Tab.* XXX. *N.* 2. *D. Devonsh.*

Digitized by Google

Relatum hunc quidem inter imperiales *Vaillantii*, nunquam tamen lineari pictura, quod ſciam, exhibitum oculis, ideo hic repræſento, ut meam de hoc *Anno Novo Sacro* opinionem inferius ad numum Domitiani *Tab. XXXI. N. 1*, ejusdem argumenti commodius explicem.

TITUS, & DOMITIANUS.

I.

D. Devonsh. Caput Titi laureatum ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚ. *Cæſar Imper.*)(Caput Domitiani laureatum. ΚΑΙ. ΔΟΜΙΤΙΑΝ. *Cæſar Domitianus.* Utramque laudem meretur. *Tab. XXX. N. 3.*

Moneta hæc ſine ullius urbis nomine capita ſolum duorum fratrum Titi ſcilicet jam imperatoris, & Domitiani tantum cæſaris nobis ſiſtit. Non memini me cæſaris laureatum caput, ut in hoc primo, videre.

II.

D. Devonsh. Capita Titi laureatum, & Domitiani nudum adverſa. ΤΙΤΟC. ΑΥΤΟΚΡΑ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Titus Imp. Domitianus Cæſar.*)(ΕΠΙ. ΙΤΑΛΙΚΟΥ. ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Italico Smyrnæorum.* Fluvius jacens ΜΑΡΩΝΟC, quod Vaillantio fluvii nomen eſſe videtur. *Tab. XXX. N. 4.* *Pag. 22.*

III.

D. Devonsh. Epigraphes, & ſigna utrinque ſimilia, diſcrimen ſolum eſt

eſt in magiſtratu, nempe ΕΠΙ. ΒΩΛΑΝΟΥ. *Sub Bolano. Tab.* XXX. *N.* 5. Poſtremi hi duobus a Vaillantio adnotatis præter paucula aliqua ſunt ſimiles.

JULIA *filia* TITI.

ΙΟΥΛΙΑ. CЄΒΑCΤΗ. *Julia Auguſta.* Caput ejusdem.)(ΕΠΙ - - - - ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub* - - - - *Smyrnæorum.* Cybele ſedens. *Tab.* XXX. *N.* 6. *D. Devonsh.*

Tres hujus typi numos, duos ducis *de Devonshire*, tertium equitis *Roberti Sutton* videram, neque tamen aliud conjicere potui, quam lacunam illam ex detrito magiſtratus nomine, quod tamen nulla ratione ex veſtigiis eruendum erat, ortam eſſe; haud melioris fortunæ fuerit numiſma muſei regis Galliarum a *Vaillantio* relatum, quippe ne minima etiam de magiſtratu ſit mentio. *Pag.* 22.

DOMITIANUS.

I.

Caput Domitiani laureatum. ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. CЄΒΑCΤΟC. *Imp. Cæſ. Domitianus Auguſtus.*)(In laurea: ΕΠΙ. ΒΑCCΟΥ. ΠΡΕCΒΕΥΤΟΥ. ΕΤ. ΔΙ. *Sub Baſſo Legato Anno XIV.* Integerrimus, & bene cælatus. *Tab.* XXX. *N.* 7. *D. Devonsh.*

Annus XIV imperii, V. C. 848 penultimus fuit Domitiani. Ex duobus *Vaillantii* numis altero ejusdem Domitiani, altero Nervæ conjicitur *Baſſum* hunc *Titum Pomponium* legati munere in Galatia & Cappadocia functum *Pag.* 23 & 26.

 eſſe,

Digitized by Google

eſſe, de quo inferius plura ſubpeditabit numus Trajani producendus *Tab. XXXII. N. 5.*

II.

D. Devonsh. Caput Domitiani laureatum. ΑΥΤΟΚΡΑ - - - - ΙΑΝ. *Imperat. Domitian.*)(Deus Lunus ſtans - - - - ΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ. *Sebaſtenorum Tectoſagum.* Ex optima forma flatus. *Tab. XXX. N. 8.*

Etſi nomen imperatoris aliqua parte ſit extritum, oris ductus pro Domitiano quam certiſſime pronuntiant: in averſa parte literarum abſciſſarum pedes bene conſiderati epigraphen: ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ citra omne dubium conplent, neque aliter legendum cenſeo numum præcedentem Veſpaſiani. *Tab. XXIX. N. 10.*

Ambo hi numi, quamvis indicatis adfecti vitiis, nihil de ſummo ſuo pretio amittunt, cum quia hactenus non editi, tum quia Plinii ſententiam, qui ſolus Sebaſtenorum mentionem facit, confirmant, eos ex gente Tectoſagum fuiſſe. Duos jam Galatarum numos *Tomo I.* Antonini Pii, & M. Aurelii cum epigraphe: *Galatarum Toliſtobogorum Peſſinuntiorum* exhibui, alterum vero Sebaſtenorum hoc ipſo ſecundo Tomo, ad quem & Gruterianum marmor & aliud eruditiſſimi Vandale *Diſſert. III. c. 1. pag. 237* adlegavi; De Galatarum origine, Toliſtobogis, Tectoſagis, Trocmis, & de nonnullis eorum regibus conplura refert Livius.

Pag. 253 & 254. Pag. 184. L. XXXVIII.

Deus Lunus averſa in parte ſcalptus, numen eſt tota Aſia, atque in Phrygia & Galatia præcipue notiſſimum; Teſtimonio numariæ hujus ſententiæ ſunt numi Ancyræ unius

Vaillant. pag 32, 39, & 98.

unius ex tribus Galatarum metropolibus ſub Hadriano, Antinoo, & Caracalla eodem typo ſignati, quid quod ſub Trajano totum Galatarum corpus ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Ib. d. pag.* quod tres metropoles nempe Peſſinuntem, Ancyram, & Sebaſten conplectebatur, religionem Luni publico in ære profitetur. *27.*

III.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Domitianus Cæſar.* *D. Devonsh.* Caput ejus laureatum.)(ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΠΕΡ. ΓΡΑΜ. - - ΙΜΟΚΛΗC. ΝΕΙΚΙΑΝ. *Cilbianorum. Pergamenorum. Scriba Timocles victoriam* recolit, *vel gratulatur.* Ad omnes artis leges exactus, & nitidus. (157) *Tab.* XXX. *N. 9.*

Cilbianorum regio Lydiæ in vicinia Cayſtri fluvii diffuſa in ſuperiorem & inferiorem tribuebatur numis teſtibus ſub Auguſto, Trajano, Commodo, & Julia Domna, atque in Commodi numo concordia cum Pergamenis, ut in noſtro legitur, hinc exiſtimo, toties univerſæ gentis juſſu monetam

(157) Niſi de optima conſervatione teſtaretur Haymius, in lectione epigraphes hallucinatum ſuſpicarer, qua ΝΕΙΚΙΑΝ pro ΝΙΚΑΙΕΩΝ, qui etiam cum Cilbianis concordia juncti reperiuntur, vidiſſet; contra cum res ſit, in interpretatione erraſſe fatebuntur grammatici, neque enim unquam Græci vocabulo ΝΕΙΚΙΑ *victoriam* deſignabant; quare viri de re publica bene meriti nomen (etſi *Nicias* etiam ſine diphthongo paſſim ſcribatur) eſſe debebit hac ſententia: *Timocles Niciam* honorat, aut coronat, ut ſuperius in Auguſto ad numum IX obſervatum eſt.

Digitized by Google

tam ſignatam, quoties ſe non per adverbia ΑΝΩ & ΚΑΤΩ diſtinguunt.

IV.

D. Devonsh. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. Caput ejus laureatum.)(ΝΕΙΚ. ΠΡΩ. ΒΙΘ. ΚΑΙ. Π. ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. *Nicomedienſes Primi Bithyniæ & Ponti Romam Metropolem* colunt. Roma ſedens. Sine ſcalptoris, aut ætatis vitio. *Tab. XXX. N. 10.*

Nicomediæ urbis Bithyniæ principis, notiſſimæque numi ſub imperatoribus admodum frequentes in muſeis adſervantur, nullus tamen noſtro ſimilis eſt proditus, pro cujus explicatione conſulatur eruditiſſimus P. Harduinus ad numum, quem ſub Trajano producit. *De Pop. & Urb. p. 356. edit. in 4to.*

V.

D. Devonsh. Caput Domitiani idem. ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΘΕΟΥ. ΥΙΟΣ. ΔΟΜΙΤ. ΣΕΒΑΣ. *Imp. Cæſ. Divi Filius Domitianus Aug.*)(Arcus triumphalis L. Δ. *Anno IV.* In Ægypto ſignatus, bono artificio, atque integer. *Tab. XXX. N. 11.*

N. 13. Scribit de Domitiano Suetonius: *Janos, arcusque cum quadrigis, & inſignibus triumphorum per regiones urbis tantos, ac tot extruxit &c.* Qui hac in moneta ab Ægyptiis dedicatus repræſentatur, elegantia & ornatu ſane quam maxime præſtat, tribus viis, terminis intercedentibus, patet, vario anaglypho opere inluſtratus: ſuprema ejus parte quadrigæ equorum eminent, quibus imperatoris ſtatua ſiniſtra haſtam, dextra lauream gerens inpoſita, latus utrumque cingunt

Digitized by Google

cingunt ſuis cum captivis tropæa &c. Ex quo conſequitur non Romæ ſolum imperatoribus, ſed in provinciis, quæ eorum gratiam ambiebant, iſtiusmodi honores decretos.

TABULA XXXI.

VI.

Caput ſimile. ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. *Imp. Cæſ. Domitianus Aug.*)(Aquila fulmini inſiſtens palmam ſtringit. ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. *Anno Novo Sacro II.* Argenteus formæ majoris granorum 226, conſervatus quidem optime, ſed artificis mediocris opus. *Tab. XXXI. N. 1.* *D. Devonsh.*

Alium hujusmodi tetradrachmum numum ſuperius *pag.* 249. cum capitibus Veſpaſiani & Titi protuli, de utroque jam ſententiam meam ſubjicio. Eruditiſſimus Seguinus numos cum epocha *Anni Sacri* ita explicat, ut æræ initium ab reſtituto per Veſpaſianum Jovis Capitolini templo ducat, verum, quia, ut ſæpe laudatus *Vaillantius* quam optime obſervavit, major horum numorum pars, & forſan omnes, ut ego quidem exiſtimo, in Syria aut Phœnice cuſi ſunt, (158) non adſequor, cur ſoli harum regionum populi in celebrando publico hoc Veſpaſiani opere adeo diligentes fuerint, præſer-

(158) Salaminæ in Cypro, Paphi, Cæſareæ Cappadociæ, Anazarbi Ciliciæ cuſos etiam fuiſſe vel ſigna inſcalpta, vel epigraphe cum urbis nomine hodie nos docet.

tim cum ad Syros parum ſane adtinuerit reparatum aliquod Romæ templum.

Hinc ſubortum mihi eſt dubium, an non aliud quid in republica memorabile ſacris his annis occaſionem præbuerit, cumque conſideraſſem, idololatras quidem omnes, atque eos præcipue, qui Judææ vicini erant, Hebræorum religionem non deteſtatos ſolum fuiſſe, ſed ſuis ſacris quam maxime perniciosſam exiſtimaſſe, animadverti, videri potuiſſe Syris, & Phœnicibus, Veſpaſianum capta Judæa, deſtructo eorum templo, atque Judaiſmo velut abolito deorum cultum confirmaſſe, atque in ipſo alterius religionis excidio velut conſtabiliviſſe.

Quis negaverit, annos inde decurrentes, ſacros dici potuiſſe tanquam religionis in eo terrarum tractu triumphantis, voluiſſeque earum urbium cives pluribus vicibus devotum ſuum erga familiam Flaviam animum conteſtari non ſolum Veſpaſiano, & filiis etiam deinceps imperantibus, ſed Nervæ etiam, qui etſi non ea gente ortus, his tamen religionis defenſoribus, ut ſubceſſit, ita ſubfectus eſſe videbatur; Neque poſt hunc imperatorem numi hactenus viſi ſunt epocha *Anni Sacri* notati. (159)

Debel-

(159) Primam *Annis Sacris* facem prætulit numus æneus Trajani Decii a celeber. Frœlichio ex muſeo Granelliano conlegii noſtri academici Vindobonenſis cum anno I editus *IV. Tent. pag.* 342, qui prolatas eousque ſententias omnes jugulavit. Seguini & Haymii quidem, quia annorum numeros in ſubceſſorum numis

Debellaverat Judæam Titus anno II. imperii Veſpaſiani, quare annus VIII & IX productus a *Vaillantio* optime Veſpaſiano, qui decem annos imperaverat, congruunt. Nullus ante noſtrum Domitiani numus cum anno II. in antiquariorum manus venerat; Palma aquilæ juncta, quia typus potius victoriæ, quam reſtaurationis alicujus templi eſt indicium, me in ſuperiore mea opinione confirmat.

Imp. Rom. præſtant. T. II. pag. 98. edit. primæ.

Non videntur Seguino, cujus meminimus, perſpecta fuiſſe clariſſimi noſtri Sebaſtiani Erizzo in rem literariam

Kk 2 pro-

---

mis creſcere oportuiſſet: dein Piovene noſtri, qui didrachmum Jovi Capitolino pendendum deſignari arbitrabatur, cum quia Anazarbenſis ille Decii æneus eſt, tum quia diu admodum poſt *Fiſci Judaici Calumniam Sublatam* cuſus; Quare diem aditi ab imperatoribus imperii annis ſingulis recurrentem ſacrificiis perpetratis cultum, atque fluens inde anni curriculum indicari gravibus argumentis demonſtravit Frœlichius. Pleniore in lucem conſtituit Cl. Belley *Memoires de l'Acad. des belles let. T. XIX pag. 447 & ſeqq.*, qui cum ex aliis majore numero, tum potiſſimum ex Galbæ numo (quo ipſo Seguini Haymii, & Piovene conjecturæ Veſpaſiani imperio adfixæ alio argumento convelluntur) inſcripto ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. conficit, præter diem ſuſcepti imperii, qui imperatorio anno dabat initium, civilis cujusque urbis anni etiam rationem ita habitam, ut a diverſis exordiis ſimul duo anni decurrerent, eo tamen obſervato diſcrimine, ut anni civilis, ſi ita loqui licet, primæ calendæ ſemper titulum *anni Novi Sacri*, quemadmodum primus aditi ab imperatoribus imperii annus præferrent, alii vero, quibus dies hujus feſti recurrens ſacrificiis celebrabatur, ſolum ΕΤΟΥΣ. ΙΕΡΟΥ. *Anno Sacro* II vel III &c. conſignarentur. Adi laudatum Belley, & hoc de argumento deſiderabis nihil.

Digitized by Google

promerita, dum eum deridet, quod proferendo duos hujusmodi Veſpaſiani numos ſcripſerat: *Nell' ottavo anno dall' Edificazione del ſacro tempio fabricato dal Re Salomone.* Si Seguinus noviſſet, Erizzum in Latina & Græca lingua præclare verſatum, atque a ſuis interpretationibus Ariſtotelis &c. celebrem, nunquam in animum induxiſſet, ut lapſum tam abſurdum viro tanto adlineret, verum culpam omnem in typographum conjeciſſet, qui vocabulo *deſtruzzione* alterum *edificazione* ſubſtituit. (160) Locus ergo emendatus ita legendus: *Le quali medaglie, come ſi vede, furono battute nell' ottavo, e nono anno dalla deſtruzzione del ſacro tempio fabbricato dal Re Salomone.* Atque hoc planiſſime cum eo conſentit, quod hactenus diſputavi.

Diſcorſo ſulle med. antiche pag. 252.

DOMITIA.

D. Devonsh. Caput Domitiani laureatum. IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. P. M. COS. VIII.)(Caput Domitiæ. DOMITIA. AVGVSTA. Integerrimus & bene ſcalptus majoris formæ 157 argenti grana adpendit. *Tab.* XXXI. *N.* 2.

Domitia Longina Domitii Corbulonis, de quo pluribus agit Tacitus, filia, cæſo a Domitiano primo ſuo marito Lucio Lamia, ejus thoro perfruita fuit, dum ob amores Paridis hiſtrionis, cui conſueverat, repudiata eſſet; adſumta iterum in

Hiſt. L. XIII.

(160) Sed riſum non effugiet, quod templum a Tito everſum, a Salomone extructum ſcripſit.

Digitized by Google

in thalamum aliquorum ſententia, in conjuratorum numero a quibus trucidatus eſt imperator, cenſebatur ipſa.

Tetradrachmus hic non ſolum ob duo capita, quæ raritatem maxime augent, ſed etiam ob conſulatum VIII V. C. 835 initum, in antica ſignatum, qui nec inter imperiales Latinos Vaillantii, nec ab eruditiſſimo noſtro comite Mezzabarba inter Domitiæ numos adnotatus eſt, pretii eſt ſingularis. Liquet hinc Domitianum altero poſt mortem Titi anno Domitiam uxorem habuiſſe, atque, ut exiſtimo, poſt repudium nuper ſibi conciliatam. (161)

DOMITIA *ſola.*

I.

ΔΟΜΙΤΙΑ. CЄΒΑCΤΗ. *Domitia Auguſta.* Caput ejusdem.)(Templum hexaſtylon ΔΙΑ. ΚΟσμȢ ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔΟ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Per Præſidem Dioſcuridem Laodicenſium.* Artem & ætatem benignam habuit. *Tab. XXXI. N. 3.* *D. Devonsk.*

II.

Caput ſimile epigraphe eadem.)(Juppiter Philalethes. ΔΙΑ. Κ. ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔΟΥ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. *Eſt D. Sherard. Tab. XXXI. N. 4.*

(161) Ita lapſum (*che fu il precedente dopo la morte di Tito*) ut mihi videtur, typographi, quemadmodum ſuperius Haymius in Erizzi libro, emendandum arbitrabar.

Digitized by Google

De Laodicea Cariæ, aut, ut aliis placet, Phrygiæ, ubi ambo numi cuſi ſunt, quemadmodum etiam de cultu Jovis Philalethis, ſeu veritatem amantis diſſerueram alibi, atque hujus numini pulcerrimum, quod averſa primi numi pars exhibet, templum dedicatum fuiſſe cenſeo.

Imp.Græc. pag. 25. *Vaillantius* in numo ſimili, qualem ſecundo loco repræſento, male nomen magiſtratus legit, dum ita epigraphen deſcribit: ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. (162) Fateor quidem ingenue mihi ipſi primi horum numorum lectionem non parum faceſſiviſſe negotii ob literarum inſolitam atque diſtortam diſpoſitionem; adſumtis tamen in conſilium, hoc in literarum genere verſatiſſimis DD. Maſſonio & Benedetto, in eam epigraphes ſententiam conventum fuit, quam ſuperius indicavi; adceſſit confirmatio ex numiſmate altero *D. Sherard.* Titulus quidem Κοσμυ in Græcis a ſæpe laudato *Vaillantio* adnotatis numis quidem non reperitur, ſubpetias tamen venit Polybius, ex quo Cretenſium magiſtratus ita dictos novimus. (163) *Leg. XLV.*

VESPA-

(162) Temere reprehenditur Vaillantius, cum, quia nihil novi eſt admodum, urbem eandem magiſtratuum nomina jam in recto, jam in obliquo cum vel fine præpoſitione ſuis in monetis ſcalpſiſſe, tum quia hunc ipſum numum, non alibi obiter inſpectum, ſed ſuo ex muſeo protulit.

(163) Hucusque adnotationem ad epigraphes lectionem pertinentem diſtuli, ubi ſcilicet Haymius ipſe ejus occaſionem præbet; Probare non poſſum, ex Creta advocari Κοσμυς ad magiſtratum urbis in Caria vel Phrygia fitæ, quæ præterea in aliis ſuis numis aut γραμματεις aut πολιαρχυς inſcripſit: Ut hoc inſolens, ita non minus eſt uſus præpoſitionis ΔΙΑ, præſertim cum in mone-

Digitized by Google

VESPASIANUS JUNIOR.

ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΝΕΩΤΕΡΟΣ. *Veſpaſianus Junior*. Caput nudum.)(ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Smyrnenſium*. Spes gradiens. Sine vitio, cælaturæ bonæ. *Tab. XXXI. N. 5.* D. Devonsh.

Numiſmatis hujus mentio facta eſt *Tom. I. pag. 248* oblata occaſione ab altero ſimili, ſolo averſæ partis ſigno alio, ipſa tamen raritas, qua principis hujus in moneta ſignata effigies antiquarios perſtringit, perſuaſit facile, ut caput iterum repræſentarem, præſertim cum poſticæ partis typus, numum, quem profero, numero unicorum inſerat. Loco indicato meam de hujus Veſpaſiani origine opinionem etiam prodidi, qua illum Flavii Clementis filium a patruele Domitiano ob leviſſimam cauſam neci datum adſerui. Dictum item Flavii Clementis filios mutatis

monetis ejusdem Laodiceæ ΕΠΙ adhibeatur. Vide, quæ ad numos Attudenſium ſuperius pag. 108 N. 69 adnotaveram. Quare ita rem reſtituendam cenſeo, legendum nempe: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΔΙΑ. ΚΟ vel Κ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ. *Laodicenſium* ſcilicet populus, *Jovem* colit (Philalethem nempe ſuum, cujus ſignum in numo exhibetur) ſub *Quinto Dioſcuride*. Nihil hac in lectione ferit antiquis numis adſuetum: non civium nomen, ſubintellecto ΔΗΜΟΣ, in gignendi caſu, ejusmodi exempla ipſe Haymius ſubpeditat hoc tomo in Agrippina Germanici *Tab. XXVII. N.* 3, in Agrippina Claudii *Tab. VIII. N.* 2; Non Κ vel ΚΟ lectum Κοιν̃ς *Quinto*. Libertos Augg. Græcos Latina adſumſiſſe prænomina tam certum, quam ex numis & marmoribus conſtat, prænomen *Quintus* a Græcis jam ſolo Κ, jam ΚΥ & ΚΟ ſcriptum fuiſſe.

Digitized by Google

tis nominibus alterum Veſpaſianum, Domitianum alterum dictos imperio a patruele deſtinatos fuiſſe, ut refert Suetonius.

In Domit. c. 15.

Giornal letter. Anno 1717. Vol. 28. pag. 310.

Dum hæc primo tomo edidiſſem, forte incidi in epiſtolam eruditiſſimi viri Laurentii Pataroli ad inluſtr. D. Joannem Dominicum Tiepolum datam, qua de numo Veſpaſiani junioris ab Harduino, deinde a me priore volumine producto diſſerit. Hac diligenter perlecta ut non parum laudati Pataroli eruditas perveſtigationes admiratus ſum, aliquas tamen illius obſervationes, quæ opinioni meæ adverſari videntur, indicandas hic ſaltem exiſtimabam, non ut cum viro, quem maximi facio, conlidar, ſed animo ſolum oſtendendi, ejus conjecturas tanti roboris non eſſe, ut ſententiam meam convellant. Cum eo ſentio, Veſpaſianum juniorem filium Domitillæ uxoris Veſpaſiani, tertio loco natum eſſe non poſſe, nec probo etiam, Domitillam ſecundis nuptiis auguſto huic adtribui. Aſt ut præterea adſeratur, caput, de quo res eſt, ſane puerile Titi habendum eſſe, qui dum pater imperium adiit, triginta & amplius annos natus erat, id equidem concoquere nequeo.

Cl. Patarolus ut iſtiusmodi abſurdum ſtabiliat, in alterum multo majus prolabitur, dum monetarios antiquos negligentiæ adcuſat, qua vultuum lineamenta parum ad ætatem eorum, quos effingebant, conmenſuraſſent. Id dabo, eos, quemadmodum pictores noſtros, vitio ſibi vertiſſe, ſi forte capita majore, quam conveniebat, ætate oneraſſent, adeo ut juniores eos repræſentando exerrare maluerint; Quis tamen feret, illos ne inter puerum & triginta annorum virum quidem aliquid diſcriminis intereſſe voluiſſe?

Sed

Sed quid multis opus eſt? an non ætatum gradus in numis Auguſti, Hadriani, M. Aurelii, Commodi, Caracallæ, & Getæ obſervamus? Ecqui tandem inter duos Gordianos Africanos, Philippos, Valerianos pater a filio diſcerni poſſet, niſi ipſo in ære ætatum diverſitas reluceret?

Non conquiro ad ſententiæ meæ defenſionem teſtimonia ex quarti ſeculi numis inter Conſtantinos, ut placuit Patarolo; nimium enim ab artificibus ejus temporis ad anteriora atque Veſpaſiani potiſſimum imperium, ſub quo artes ſumma in perfectione florebant, eſt intervallum; Et profecto Smyrnæi, quorum in monetis cælatura nulli Græcarum urbium concedebat, nunquam admiſerint, ut Judææ debellator ſub ſpecie inbellis pueri feriretur.

Certus ſum, Cl. Patarolum nunquam eo præcipitem actum fore, ſi numos quinque aut ſex junioris hujus Veſpaſiani integerrimos, quos Londini contrectavi, vidiſſet ipſe, profecto mecum Veſpaſianum aliquem ab imperatore alterum fuiſſe ſenſiſſet, præſertim cum ſpei typus, qui cæſaribus imperio deſtinatis fere in moneta, ut ita loquar, dedicabatur, novum meæ opinioni pondus adjiciat. Cl. Patarolum extorta hac ſententiæ meæ defenſione ne minimum offendendum mihi eo magis perſuadeo, quia nec ipſe decori limites exceſſi, & præterea certis indiciis mihi conſtat, omni eum virum humanitate & adfabilitate incoctum eſſe.

NERVA.

ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. *Imp. Nerva Cæſar Aug.* *D. Devonsh.*

Aug. Caput ejuſdem laureatum.)(Aquila fulmini inſiſtens. L. A. *Anno I.* Argenteus majoris formæ artificii boni, ne minimum eſt adtritus. *Tab. XXXI. N. 6.* Percuſſus eſt in Ægypto primo Nervæ imperii anno. Nullum hucusque Ægyptium Nervæ vidimus juris publici factum. (164)

TRAJANUS.

D. Devonsh. I. Caput Trajani laureatum - - - ΚΡΑΤΩΡ. ΑΥΓ. ΤΡΑΙΑΝΟC. ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Imperator Aug. Trajanus, Germ. Dac.*)(ΑΡΜΕΝΙΑ. Imperator ſtans coronatur ab adſiſtente Victoria, ad ejus pedes provincia lugens ſcuto inſidet. Boni ſcalptoris opus, aliquid vitii tamen ab ætate tulit. *Tab. XXXI. N. 7.*

Xiphilinus pluribus de Armenia adquiſita ſcribit; Provinciis Romanis adjecta eſt ſub an. V. C. 868, qui Trajani erat ſeptimus decimus. Adceſſionis hujus atque prolatorum imperii limitum mentionem etiam faciunt numi Latini

(164) Duos diverſi typi, ſcilicet cum capite Sarapidis alterum, alterum in quo ſerpens loto coronatus inter ſpicam & caduceum adſurgit, utrumque argenti mixti (qualis Devoniæ ducis fuerit, cum pondus ab Haymio non indicetur) in muſeo Stoſchiano, quod in Angliam deportatum audivi, reconditos fuiſſe, ex catalogo ab Inluſtriſſimo poſſeſſore mihi olim transmiſſo ſcio. Harduinus unum ejusdem anni cum epigraphe ΚΡΑΤΗΣΙΣ in hiſtoria Aug. protulit, & niſi fallor, ejusdem quidem inſcriptionis, ſed L. B. in muſeo Apoſtoli Zeno adſervabatur.

Digitized by Google

Latini inſcriptionibus vario modo conceptis: *Armenia Devicta*: *Armenia Subacta*: *Armenia & Meſopotamia in Poteſtatem P. R. Redacta.* Noſter numus a *Vaillantio* inter Græcos recenſetur quidem, lineari tamen pictura editum neſcio.

II. ΑΥΤ. ΤΡΑJΑΝ. CΕΒ. Κ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚΙΚ. *Imp. Trajan. Aug. Cæſ. Germ. Dacicus.* Caput ejusdem laureatum.)(Quadrigæ elephantorum, quibus vehitur Auguſtus d. oleæ ramum ſ. eburneam aquilam tenens, Victoria aurigante. L. ΙΑ. *Anno XI.* *Tab. XXXI. N. 8.* *D. Devonsh.*

III. Caput, & epigraphe eadem.)(Vas ab homine nudo in quadrigis equorum ſuſtentatum. L. ΙΓ. *Anno XIII.* *Tab. XXXI. N. 9.* *D. Devonsh.*

TABULA XXXII.

IV. Caput & epigraphe eadem.)(Anubis ſtans. ΝΑΥΚΡΑΤΙC. L. ΙΓ. *Naucratis Anno XIII.* *Tab. XXXII. N. 1.* *D. Devonsh.*

V. Inſcriptio & caput ſimile.)(L. ΙΔ. *Anno XIV.* Vir ſeminudus ſtans, duobus ſine veſte adſtantibus, a quorum altero coronatur. *Tab. XXXII. N. 2.* Quatuor hæ monetæ in Ægypto percuſſæ ne minima parte detrimentum acceperunt. *D. Devonsh.*

Primus horum numorum, qui annum XI præfert imperii Trajani, victoriam Dacicam, ob quam anno ſuperiore

Digitized by Google

Romæ triumphum egerat, indicat, id quod titulus Dacici in epigraphe confirmat. II cum anno XIII, quia ex vaſe curruì inpoſito Ægyptiæ quædam plantæ germinare obſervantur, mea quidem opinione feſta deſignat, quæ ob Nili exundationem, cui regionis fertilitas germinibus illis depicta debetur, in Ægypto celebrabantur. III numus eodem ſignatus anno, quia Ægypti urbem necdum editam inſcripto nomine prodit, majoris multo eſt pretii, de hac ita Stephanus: *Naucratis urbs Ægypti, condita a Mileſiis tum maris imperium*
L. XVII. *tenentibus*; conſulatur etiam Strabo. Sita erat ad Canopicum Nili oſtium, Athenæi patria; ubi proprium, quod exhibetur, numen cultum fuerit. IV numum ad ludos & ſacrificia in Trajani honorem facta referendum exiſtimo.

D. Devonsh. VI. Caput idem laureatum ΑΥ. ΚΑΙ. ΘΕΟΥ. ΥΩ *ſic*. ΝΕΡΒΑ. ΤΡΑΙΑΝΩ. C. ΓΕΡΜΑ. *Imp. Caſ. Divi Filio Nervæ Trajano Aug. Germ.*)(Mulier virum nudum adſiſtentem coronat. ΤΕ - - - ΠΡΟΚΛΟΥ. CΤΡ. ΑΝΑΚΙΩΝ. *Terentio Proclo Prætore Anacenſium.* Ad artis leges cælatus. *Tab. XXXII. N. 3.* Etſi numus hic præter quasdam extritas literas ſit integer, quia tamen ob dubiam lectionem, qua in urbe cuſus ſit, non adſequor, arbitrio eruditis relicto, id ſolum profiteor, linearem, quam dedi, picturam, monetæ ipſi eſſe ſimillimam. Vide Stephanum vocabulo ΑΝΑΚΗ.

D. Devonsh. VII. Caput ſimile. ΑΥ. ΝΕΡΟΥΑΝ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ. *Imp. Nervam Trajanum.*)(CΤΡαληγϛ ΡΟΥΦΟΥ. ΦΟΥCΚΩ. ΑΝΘΥπάτω ΖΗΛΕΙ. *Prætore Rufo Fuſco Proconſuli Zelitæ.* Mulier velata ſtans d. ſpicas ſ. cornu copiæ gerit. Præſtans ſine omni vitio numus. *Tab. XXXII. N. 4.*

Zela

Digitized by Google

Zela Ponti urbs verſus Armeniam minorem jacebat & Lyco fluvio, qui in Irin ſe exonerat, & oppido Cabiræ vicina; de ea ſcripſere Strabo *L. XII.* Plinius *L. VI. c. 3.* & Hirtius Panſa de bello Alexandrino. Tres a Vaillantio hujus urbis numi recenſentur cum epocha Cæſareana ſcilicet ab anno V. C. 707 deducta, nempe duo Juliæ Domnæ, tertius Caracallæ. Inſcriptionis ordo in noſtro maxime eſt inſolens: primo quippe loco conparet ΖΗΛΕΙ, verum ita ſcriptum: ΖΗΛCΙ, literæ ΦΟΤ & terminando nomini ΡΟΤΦΟΤ, & incipiendo alteri ΦΟΤCΚΩ ſerviunt; denique cum litera E in gentili nomine rotundo charactere C ſit formata, poſſent etiam illæ CTP legi ET. P. nempe anno centeſimo; verum cum æra cæſareana hic numerus nunquam conſentiet. Quare ab lectione ſuperius propoſita non diſcedo. Ceres in averſa repræſentata Zeliten agrum, & a frumenti, & aliarum frugum abundantia conmendat. (165) *pag.* 272.

VIII. Epigraphe & caput idem.)(ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. ΕΠΙ. ΒΑΣ. *Commune Galatiæ ſub Baſſo.* Deus Lunus ſtans. Utraque laude dignus. *Tab. XXXII. N. 5.* Numus hic oſtendit T. Pomponium Baſſum legati munere Galatiæ, & Cappadociæ ultra duos annos præfuiſſe, cum ſub Domitiano cum anno imperii eundem produxerim. *Tab. XXX. N. 7.* *D. Devonsh.*

(165) Lapſum ſuum Haymius in præfatione hujus tomi correxit, numumque Smyrnæ reſtituit, optandum fuiſſet, ut etiam caſum ΡΟΥΦΟΥ cum ΦΟΥCΚΩ conciliaſſet, cui nec ipſe remedium invenio, niſi ad errorem ſcalptoris monetarii confugiendo.

IX. Caput Trajani laureatum. AT. NEP. TPAIA-NON. KAI. CE. ΓEP. ΔAK.)(Pallas armata gradiens CEBACTH. *Sebaſte.* Æneus bene conſervatus. Ex *muſeo equitis Roberti Sutton.* *Tab.* XXXII. *N.* 6.

Multa hujus nominis ſunt oppida: horum unum Samaritis habet, cui pluribus tamen titulis, atque præcipue ob cælaturæ rationem non congruit, ut ex inſpectis numis, quos hac ex urbe ſub Augg. refert Vaillantius, liquebit: urbs alia inſulæ ad Ciliciam pertinenti inſidet, in qua cuſus eſſe non poteſt, quia ſe titulis liberæ, propriis legibus utentis &c. ab aliis diſtinguit: neque Galaticæ Sebaſte adtribuendum cenſeo, de qua ſuperius egeram, hæc enim Tectoſagorum nomen ad diſcrimen adjicit; Quare monetam noſtram ex officina Sebaſtes Ponticæ, olim dictæ Cabiræ, prodiviſſe, probabilius exiſtimo: videſis quæ hac ſuper re pag. 175 hujus voluminis diſſerui. Minerva proprium Macedonum numen, a quibus Pontici populi derivati, eorum urbibus optime convenit.

D. Devonsh. X. Caput Dianæ cum arcu & pharetra. TPIΠOΛ. ΘEOΔOPOC. B. *Tripolitarum Theodorus* iterum EXAPA.)(Figura paludata tropæum conponit, ſub quo captivus. AT. KAI. TPAIANOC. CEB. ΔAK. *Imp. Cæſ. Trajanus Aug. Dac.* Ut ætatem benignam habuit, ita ſcalptoris manum peritam admodum. *Tab. XXXII. N.* 7.

Pop. & Urb. p. 305. *edit. in* 4*to. p.* 149. Tripoli ad Mæandrum urbe ad Lydiæ Phrygiam verſus limites ſita, cuſum numum opinor; cujus editas ab Harduino monetas atque noſtræ aliquantum ſimilem unam a Patino inter æris medii numiſmata productam inſpice. Mili-

tarem

tarem illam figuram, quæ tropæum adornat, ut Trajanum referre cenſeo, ita typum victoriam Dacicam ſpectare arbitror. Diana loci præſtes numen fuerit. Quod illud EXAPA adtinet, eruditorum ſententiam expecto. (166)

XI. Templum tetraſtylum. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ϹΤΡ. Ι. ΠΟΛΛΙΩΝΟϹ. *Trajanus Prætore Julio Pollione.*)(Ædes ſimiles. ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ. ΠΕΡΓΑ. *Auguſtus Pergamenorum.* Artificio bono atque integer. *Tab.* XXXII. *N. 8.* D. Devonsh.

Tab. 26 *N.* 4 demonſtraveram Auguſto a Pergamenis exſtructum fuiſſe templum, quod ipſum hic iterum ſiſtitur, neque de eo dubitare ſinit præfixus in frontiſpicio capricornus, typus in Auguſti monetis frequens. Alterum item ſtructuræ ſimilis erectum fuiſſe Trajano hic numus docet, quo utriusque imperatoris merita conparare videntur. *Vide ad medium Patini p.* 150.

PLOTINA.

Caput Plotinæ. ΠΛΟΤΕΙ. ϹΕΒΑϹΤΗ. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Plotina Auguſta Perinthiorum.*)(Caput Trajani lau-

(166) Nec vultus, & cultus capilli, nec veſtis feminæ congruere mihi videntur, crinium nodi barbarum aliquem regem ſuaderent potius, aut Lydorum aliquem heroem, *Echaram* forſan dictum. Neque illud ſatis adcurate adſeritur, Dianam præcipua religione cultam, cum in numis apud Harduinum indicatis Amor, Hercules, Æſculapius cum Hygia, Fortuna, ſolum indicentur. Potius Latonæ ob ΛΗΤΩΕΙΑ numis teſtibus celebrata hujusmodi præſidium adtribuerem.

Digitized by Google

laureatum. AΥ. NEP. TPAIANOC. KAIC. ΓEP. ΔAK. *Imp. Nerva Trajanus Caeſ. Germ. Dac.* Caelatura & conſervatio mediocres. Ex muſeo equitis *Roberti Sutton.* *Tab.* XXXII. *N.* 9.

Numum Trajani & Plotinae uxoris honoribus feriri fecerunt cives Perinthi oppidi Thraciae ad propontidem maritimi, cum ex libris, tum ex numis notiſſimi. Produxerat quidem hanc monetam inter Graecos ſuos *Vaillantius*, quia tamen, ut conſideranti patebit, characterum forma alia in pictura lineari, alia in monetae deſcriptione, neceſſe ſane erat, ut imago reſtitueretur, ex qua illi, qui rariſſimum hunc numum non viderunt, de ejus exacta caelatura ſimillima prototypo effigie certi reddantur.

MARCIANA.

D. Devonsh. Caput turritum, & velatum. MAPKIA - - - - *Marciana.*)(Cybele ſedens. MAPKIANOΠOΛITΩN. *Marcianopolitarum.* Ut ſuperior mediocritatem neutro titulo excedit. *Tab.* XXXII. *N.* 10.

L. XXVII. c. 9. Urbi huic Moeſiae inferioris ad Ponti verſus mare confinia ſitae nomen teſte Ammiano Marcellino inditum fuit de Trajani ſorore Marciana. Probabile arbitror, hoc typo primam Marcionopolitarum monetam ſignatam fuiſſe, quia harum nulla ſub imperatoribus ante Septimium Severum conparet. (167) Marcianam velut beneficum urbis ſuae Geni-

(167) Exiſtimo, numos hujus caelaturae, ſi etiam caput, & nomen

Digitized by Google

Genium, ſub domeſtici numinis effigie ſcilicet Cybeles repræſentatam volebant. (168)

MATIDIA.

MATIΔIA. CEBACTH. *Matidia Auguſta.* Caput illius.)(TPAΛΛIANΩN. *Trallianorum.* Fortuna ſtans d. temonem, ſ. cornu copiæ. Peritæ manus opus, aliquid tamen damni accepit. *Tab. XXXII. N. 11.* *D. De. vonsh.*

Matidia Marcianæ filia, atque adeo Trajani neptis erat; *Vaillantius* tam matris, quam filiæ Græcos ſolum ſingulos vulgavit: nobis tam felicibus eſſe licuit; ut utriusque diverſos duos ederemus. In hoc Tralliani Matidiam ſub Fortunæ typo ſalutant, velut omnis ſuæ felicitatis originem. De Trallianis tractatione de urbibus egeram. *pag.* 192.

HADRIANUS.

I. Caput Hadriani nudum, & quamvis inberbe, ſimillimum.

---

men Marcianæ referrent, primos ſemper habitos fuiſſe, etſi ſub Hadriano, aut Antonino Marcianopolitarum nomine inſcripti aliqui inventi fuiſſent. Ceterum præſtaret in hunc tantum hiatum inquirere; forſan aptius dicetur, numos præſentis typi alia in urbe ad dedicationem ſolum Marcianopolis cuſum, neque res hujus oppidi usque ad Severi tempora florente in ſtatu fuiſſe. Vide Notam ſeq.

(168) Lapſum Haymii, quo caput Marcianæ ſe vidiſſe exiſtimabat, modeſtiſſime indicat Frœlichius: *Animadv. in quosdam numos, veteres urbium* edit. Flor. pag. 49; docet nempe ad caput in integro ab ſe ex muſeo Granelliano producto legi MAPKIANOΠOΛIΣ.

mum. IMP. CAESAR. AVGVSTVS.)(Vir togatus ſtans, qui quantum ex parvo capite conjici licet, imperator ipſe, d. ſpicas ſ. volumen, aut librum gerit, ut in aliis etiam imperatorum numis obſervatur. Epigraphe, ut in lineata imagine ita interpuncta: HADRIANVS. AVG. P. P. AEN. Majoris formæ, argenti puri, artificii & conſervationis præſtantis. Ex muſeo *D. Love. Tab. XXXII. N. 12.*

Explicationem inſignis hujus numiſmatis pleno jure eruditis relinquo, quod mearum partium erat, profiteor, eum adcuratiſſime a me deſcriptum.

TABULA XXXIII.

II. Caput Hadriani laureatum - - - - ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑ - - - -)(Ædificium. L. ΕΝΝΕΑ. Κ. Δ. *Anno XIX.* Numus integer. Inter cimelia *D. Guilielmi Croſſe. Tab. XXXIII. N. 1.*

Ægyptiam hanc monetam in officina urbis celeberrimæ Alexandriæ flatam eſſe, atque ſtructuram partis averſæ portam hujus oppidi forſan ab Hadriano anno XIX imperii reſtitutam opinor.

D. Devonsh. III. Caput idem anepigraphum.)(Caduceus. CA. ET. ΘΝ. *Samoſata vel Samoſatenſium Anno LIX.*

D. Devonsh. IV. Caput ſimile.)(Caduceus. ΦΛ. CA. ET. Ξ. *Flavia Samoſata Anno LX.* Ambo numi nec artem, nec ætatem iniquam habuere. *Tab. XXXIII. N. 2 & 3.*

Pri-

Primum horum inter Græcos ſuos relatum, ita legit *Vaillantius*: CAETΩN. *Saetorum Lydiæ; in Not. Epiſcop.* pag. 36. Cεττων. *Leunclavius habet* Cέτων, *&* *in margine ex vet. cod.* ἤτοι Αὔλῆ. Quam vero aberraverit, poſterior noſter, ambo enim ejusdem ſunt fabricæ, luculenter docet. Epocha *Vail.* pag. 283. Samoſatæ Commagenes metropolis ducitur ab an. V. C. 825; quare prima moneta anno XIII. altera XIV. Hadriani percuſſa fuit. Flaviæ agnomen a Veſpaſiano tulit. Alatus caduceus præcipuam religionem Mercurio adhibitam arguit.

V. Idem caput ſine inſcriptione.)(Botrus CEBEK. *D. Devonsh.* L. IA. Numus integerrimus artificem commendat. *Tab.* XXXIII. *N.* 4.

VI. ATT. KAI. TPAI. AΔPIAN. Caput ſimile. *D. Devonsh.*)(Bacchus ſtans. CEBEK. L. IA. Satis nitidus. *Tab.* XXXIII. *N.* 5.

Ad eos in Delta degentes populos ambo hi Ægyptii numi ſunt referendi, de quibus ita Stephanus: *Sebennytus urbs Ægypti, & lacus & fluvius. Vaillantius* in Græcorum catalogo hujusmodi aliquam monetam hoc modo recenſet: CEBENυτων. L. IA. *Anno XI. Sebennytus urbs Ægypti. Bacchus ſtans, dextra racemum, ſiniſtra thyrſum gerit.* Nec alia orthographia cum geographis omnibus utitur P. Harduinus; p. 444. edit. in 4to. Verum quia noſtri duo numi ſervati quam optime pro N habeant K, dubitari non poteſt, legendum eſſe, ut ſupra adnotaveram, CEBEK. *Sebennytarum.* (169) Et Bacchi

Mm 2 cul-

(169) Ut Haymius orthographiam cum geographorum, tum antiqua-

Digitized by Google

cultum hac in præfectura viguiſſe, & regionem vini fuiſſe admodum feracem averſæ partes demonſtrant.

D. Devonsh. VII. Caput & epigraphe eadem.)(Caput Iſidis. ΠΗΛΟΥ. L. ΙΑ. *Peluſiorum Anno XI.* ſine vitio. *Tab.* XXXIII. *N. 6.*

Explicationem quære cum in Ægypto numiſmatica *Vaillantii* hiſtoriæ Ptolemæorum adpenſa *pag. 212.*, tum apud P. Harduinum *de Pop. & Urb. p. 404. Edit. in 4to.*

VIII. Caput Hadriani laureatum. ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙCΑΡΑ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ. *Imperat. Cæſarem Trajanum*

---

quariorum, qui minus integros numos nacti, hos ſecuti fuerant, quam optime emendat, ita corrigendus eſt ipſe; legendum ſcilicet fuiſſet: CEBEKνυτης *Sebecnytis* ſubintelligendo Νομος, ſeu præfectura; Obſervavit receptum hunc errorem primus Cl. Barthelemy cuſtos numophylacii Galliarum regis, amicus meus *Mem. des inſcript. & des bell. let. Tom. XXVI. pag.* 550; ubi docet, iis in numis, qui totum vocabulum præferebant, ſe fere ſemper illud in ΗΣ terminatum inveniſſe: vg. ΚΟΠΤΙΤΗΣ: ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΙΤΗΣ &c. non vero ΚΟΠΤΙΤΩΝ &c. Idem confirmavit Cl. Belley in ejuſdem academiæ commentariis *Tom. XXVIII. p.* 526 *& ſeqq.* ubi dum Ægyptum numiſmaticam Vaillantii non viſis hactenus XIV præfecturis ſeu Nomis auget, & vocabulum ΝΟΜΟC in aliquibus numis adjectum commemorat, & duas monetas pleno nomine profert ita inſcriptas: ΑΦΡΟΔΕΙΤΟΠΟΛΙΤΗC unam, ΔΙΟΠΟΛΙΤΗC alteram. Ipſe Haymius ſimili terminatione epigraphen inferius ſub Antonino Pio ſcalpta imagine dat *Tab. XXXIV. p.* 282.

Digitized by Google

janum Hadrianum.)(Fortuna ſtans cum temone, & cornu copiæ. ΕΠΙ. ϹΤΡΑ. Α. ΠΟΥ. ϹΑΒΕΙΝΟΥ. ΚΥΖΙ. *Sub Prætore A. Publio Sabino Cyzicenorum.* (170) Sine ætatis injuria. Ex numophylacio *D. Croſſe.* *Tab.* XXXIII. *N.* 7.

Præterquam quod in *Vaillantio* hic averſæ typus abeſt, ob miram literarum conformationem, quæ in imagine prototypo exacte reſpondet, numum hic exhibere placuit.

HADRIANUS & ANTINOUS.

IX. Caput Hadriani laureatum. ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. *Imp. Cæſ. Trajan. Hadrianus Aug.*)(Caput Antinoi ſub ſpecie Sarapidis, præ quo ramus palmæ. L. ΕΝΝΕΑ. Κ. Δ. *Anno XIX.* Ita lego, etſi literæ ſint, ut in lineari pictura expreſſi; cetera bonum artificium nigra cruſta a damnis ad elegantiam etiam conſervavit. *Tab.* XXXIII. *N.* 8. *D. Devonsh.*

Dubitare non poſſum, voluiſſe Ægyptios monetarios parte numi averſa Antinoum Hadriani delicium cum modio capiti inpoſito ſub Sarapidis forma repræſentare, ut imperatori adularentur, niſi enim hoc conſilio acti fuiſſent, barbatum, ut mos erat, eundem deum videremus; Quid quod

(170) Si adcurate ad interpunctiones ipſius numi, ut ad imaginem, quam ſimillimam deprædicat, advertiſſet Haymius, nunquam futurum fuiſſe arbitror, ut eundem virum duobus prænominibus *Auli*, & *Publii* oneraſſet; ΑΠΟΥ legendum cenſeo Apulejo.

vultus Antinoi ex ipſis lineamentis reluceat, qui in ſuſcepta cum Hadriano per Nilum navigatione cum interiiſſet teſte Spartiano, a Græcis inter divos eſt relatus. Palmam inſtitutos ab iis populis illius honori ludos deſignare arbitror.

SABINA.

D. Devonsh. Caput Sabinæ cum mitra. CABEINA. CEBACTH. AΥΓ. *Sabina Auguſta Aug.*)(Genius turritus ſedens natante ad rupem fluvio, epigraphe inferius explicabitur. Elegante ſcalpro cælatus. *Tab.* XXXIII. *N.* 9.

Quanquam numus hic bene ſit conſervatus, inſcriptio tamen poſticæ partis non ſine difficultate legitur; Conjicio nihilominus referri poſſe numiſma ad Phanoten Phocidis oppidum, de quo in hæc verba Strabo: *Panopeus, qui nunc Phanoteus eſt, fines locorum, qui circa Lebadiam ſunt, adtingit.* Videatur item Stephanus. His præeuntibus lego ΦΑΝΩΤΩΝ *Phanotarum*, atque ob fluvii natantis ſignum Cephiſſo propinquam fuiſſe, ſuſpicor. (171) Obſervationem etiam meretur anticæ partis inſcriptio: CEBACTH. AΥΓ. quæ forſan *Auguſta Auguſti* legenda eſt.

ANTI-

---

(171) Vidi Strabonem, & Stephanum; poſtremo conſentiente ex ΦΑΝΟΤΕΥΣ urbis nomine non niſi gentile ΦΑΝΟΤΕΩΝ formari poteſt: ſi adſumatur alterum ΦΑΝΟΤΗ a grammatico Byzantino indicatum, ΦΑΝΟΤΑΙΩΝ prodibit denique, atque utrinque non parum obturbabit O cum Ω numi conparatum. Ut nihil dicam formam literæ N, ſi cum charactere anticæ in nomi-

Digitized by Google

ANTINOUS.

I. ANTINOOC. *Antinous.* Caput ejusdem.)(Eques. ΑΛ. forſan *Alabandenſium.* Excellentis artificis eleganter prominens opus, nigra vernice conveſtitum. *Tab. XXXIII. N. 10.* *D. Devonsh.*

Ste-

---

nomine CABEINA conferatur, obtorto velut collo ad autoris mentem traduci. Adcedunt alia duo præterea, neque levis momenti, primum: fluviorum ſigna in monetis Græciæ propriæ decumbentia, atque in urnam reclinata repræſentari, natantibus illis figuris contra Syriæ & vicinorum populorum urbes fere ſolum gaudere; Alterum: numos urbium Græciæ propriæ quæ coloniæ non fuerant, ſub Augg. raros eſſe admodum; ne quid temere agerem, percurri catalogos Vaillantii, Theupoli, Arigonii muſeum neque niſi celebrium magis oppidorum Θεσπιέων Αργείων, Δέλφων, Ηλείων, Λακεδαιμονίων & fere ſingulos ſolum numos ſub Trajani & Hadriani imperio reperi. Dixi non niſi celebrium; audiatur enim Pauſanias, qui ſub Hadriano vixit, atque locum ipſum luſtravit in *Phoc. cap. III.* Εςι δὲ πόλις Φωκέων· εἴγε ὀνομάσαι τις πόλιν καὶ τούτους, οἷςγε οὐκ ἀρχεῖα, οὐ γυμνάσιον ἐςιν, οὐ θέατρον, οὐκ ἀγορὰν ἔχουσιν, οὐχ ὕδωρ κατερχόμενον ἐ'ς κρήνην· ἀλλὰ ἐν ςέγαις κοίλαις κατὰ τὰς καλύβας μάλιςα τὰς ἐν τοῖς ὄρεσι, ἐνταῦθα οἰκοῦσιν ἐπὶ χαράδρᾳ. *Urbs eſt Phocenſium, ſi modo urbem eam adpellare par fuerit, in qua cives non prætorium, non gymnaſium, non theatrum, non forum ullum habent, non denique ullum perennis aquæ receptaculum; ſed caſas habitant ad torrentis profundi litora cavernis montium non diſſimiles.* Et hic officinam monetariam quis ſomniabit? Utut facilius ſit alienam conjecturam evertere, quam aliam producere in medium de melioribus, ſi tamen ad ſententiam ferendam adigerer, mallem magiſtratus nomen ita legere: ΦΛ. Ι. ΛΩΤΩΝος. *Flavio Julio Lotone,* urbis nomine in lacuna ab Haymio indicata relicto.

Digitized by Google

Stephanus Alabandam Cariæ urbem feliciſſimam prædicat, fundatamque a Care, filii nomine indito, contendit, *qui, poſtquam in equeſtri prælio ſtrenue navaſſet operam, Alabandus dictus eſt; quod Carum lingua Hipponicum denotat: Ala enim equum, & banda victoriam adpellant.* Hic ipſe Alabandus, ut Cicero conmemorat, divinis a civitate honoribus colebatur; unde dubio vacat, civium conſilio a monetariis Antinoum ad conciliandum ſibi Hadriani animum equitem effictum, velut dicerent: en novum noſtrum Alabandum! Elucet ex hoc ipſo amor, quo Antinoum imperator proſecutus fuerat, cum tot urbes, ut ejusdem favores aucuparentur, æmulatione aliqua in decernendis aliis & aliis adoleſcenti huic honoribus ſe inter certaverint.

TABULA XXXIV.

D. Devonsh. II. Caput Antinoi herois hedera coronatum. ANTINOOC. IAKXOC. *Antinous Jacchus.*)(Ceres ſedens. ΑΔΡΑΜΥΤΤΗΝΩΝ. ΕΓΕϹΙΟϹ. ΑΝΕΘΗ. *Adramytenorum Egeſius dedicavit.* Peritiſſimæ manus cælatura, nitidiſſimeque cinerea aliquantum in virorem abeunte cruſta ab omni vitio ſervata. *Tab. XXXIV. N. 1.*

De Antinoi numo, quem hic repræſento, ſane gloriari licet, eum ſine comparatione omnes hactenus editos & ſingulari pulcritudine, & æſtimationis pretio quam longiſſime antecedere; Profecto ſummo jure promerebatur libellum aliquem peculiarem, pro paucis obſervationibus, quibus illum obiter ſolum perſtringere me cogit conſtitutæ lex brevitatis; Velim primum ad characteres anticæ partis oculis

adverti;

adverti; primum N ut H eſt conformatum, alterum A cum Λ convenit, K ex I & C velut coaluit. Quod nomen *Iacchus* adtinet, explicatio repetenda ex Clemente Alexandrino *Admonit. ad gentes*, Arnobio *adverſus gentes*, Lilio Gyraldo *de diis gentium*.

pag. 13. *edit. Pariſ.* 1629. *L. III. p.* 133. *Pariſ.* 1605.

Ad averſæ partis contemplationem tranſeo. Adrymetum maritima erat Myſiæ majoris urbs; De qua cum ita Strabo: *Adramyttium Athenienſium colonia, portum habens, & navale*, oportet, ex matre urbe traductum fuiſſe cultum Cereris, quam hic Antinoo ſub Bacchi juvenis ſpecie conjungere placuit, pro confirmatione ſervit Arrianus: *Athenienſes alium Bacchum colunt, Jovis, & Proſerpinæ filium, cui myſticus Jacchus canitur, non Thebano.* Conmonſtrant autores ſuperius indicati non ſolum, quam hæc duo numina conjunctionem inter ſe habuerint, ſed ſacrificiorum etiam ritus.

pag. 386, 399. & 591. *Baſil. Oporin.*

Ad extremum, quod maximam numiſmati huic raritatem conciliat, illud eſt, nullam in *Vaillantio* reperiri monetam ab Adramytenis ſeu cum Hadriani effigie, ſeu cum Bacchi ſigno percuſſam, velut viderentur ſibi ſatis obſequia ſua imperatori per Antinoi venerationem conteſtati.

ÆLIUS CÆSAR.

I. Caput nudum Ælii. Λ. ΑΙΛΙΟC - - - *L. Ælius.*)(Concordia ſedens - - - - ΟΤC. ΤΠΑΤ. Β. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Tr. Pot. Cos. II. Concordia.* Similem poſſidet *eques Sutton.* *Tab. XXXIV. N. 2.*

D. Devonsh.

II. Caput idem - - - ΙΛΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. *L. Ælius Cæſar.*)(Ceres ſtans. ΔΗΜ. - - ΟΥC. ΥΠΑΤ. Β. *Tr. Pot. Cos. II.* Ambo, quantum opus eſt, ſervati. *Tab. XXXIV. N. 3.*

In Hadrian. Ælius Cæſar ab Hadriano renunciatus anno V. C. 888, ſecundo ſuo in conſulatu calendis Januarii mortuus eſt, ut ſcribit Spartianus. Ægyptii duos hoſce numos ejus honori conſecrarunt; altero cum Genio Concordiæ, animorum conſociationem inter adoptantem Hadrianum, atque adoptatum indicabant: altero, qui Cererem cum ſpicis conſignatam habet, ut felicitatem Ægypti omnem ex frugum proventu eſſe conteſtantur, ita ſe Ælio ſimul cum ſua Cerere dedicant.

ANTONINUS PIUS.

D. Devonsh. I. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. Caput ejus laureatum.)(COS. IV. Diana venatrix gradiens ſagittam jaculaturæ geſtu, comitante cane venatico. *Tab. XXXIV. N. 4.*

Numum pulcriorem ſeu inſignem conſervationem ſpectes, ſeu peritiſſimi ſcalptoris ſummam excellentiam me videre non memini; Adcedit ad elegantiam vernix nigra, qua tam æquali lamella, ejusque ſplendoris conveſtitur, ut opus anaglyphum ex lapide Lydio præ moneta haberes. Numus hic lucem hactenus non vidit, atque ne omni obſervatione eundem deſtituam, ſufficiat indicaſſe, ex Diana venatrice addictum huic exercitationi Antonini Pii animum cogno-

Digitized by Google

cognoſci, qui, ut Julius Capitolinus de eo agens ſcribit: *Piſcando ſe, & venando multum oblectavit.*

II. --- ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. Caput ejusdem laureatum.)(Baſis, aut ſubſtructio alia. (172) ΑΜΑϹΙΑϹ. ΤΗϹ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟϹ. Ε. ΡΝΕ. *Amaſiæ Metropolis. An. CLV.* Ex officina bona prodiit. *Tab. XXXIV. N. 5.* *D. Devonsh.*

Amaſia Ponti oppidum, & Strabonis patria Iri fluvio adſidebat. Æræ initium *Vaillantius* ducit ab an. V. C. 743, cui ſi epocham numi 155 adjeceris, conficietur, eum V. C. anno 897 ſeu VI imperii Antonini percuſſum fuiſſe.

III. Caput idem laureatum. ΑΥ. ΚΑΙϹΑΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ.)(Mulier ſedens gremio infantem complexa, tribus aliis circum adſtantibus ---- ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ *Trallianorum.* Ut in officina non de mediocribus flatus eſt, ita a ſitu, & ætate aliquid eſt perpeſſus. Grana 360 adpendit. *Tab. XXXIV. N. 6.*

De Trallibus egi ſuperius; Figuræ averſæ partis Corybantes ſunt, quos in quodam Caracallæ numo Laodiceæ percuſſo indicat *Vaillantius*; In Trallianorum ære, ut in præ- *Pag. 192.* *Pag. 103.*

 ſente

(172) Baſin eſſe, docet numus maximæ formæ Alexandri imperatoris ex muſeo Piſano Tab. XLIX. ubi ſimillimæ moli aquila & Phœbus in quadrigis inſiſtunt, adſtituta item arbuſcula gemina.

Digitized by Google

ſente numiſmate, quod ad formam maximam adcedit, hactenus viſi non erant. (173)

IV. Caput ſimile. ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ϹΕΒ. ΕΥ. *Imp. Caſ. Titus Ælius Hadrianus Antoninus Aug. Pius.*)(ϹΕΘΡΟΕΙΤΗϹ. *Setbroites.* Figura militaris d. haſtam ſ. accipitrem. *Tab. XXXIV. N. 7.*

D. Devonsh. pag. 215. Similis fere Ægyptius numus in Ægypto numiſmatica deſcriptus eſt a *Vaillantio*, quia tamen noſter cum in aliis, tum in eo diverſus eſt; quod figuræ armatæ accipitris caput, Oſiridis juxta Plutarchum ſymbolum, eſt inpoſitum, recudendum duxi: conſule Vaillantium loco indicato.

V. Caput Antonini nudum. ΑΥΤ. Κ. ΑΙ. ΛΟΥΚ. ΑΝΤΩΝΕ - - - - - *Imp. Caſ. Ælius, Lucius Antoninus.* (174))(Figura alte ſubcincta ſtans d. anchoram ſ. bipennem tenet. ΑΝΚΥΡΑ. Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΤΗϹ. ΓΑ-

(173) Arbitror, nec hic quidem videri; duas enim anteriores cum ex veſtitu & pectore, tum ex volitante velo, quod nunquam in virorum manibus me conſpicere memini, feminas & nymphas quidem puero adſiſtentes exiſtimo: argumentum hoc, quod ex muliere ſedente confirmatur, ad quartam etiam figuram ſe porrigit. Nulla præterea hic adſunt tympana, ut apud Vaillant quæ ſane pro Corybantibus facerent.

(174) K minime ſeparandum erat a diphthongo AI. legendum fuiſſet potius ΚΑΙσαρ pro *Caſ. Ælius*, ne pronomen præter morem nomen conſequatur.

Digitized by Google

ΓΑΛΑΤΙΑC. *Ancyra Metropolis Galatiæ.* Artificium bonum. Eſt equitis *Roberti Sutton. Tab. XXXIV. N. 8.*

Sunt qui Ancyræ conditorem Midam volunt; Libanius eam *primariam, & maximam Galatarum* urbem dicit. Nomen ab anchora traxit, atque ideo ſignum averſæ partis idem inſtrumentum tenet; Magis ſingulare aliquid in hoc numo eſt prænomen *Lucius* inſcriptioni anticæ adjectum, quod a nemine hactenus in numis Antonini Pii eſt adnotatum. *Orat. XXVI.*

ANTONINUS, & M. AURELIUS.

ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CEB. ΕΥCΕΒ. *Hadrianus Antoninus Aug. Pius.* Caput Antonini laureatum.)(ΑΥΡΗΛΙΟC. ΚΑΙC. CEB. ΕΥCΕ. ΥΙΟC. ΥΠ. Α. ΑΠΟ. Η. Epigraphe inferius explicanda differtur. Caput M. Aurelii nudum. *Tab. XXXIV. N. 9.* *D. Devonsh.*

Plana in præſente numo ſunt omnia præter lectionem epigraphes poſticæ ad M. Aurelii caput; quia tamen Latina nota S. C. extra omne dubium conſtituit, monetam Antiochiæ Syriæ adtribuendam propterea, quod in hujus, jam coloniæ, numis eædem ſiglæ cum Græca inſcriptione comparent, aliis omnibus legendi modis hunc, quem ſubjiciam, præfero, nempe: ΑΥΡΗΛΙΟC. ΚΑΙCαρ CEBαςȣ ΕΥCΕβȣς ΥΙΟC. ΥΠατος Αντιοχεων ΑΠΟλλωνιȣ. Ηγεμονος. *Aurelius Caſ. Aug. Pii Filius Cos. Antiochenſium Apollonio Præſide.*

FAUSTINA MAJOR.

D. Devonſh. Caput Fauſtinæ. ΘΕΑ. ΦΑΥϹ-ΕΙΝΑ. *Diva Fauſtina.*)(Diana venatrix ſtans, ad cujus pedes cervi icuncula. ΕΠΙ. ΑΝΤΩ. ΝΙϹΩΝΟϹ. ΠΡ. ϹΕΒ. ΑΝΤΙ. Β. ΚΙ *ſic* ΠΟΝΤΟΥ. *Sub Antonio Niſone Legato Aug. Propr. Bithyniæ, & Ponti.* Utramque elegantiæ laudem meretur. *Tab.* XXXIV. *N.* 10.

Julius Capitolinus in Antonino Pio ſcribit: *Tertio anno imperii ſui Fauſtinam uxorem perdidit, quæ a ſenatu conſecrata eſt* &c. Ut Antonini gratiam ſibi conciliarent, Ponti & Bithyniæ populi hunc in Fauſtinæ jam mortuæ honorem numum feriri fecerunt, non parum auguſtæ ipſi adulati per Dianæ typum in poſtica parte ſignatum, etſi male illi congruat, cum hæc caſtimoniæ ſit exemplum, de Fauſtina vero multum diverſa a ſcriptoribus referantur.

TABULA XXXV.

M. AURELIUS.

D. Devonſh. I. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Aurelius Cæſar.* Caput ejus nudum.)(ΦΩΚΑΙΕΩ - - ΕΠΙ. ϹΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΕΡΜΑΓΟΡΟΥ. Β. *Phocæenſium ſub Prætore Hermagora iterum.* Dioſcuri gradientes. Numus hic majoris formæ, & ſcalptus bene, & ſervatus pondus granorum 557 æquat. *Tab.* XXXV. *N.* 1.

Phocæa Joniæ poſtrema, vel potius in Æolide ab

Hermo

Digitized by Google

Hermo prope aberat, urbs maritima, atque ſecundum Livium non ſolum tutiſſimis duobus portubus aperta, ſed multis præterea una ex parte templis ornata florebat. Pauſanias ejus originem ex Phocide ad Parnaſſum ſita narrans, coloniam inde in Aſiam ducibus Philogene & Damone Athenienſibus conmigraſſe ſcribit, agro non armis, ſed Cumæorum permiſſu potitam; alibi vero refert, antiquiſſimum ea in urbe fuiſſe Palladis templum, idque ab Harpago Medo in cineres redactum fuiſſe, quod ipſum confirmat Herodotus, additque primos inter Græcos fuiſſe Phocæenſes, qui longinquas navigationes ſuſceperunt. *L. XXXVII.* *L. VII. c. 3.* *L. II. c. 31.* *L. I.*

Monueram alias, in maritimis urbibus uſu receptum, ut Caſtor & Pollux præcipua religione colerentur, idem hic cultus in aliis Phocææ monetis ſub Veſpaſiano, Sabina, Maximino, & Philippo juniore cuſis elucet. Majus hoc numiſma M. *Aurelii* juvenis honoribus, antequam in conlegam imperii adſumeretur, a Phocæenſibus, vivo adhuc Antonino Pio ſignatum fuit.

II. Caput ſimile. M. ΑΥΡΗΛΙ. ΟΥΗΡΟΣ. ΚΑΙ. *M. Aurelius Verus Cæſar.*)(Bacchus ſtans. ΒΡΙΟΥΛΙΤΩΝ. *Briulitarum.* Viridi æris belle incruſtatus. *Tab. XXXV. N. 2.* *D. Devonsh.*

Hujus Lydiæ urbis nullos hucusque productos fuiſſe numos, ſuperius, dum urbes liberas tractabam, non indicavi ſolum, ſed de ipſo oppido adnotavi aliqua. Videmus hic Briulitas obſequium ſuum M. Aurelio cæſari conteſtari, atque præter Apollinem etiam Bacchum, fortaſſis ob lætiorem ſua in regione vini proventum, fuiſſe veneratos. *Pag. 122.*

III.

Digitized by Google

D. Devonſh. III. Caput idem. ΑΥΡΗΛΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Aurelius Cæſar.*)(Fluvius decumbens. ΤΙΑΝΩΝ. ΒΙΛΛΑΙΟC. *Tianorum Billæus.* Sine temporis & ſcalptoris vitio. *Tab. XXXV. N. 3.*

Tios Paphlagoniæ verſus Bithyniam, & amœniſſimos campos juxta Strabonem & Stephanum ſita urbs, Philetæri Pergameni regni conditoris patria, Billæum fluvium in propinquo habuit. Noſtro numo majorem lucem adfundet Morellius, quem conſule *Tab. XVII & pag. 175* de ejuſdem urbis moneta cum Antonini Pii capite differentem. (175) *Edit. 2dæ.*

D. Devonſh. IV. Caput ejusdem barbatum, & laureatum. ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imp. Cæſ. M. Aurel. Antoninus.*)(Cybele ſedens. ΕΠΙ. Λ. ΚΛΩ. ΔΗΜΟCΘΕΝΟΥC. ΑΡΧ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ. *Sub Lucio Clodio Demoſthene Archonte Ancyranorum.* Omni elegantia præſtat. *Tab. XXXV. N. 4.*

Ancyra Phrygiæ ad Hermi fontes verſus Sipylum montem jacebat. De ea hæc Plinius: *Oppida ibi* (in Phrygia) *celeberrima: Ancyra, Andria, Celænæ &c.* Cybeles cultum alter item Otaciliæ numus apud *Vaillantium* confirmat. *L.V.c.ult.*

V.

(175) Stephanum potius, quam Strabonem cum aliis, qui Bithyniæ oppidum adtribuunt, ſecutus eſt Haymius; nec ſatis nitide ſcribit de floridis illis campis, per hos ſiquidem Parthenium fluere conmemorat Strabo, Arrianus vero a Tio ad Billæum XX, ab hoc fluvio ad Parthenium C ſtadia numerat.

Digitized by Google

V. - - - KAI. CEB. ΕΥCΕΒ. - - - *Cæſ. Aug. Pii* filius. Caput ſimile.)(KAICAPEIAC. ΛΙΒΑΝΟΥ. ΥΝS. *Cæſarea Libani* An. 456. cælaturæ bonæ, conſervationis inferioris. *Tab. XXXV. N. 5.* *D. Devonsh.*

Alteram hic Cæſareæ ad Libanum, quæ olim Arca dicebatur, monetam repræſento, vide de hoc tomum noſtrum I. pag. 255, ubi ſimilem ſub M. Aurelio cum anno 458 produxi. Quod me in admirationem non parvam conjicit, eſt, in illa caput juvenile ſine barba, in hac vero, quæ duobus annis ante ſignata fuit, barbatum exhiberi. Relege loco indicato, quæ occaſione alterius hac de urbe ſcripſeram.

VI. Caput Aurelii nudum. ΑΥΤ. KAICAP. M. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC.)(Fluvius decumbens. ΠΡΟΥCΙΕΩΝ. ΥΠΙΟC. *Pruſienſium Hypius.* Boni artificis opus, cui a ſitu nihil deceſſit pretii. *Tab. XXXV. N. 6.* *D. Devonsh.*

Pruſa Bithyniæ oppidum, ut numus declarat, Hypio flumini adſidebat. Alios duos numos ſub M. Aurelio eadem cum epigraphe ΠΡΟΥCΙΕΩΝ. ΠΡΟC. ΥΠΙΩ retulit *Vaillantius*, verum nec in his nec in alia aliqua hujus civitatis moneta, quemadmodum in noſtra, fluvii ſignum erat viſum, id quod non ſolum geographos incertitudine, qua fluctuabant, liberat, quorum ſcilicet alii urbem ad Hypium montem, alii ad fluvium Hypium ſitam contendebant; ſed numi noſtri pretium mirifice auget. (176) *Pag. 56.*

Oo FAU-

(176) Utraque tamen opinio etiamnum obtinere poteſt, cum Pli-

FAUSTINA MINOR.

D. Devonsh. ΦΑΥΣΤΕΙΑΝ (177) ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Fauſtinam Auguſtam.*)(Vir nudus cum arcu & patera ſtans. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Philippopolitarum.* Sine omni vitio. *Tab. XXXV. N. 7.*

Philippopolis Thraciæ ad Hebrum fluvium trans Hæmum & Pangæum montes, ab Philippo Alexandri patre, ut arbitror, fundata fuit: Signo illo nudo Apollo mea opinione, exhibetur, quod idem numen a Philippopolitis in numo Caracallæ apud *Vaillantium* ſignatum eſt.

ANNIUS VERUS.

D. Devonsh. ΒΗΡΟΣ. *Verus.* Caput juvenile nudum.)(ΙΩΝΩΝ. *Ioniorum.* Caput muliebre. Superiori nulla parte concedit. *Tab. XXXV. N. 8.*

Non parum inſolens, & ſingularis hic numus: primo intuitu caput Lucii Veri percuſſum exiſtimabam, qui ſub Ha-

---

Plinium, qui L. V: *Pruſa item altera ſub Hypio monte*, & Ptolemæum, qui: Προῦσα πρὸς τῷ Ὑπίῳ ποταμῷ. *Pruſa ad Hypium fluvium*, conciliet ſcholiaſtes Apollonii ad L. II. Argon. ubi: Ὁ Ὕπιος ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ καταφέρεσθαι ἀπὸ τῶν Ὑπίων ὀρῶν. *Hypius ſeu ſublimis dicitur, quod a ſublimibus deferatur montibus.*

(177) Quia Haymius & in ſcalpta imagine, & in commentario ita ſcripſit, quin ſolitum illud: *Sic* adjecerit hæſitans, an monetario, an autori hic lapſus tribuendus ſit, intactam epigraphen reliqui.

Hadriani mortem decimum aut duodecimum agebat annum; ubi tamen ſubivit cogitatio, eum jam in imperio ſubceſſorem deſtinatum fuiſſe, atque adeo ſaltem cæſaris titulum exprimi debuiſſe, judicabam caput potius Annio Vero filio M. Aurelii tribuendum, qui in pueritia ſexennis eſt extinctus. Quia ergo per ætatem nullus ei ad honores patebat aditus, arbitror Jones M. Aurelio gratulatos filii caput nomine ſine aliis titulis adjecto ſua in moneta ſcalpi voluiſſe. (178)

LUCIUS VERUS.

I. Caput Lucii Veri nudum. ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Verus Cæſar*. Capita duo adverſa media arbore, infra quæ apis & ſtella. ϹΥΡΙΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ. *Syriorum Cabirorum*. Integrum, ſed ſcalptoris mediocris opus, a mineralibus halitibus nigrum. *Tab. XXXV. N. 9.* *D. Devonsh.*

Duos cum præſente connexos numos dederam tomo I. pag. 258, & 260, ubi, quæ huc etiam faciunt, videſis: Multum tamen præſens illos præſtantia ſuperat, quod imperante Antonino cuſum eſſe oportet ob caput L. Veri juvenis adhuc, & prima lanugine adſperſi, cum ſolo cæſaris titulo. Atque hinc conſequitur, partis averſæ capita hujus monetæ Annio Vero, & Commodo, ut in alio tomi I

 numo

(178) Si propter caput Haymio inſolens erat numus, me magis advertit epigraphe partis averſæ, cum in nullo hactenus numo ΙΩΝΩΝ ſine magiſtratu, aut ΚΟΙΝΟΝ adjecto, atque quod mirum magis per Ο ſcriptum legerim.

Digitized by Google

numo ſtatuimus, nequaquam adtribui poſſe, & invitus etiam conpellor, ut duos Antonini Pii filios, quorum alterius ſolum nomen nempe M. Annii Galerii ex Græco Fauſtinæ ſenioris numiſmate detectum novimus, agnoſcam.

Syriæ populi cum hoc, tum aliis obſequium ſuum Antonino Pio conteſtari voluerint, omnem ejus familiam ſuo in ære repræſentando, etenim in numiſmate majoris formæ, atque ideo magis honorifico in antica effigiem Antonini imperatoris, in poſtica primum Cæſarem M. Aurelium, & Fauſtinam juniorem ejus uxorem utpote ſubceſſioni proximos feriri fecerunt. In præſente moduli minoris, & quod conſequitur, pretii inferioris adverſa parte alterum cæſarem L. Verum, qui Hadriani voluntate M. Aurelii aliquando in imperio conlega eſſet, in averſa vero numi facie duos Antonini Pii filios admodum pueros ſine titulis conſignarunt, qui in caſu mortis duorum cæſarum his ſubſtituti fuerant.

Tom. I. p. 260.

Neque hoc in numo apicula & aſtrum juvenilibus capitibus ſubjecta ſine indicii ratione aliqua eſſe arbitror; adparet enim per insectum, quod eruditiſſimo Spanhemio ſapientiæ & dignitatis eſt ſymbolum, voluiſſe monetarios M. Aurelium philoſophum; per ſtellam vero Fauſtinæ uxoris ſplendorem & pulcritudinem deſignare. (179) Hi proinde duo

De uſu & præſt. Num. diſs. III. p. 128. *Edit.* 2*dæ.*

(179) Ut non parum mihi diſplicet hieroglyphica hæc interpretatio, ita merito Haymii diligentiam deſidero, qui de planta in numo ſcalpta ne minimam dedit notitiam; utinam, quo ſtudio in murem jaculum, & ſilphium ferebatur, idem huic inpendiſſet etiam! profecto per Anglicorum negotiorum in Syria curatores præ quovis altero melius de hoc edoceri, atque botanicam numariam locu-

Digitized by Google

duo numi percuſſi fuere ante tertium illum *Tom. I. p. 258*, in quo typos horum imitati monetarii, poſt mortem Antonini ſcalptis in averſa parte, ut alibi adnotaveram, capitibus Annii Veri & Commodi M. Aurelii filiorum hunc & L. Verum venerati ſunt.

Obſervationem quoque præſente in numiſmate meretur literarum in averſæ epigraphe diſpoſitio inſolens, qua factum, ut ultima ſyllaba utrique vocabulo ſit communis hoc modo: ΚΥΡΙ/ΚΑΒΙΡ ΩΝ; nempe ΚΥΡΙΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ, per quam confirmatur lectio numi primi tomo noſtro I propoſita. Non poſſum omittere, aliquam harum monetarum ab eruditiſſimo *Vaillantio* inter ſuos Græcos recenſitam fuiſſe, verum cum ſitu & ætate adeo male adfecta eſſet, ut ex vocabulo ΚΑΒΙΡΩΝ non niſi duæ primæ viderentur literæ, laudatum antiquarium K. A. legiſſe *Commodus*, *Annius* &c.

 TA-

locupletare potuiſſet. Edidit numum ſimilem Arigonius Tab. XIII. N. 148, in quo tamen planta fere in ſpicam deſinit. Quod me adtinet, qui plus Haymii cælaturæ tribuo, etſi botanicam non profitear, ſpartum Plinii, ſeu geniſtam ſuſpicari cœpi, præſertim, ſi inſectum illud apis eſt; de geniſta enim laudatus autor L. XXIV. c. 40. *Geniſta quoque vinculi uſum præſtat; Flores apibus gratiſſimi.* Dixi, ſi adeſt apicula, nam alæ potius animalculum ex coleopteris indicant, quod forſan infectioni pannorum, ut adſtitutum ſtellatum ſemen, aut conchylium, ſerviebat: atque poſtremum quidem, cum quod hoc in numo Syri ea, quæ apud ſe proveniebant, ſignaverint, tum quod ſi formam Fauſtinæ commendare voluiſſent, caput ejus probabilius cælaſſent etiam, atque aſtrum fronti inpoſuiſſent potius, ne vagus planeta nimium per incerta capita erraret.

Digitized by Google

TABULA XXXVI.

D. Devonsh. II. Caput nudum L. Veri. AT. K. AIΛ. ATPH. OTHPOC. *Imp. Caſ. Æl. Aur. Verus.*)(Fluvius decumbens. ΕΠΙ. CTP. ΦΕΡΕΚΤΔΟΤ. ΑΙΓΑΕΩΝ. ΤΙΤΗΛΙΟC. *Sub Prætore Pherecyde, Ægaenſium, Titelius.* Forma ex boni cælatoris manu prodiit. *Tab. XXXVI. N. 1.*

Numum Ægis in Æolide procuſum eſſe potuiſſe ſuſpicor, atque conjectura per fluvii nomen confirmari deberet, aſt infortunio nec geographis, nec antiquariis hujus nominis aliquis eſt cognitus. (180)

III.

(180) Correxit in præfatione hujus tomi errorem ſuum Haymius, quo monente etiam in lineari pictura hujus editionis emendatum ad ejus mentem nomen TITNAIOC reſtituendum exiſtimavi. Aſt neque hinc fax præfertur, partim quia Harduinus, & Vaillantius in numo Decii cum eadem epigraphe: ΑΙΓΑΕΩΝ & fluvio decumbente legerunt: ΠΙΤΝΑΙΟC: partim quia æqualis utriusque fluvii ignoratio; Vaillantius quidem arbitratur fluvii nomen in Strabone L. XIII p. 621 corruptum, atque pro Πηνειος reſtituendum eſſe: Πιτναιος, cum ibi Πήνειος cum Hermo, & Cayſtro legatur. Sed vir eruditus graviſſime hallucinatur; certum eſt enim eo in loco non de Æolidis fluvio mentionem fieri. Ita habet Strabo: Ιδιον δέτι τοῖς Λαρισσαίοις συνέβη τοῖς τε Καϋςριανοῖς, καὶ τοῖς Φρικωνεῦσι, καὶ τρίτοις τοῖς ἐν Θετταλίᾳ· ἅπαντες γὰρ ποταμόχωστον τὴν χώραν ἔχον.. οἱ μὲν ὑπὸ τῦ Καΰςρυ, οἱ δ᾽ὑπὸ τῦ Ερμυ, οἱ δ᾽ὑπὸ τῦ Πηνειῦ. *Peculiare aliquid omnibus Lariſſæis obtigit, Cayſtrianis inquam, Phriconenſibus,* &

III. ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC. *Imp. Cæſ. L. Aur. Verus.* Caput idem laureatum.)(ΔΟΚΙΜΕΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Docimenſium Macedonum.* Cybele leone vecta. Integerrimus & cælaturæ laudabilis. *Tab. XXXVI. N. 2.* *D. Devonsh.*

Phrygiæ majoris oppidum eſt Docimea, Synnadæ vicina, atque ad Galatiæ limites ſita ſecundum Strabonem; *L. XII.* Numi hujus civitatis ſunt de rariſſimis, neque *Vaillantius* præterquam duos recenſet, alterum ſub Nerone, ſub M. Aurelio alterum, qui item *Macedonum* nomen præfert, atque uterque Cybelen, ut noſter, repræſentat, certo indicio, cives eas-

---

& Theſſalicis, agrum ſcilicet illorum ingeſta a fluviis terra ſolere integi, id quod illis Cayſtrus, his Hermus, poſtremis Peneus facit. Quis hic non videt, aquas τὰ Πηνειῦ ad τὰς ἐν Θετταλίᾳ ad Theſſalos Lariſſæos pertinere? Quod me adtinet, malo Π:ΤΝΑΙΟC legi, cum quod laudati duo antiquarii in Decii numo muſei regis Galliarum conſentiunt, tum quod Haymius ipſe fatetur, ſe imaginem (idem de epigraphe cenſeó) ex duobus minus, ut videtur, conſervatis conlegiſſe. Ceterum Æolidi eripiendum non exiſtimo numum, partim quia in Ægis Ciliciæ epocha ut adeſſe ſolet, ita nomen magiſtratus abeſt, partim quia urbes Æolidi vicinæ fluviorum decumbentium nomina in recto ferierunt, ut vel ex hoc ſolo Haymii tomo liquet; ita Blaynda Hippurium, Sardes, Tabalea, alibi Smyrna Hermum, Hierapolis Phrygiæ Chryſorrhoam; ubi contra urbs ejuſdem nominis Ciliciæ fluvium ſuum Ægis item vicinum non ſolum per præpoſitionem: ΠΡΟC. ΠΥΡΑΜΩ, ut Seleucia Ciliciæ ΠΡΟC. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ, enunciat, ſed natantem præterea exhibet, ut vicinæ urbes Syriæ, & Meſopotamiæ.

Digitized by Google

eaſdem cum Peſſinuntiis religiones habuiſſe, utpote qui ſolo Dindymo monte, a quo Magna Mater Dindymene juxta Heſychium, Stephanum, & plures alios, a Phrygia abſcinduntur.

IV. Caput idem. ΑΥΤ.ΚΑΙCΑΡ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC. *Imp. Cæſar L. Aur. Verus.*)(Templum tetraſtylon, in quo Jovis ſedentis ſignum. ΠΟ. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. Κ. CΥ. Ι. Α. Α. Γ. ΕΚC. quam epigraphen inferius explicabo. Eſt *D. Richardi Edgecumbe*, nec detritus nec inelegans, ſimilem poſſidet *Maſſonius* noſter. *Tab. XXXVI. N. 3.*

Gadara, urbs Decapoleos in Cœleſyria trans Jordanem jacebat. Epigraphen partis averſæ ita lego: ΠΟμπη. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. Κοιλης, CΥριας, Ιερας, Ασυλȣ, Αυτονομȣ, Γνωμη. Pompejanorum (181) Gadarenſium Cœle Syriæ Sacræ Inviolabilis, Suis legibus utentis, Decreto. (182) ΕΚC.

(181) Secutus eſt noſter Cl. Noriſium, qui conpendium ΠΟ, Πομπηιανων legerat, aſt *Pompeitarum* legendum eſſe docet numus Caracallæ muſei Granelliani Conlegii noſtri academici Vindobonenſis a Cl. Frœlichio IV. Tent. pag. 256 editus, in quo conpletum agnomen ΠΟΜΠΗΙΤΩΝ ſignatum eſt.

(182) Poſtremis conmentariis *de l' Acad. des Inſcr. & bel. lett. T. XXVIII. p.557.* Cl. Belley, facta etiam p. 563 Haymii mentione, genuinum vocabuli per Γ incipientis conplementum feliciter detexit, legendum ſcilicet eſſe: Γνωριμος *Inluſtris.* Elementum Γ ad titulos urbis pertinere luculenter declarat, & conprobat duobus ex numis Abilæ, quæ Gadaræ vicina in numo

Digitized by Google

EKC. Anno CCXXV. id quod in annum 914 V. C. incidit, cujus anni initio mortuus fuit Antoninus Pius. Nullus Gadaræ numus cum omnibus his titulis eſt productus, pro quorum explicatione, ne longior ſim, lectorem ad eruditiſſimi Cardinalis Noriſii commentarium, quo hanc urbem, ejusque epocham perſequitur, invito. *Vaillant. p. 264.* *Epoch. Syro Mac. Diſſ. III. c. 9, p. 297.*

LUCILLA.

I. ΛΟΥΚΙΛΛΑ. CEBACTH. *Lucilla Auguſta.* Caput ejusdem.)(ΙΕΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hieropolitarum.* Caput Cereris, præ quo fax. *Tab. XXXVI. N. 4.* *D. Devonsh.*

II. Caput & epigraphe eadem. Fortuna ſtans. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΑΡΙΖΗΛΟΥ. *Smyrnenſium ſub Arizelo.* *Tab. XXXVI. N. 5.* Utrique & artificis peritia & ætas favit. *D. Devonsh.*

---

mo ejusdem L. Veri ſuis titulis I. A. A, etiam Γ ex nota Græcarum civitatum æmulatione adjecit; liquido autem ex numo Commodi conficit, vocabulum per Γ incipiens ad titulos honoris pertinere, cum in hoc I. A. A. Γ. quintus & vulgaris B. NE. *Iterum Æedituorum* conſequatur. Uſum porro hujus adpoſiti, quod ſynonymum eum: Επιφανὴς, Ενδοξος, Λαμπρος eſſe oſtendit, ex Strabone docet, qui *L. V. p.* 236 Appiam & Latinam vias Γνωριμωτάτας τῶν ὁδῶν. ſcribit. *L. IX p.* 437 idem de inluſtratis a Philippo Theſſaliæ vicinis inſulis loquens jam hac phraſi: ἐποίησε ἐνδόξυς, jam altera: γνωρίμυς ἐποιεῖ utitur. Confirmat denique hoc ex Euſebio *de loc. Hebr.* ubi: πόλις ἐπίσημος Αβελά. *Urbs inluſtris Abela.*

Numi Lucillæ Græce loquentes rariſſimis ſunt adnumerandi, prior præterea a nemine in hanc diem fuit editus; Ad aliquam Hierapolin, de quibus ſupra *pag.* 131 & *ſeqq.* egeram, referri debere, extra dubium eſt; verum an ad Phrygiam, an Syriacam, aut aliam ejus nominis, definire non poſſum: ſi quidem pro lege antiquaria late adſumatur, indicium Syriacæ eſſe literam O pro A, fateor pro Hieropoli Syriæ pronunciandum eſſe, cujus regionis officinas etiam tam cælaturæ elegantia, quam metallum redolet; Verum quia lex hæc exceptiones ſuas patitur, controverſiæ deciſionem iis, qui plus me his in rebus vident, lubenter permitto.

Numorum alter Smyrnæ procuſus eſt, atque nomen magiſtratus, quod præfert, aliquam cum illo ſimilitudinem prima fronte objicit, quem Vaillantius ita deſcripſit: CTP. TI. ZHΛOΥ; Verum præter diverſum poſticæ partis ſignum, nunquam ex literis numi noſtri Vaillantii prætor erui, vel conponi poterit. Fortunæ typo Smyrnæi frequenter uſi ſunt.

COMMODUS.

D. Devonsh. I. Caput ejus laureatum florente ætate. AΥΤO. K. ΛOΥ. AΥPH. KOMM. *Imp. C. Luc. Aur. Commodus.*)(Duæ figuræ ſtantes dextras jungunt. ΓAZ. EI - - MC. *Gazenſium Io. An. 240.* Mediocre cælum cruſta ex viridi æris conpenſat. *Tab. XXXVI. N. 6.*

Nemo melius de Gaza Palæſtinæ oppido, ejusque æra, quæ ab anno V. C. 693 decurrit, ſcripſit, quam omni

Digitized by Google

omni eruditione Clariſſimus Cardinalis Noriſius in libro de epochis Syro Macedonum, indicato in loco eruditiſſimi purpurati patris ita plene adquieſcet lector, ut ad numi præſentis cum hac epocha nondum editi nihil ſit deſideraturus; Convenit annus in moneta percuſſus cum anno primo imperii Commodi, atque adeo juvenilis oris decor in antica effictus conſentit quam optime. Videſis etiam *Vaillantium* in Græcis. *pag.* 476. *pag.* 268 & 269.

II. Caput idem barba modica adſperſum. K M. AVPHΛ. KOMOΔ. ANTΩN. *Cæſ. M. Aurel. Comod. Anton.*)(Æſculapius ſtans. ΠΡΟΥϹΑΕΩΝ. Admodum integer, officinæ bonæ. *Tab. XXXVI. N.* 7. *D. Devonsh.*

De Pruſa urbe ad Olympum aliqua conmemoravi ſuperius pag. 249 oblata a III Veſpaſiani numo occaſione: manifeſtavi indicia, quibus hæc Pruſa ab aliis diſtinguatur, quibus diſpar orthographia adcedit, etenim numi inſcripta ΠΡΟΥϹΑΕΩΝ noſtræ huic, qui vero gentile ΠΡΟΥϹΙΕΩΝ habent, alteri ad Hypium tribuuntur, quid quod in Italico ſermone etiam diſcrimen ſit ſervandum, quo hanc *Pruſa*, illam *Pruſia* nominamus. Æſculapii religioni devotos fuiſſe cives, etiam aliæ cum Commodi, & Juliæ Domnæ capitibus ſignatæ monetæ conprobant.

III. Caput idem laureatum. IMP. COMMODVS. AVG. PIVS. FELIX.)(Quinque naves remis & velis inpulſæ, pone turris aut pharus in crepidine alicujus promontorii, ex quo præceps agitur taurus; turri adſiſtunt viri duo: VOTIS. FELICIBVS. Omni ex parte elegantiſſimus, pondere granorum 1104. *Tab. XXXVI. N.* 8. *D. Devonsh.*

Numiſma hoc pulcerrimum claſſem Africanam pro
annonæ ſubſidiis a Commodo erectam, atque Commodia-
nam Herculeam ab eodem dictam exhibet, teſte Lampri-
dio: *Claſſem Africanam inſtituit, quæ ſubſidio eſſet, ſi forte
Alexandrina frumenta ceſſaſſent.* Atque hinc eſt, quod ſa-
crificium Neptuno pro felici navigatione ſactum per tau-
rum ex rupe in mare præcipitem datum repræſentetur.
Facit huc Virgilius, dum canit:

Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcer Apollo!

Confirmatur id ipſum a Viro doctrina conſpicuo Lilio
de Deis Gyraldo, qui narrat, ab Oncheſtiis Bæotiæ incolis Neptu-
gent. p. num Ταυρεῖον & Ταύρεον ob cæſos in ſacrificio tauros cogno-
218. minatum, quin Ταυρόκρανον ſeu tauricipitem dictum. Ho-
merus in Odyſſea non niſi nigros tauros παμμελάνεις in
victimas ſelectos vult.

Oculis ipſis præterea numus noſter modum, quo ſa-
crificium perpetrabatur objicit, præcipitio ſcilicet devoti
animalis in mare; quod etiam ex Appiano Alexandrino
colligitur, qui narrat, Mithradatem, ut Neptunum ſibi pro-
pitium haberet, equorum quadrigas ponto demerſiſſe; bar-
bari enim huic deo equos, Romani vero tauros ſacrifica-
Ann. L. runt, teſte Tacito, qui dum ſacra a Vitellio & Teridate
VI. cap. ante conſcenſam in Euphrate claſſem deſcribit, ita habet:
37. *Sacrificantibus, cum hic more Romano ſuove taurilia daret,
ille equum placando amni adornaſſet.*

Intuemur igitur in numiſmate hoc maximo optime
depictam Africanam a Commodo conſtitutam claſſem bo-
nis auſpiciis ex portu ſolventem, quæ ſacris rite Neptuno
factis ſacerdotes ad pharum reſiſtentes impetraverunt, turris
ipſa

Digitized by Google

ipſa ſua lampade itineris ſecuritati ſervit; Adparet præterea libationem eo ipſo in loco fieri ſolitam, unde naves vela faciebant, neque victimam ſolum, ſed pateram etiam in mare abjectam fuiſſe, ſi tamen id inſtrumentum eſt, quod inter navem ſine velis, & tauri caput conſpicitur, vix enim, aliud quid ut exiſtimem, a me impetrabitur. Retulerat *Vaillantius* quidem ex gaza Magni Ducis Hetruriæ numum formæ maximæ VOTIS. FELICIBVS. inſcriptum, verum aut non bene conſervatum fuiſſe oportet, aut a noſtro diverſum, cum in deſcriptione ab eo facta nequaquam ea omnia inveniam, quæ in imagine noſtra ſunt depicta.

TABULA XXXVII.

IV. ΜΑΡ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟϹ. ΑΝ. *Marc. Aurel. Comodus Antoninus.* Caput idem laureatum.)(ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ in corona laurea, circa hanc in orbem ΤΗΣ. ϹΕΛΕΥΚΙΔΟϹ. ΙΕΡΑϹ. C. E. *Nicopolitarum Seleucidis, Sacræ, Auguſtæ, Liberæ.* Numus integer & artificis boni. Ex muſeo *equitis Abdy. Tab. XXXVII. N. 1.*

Duo ſunt, quæ rariſſimum hunc numum inluſtriorem reddunt: Primum quidem, inſolens inſcriptionis anticæ partis modus, in qua omnia Commodi nomina ſine ullo tamen ſunt titulo; alterum vero pars poſtica ſubpeditat, notitiam ſcilicet urbis Nicopolis, quam nec antiquarii ediderant hactenus, nec geographi ſciverant, Seleucidi adnumerandam. Nicopolis hæc trans Amani juga, & fluvium

Digitized by Google

Pinarum ſita erat, atque ſecundum Stephanum antiquum, quod habebat, Iſſi nomen ob victoriam ab Alexandro M. de Dario ibidem relatam mutaverat; Strabo contra, & Ptolemæus Iſſum aliam a Nicopoli volunt. Numus, quem tractamus, Nicopolin Sacræ, & Auguſtæ titulis gaviſam docet, erat præterea Libera, ſi tamen propoſita a me lectio, nempe: C. E. Cεβάςης Ελευϑέρας obtinet. Poſtremum, quod ex noſtra moneta eruimus, eſt, Seleucidem ſe usque ad Ciliciam porrexiſſe. Laurea ludos Olympicos ibi celebratos indicari opinor. Paullo inferius Tab. XXXVIII. N. 8. ſimile numiſma proferetur.

V. Caput idem laureatum. AΥΤ. K. M. AΥΡ. ANT. KOMMOΔOC. *Imp. C. M. Aur. Ant. Commodus.*)(Fortuna ſtans. MHTPOΠOΛ. ANKΥPANΩN. *Metropolis Ancyranorum.* Sine ætatis & ſcalptoris vitio. Eſt *equitis Sutton. Tab. XXXVII. N. 2.*

Ancyræ Galaticæ moneta eſt, qua de urbe ſuperius Tab. XXXIV. N. 8 egeram.

D. Devonsh. VI. Caput ſimile. M. A. KOM. ANTΩ. CEB. EΥCEB. *M. A. Com. Anto. Aug. Pius.*)(Pharus Ægyptiaca, præ qua navis velis expanſis. L. K. Θ. *Anno. XXIX. Tab. XXXVII. N. 3.*

Celeberrima pharus Ægypti, de qua tomo I, oblata *Pag.* 250. ex numo Hadriani occaſione plura dixeram, hic ſiſtitur, navis, quæ pone eſt, demonſtrat, turrem hanc luculentam ob enormem ſuam molem & altitudinem tam portum Alexandrinum ſubituris, quam inde ſoluturis iter præbuiſſe

ſecu-

Digitized by Google

ſecuriſſimum. Aſt multo majorem præ aliis omnibus hoc in numiſmate adtentionem exigit annus XXIX in ſegmento inferiore ſcalptus.

Satis notum eſt, ſolitos fuiſſe Ægyptios ſuis in monetis annos imperii ejus imperatoris adnotare, cujus effigiem in antica repræſentabant; verum id hic ſane fieri non potuit, neque enim cum imperio Commodi, qui 12 ſolum annos illud geſſit, unde trigeſimus annus congruit, quod ſi quis ſibi etiam perſuadeat, Ægyptios eos etiam annos adnumeraſſe, quibus cæſar ſolum erat, non minus adhæreſcet, utpote cum hac dignitate ornatum anno V. C. 919 hiſtorici perhibeant, atque hos inter Lampridius id conſulatui Pudentis & Pollionis adfigat, a quo temporis puncto ad ejus cædem V. C. anno 945 non plures 26 annis fluxere.

Dio teſtis oculatus diſertis verbis adfirmat, Commodum ſub mortem patris unde viginti annis non amplius numeraſſe, occiſum vero fuiſſe 31 annis & 4 menſibus exactis; unde conſequitur, eum quinquennem renunciatum cæſarem, natum vero anno V. C. 914. Admittendum igitur erit (etſi res ſit præter morem aliorum imperatorum) noſtro in numo ſignatos eſſe annos ætatis Commodi, eumque cuſum fuiſſe V. C. 943 duobus circiter ante ejus mortem annis. (183) *in Epitome.*

Pro-

(183) In majorem admirationem conjeciſſent Haymium numi Commodi cum L. ΛB. & ΛΓ atque præterea conjectura ſua inſo-

Pag. 214. Protulerat Patinus inter numos æris medii Ægyptios quinque Commodi, quorum poſtremi duo notis L. KE & L. KZ. ſeu annis 25 & 27 inſignes per ſuperius dicta ſane obſervationem merebantur, ut ſtupere debeam, a tanto antiquario non ſolum omnem, quæ huc faceret, notitiam neglectam, verum nec ipſas annorum notas bene explicatas, quippe L. KE vult annum XV. & L. KZ. XVII.

D. Devonsh. VII. Caput idem. ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λ. ΑΙΛ. ΑΥΡ. ΚΟΜΜΟΔΟϹ. *Imp. Caſ. L. Æl. Aur. Commodus.*)(Signum muliebre pantheum alatum ſtans d. rotam gerit, ad pedes gryphus. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Attalenſium.* Formæ majoris numiſma integrum pondere granorum 509. *Tab. XXXVII. N. 4.*

De

---

inſolente dimoviſſent. Nihil hi annorum characteres hodie angunt antiquarios, dum novimus in ære Ægyptiaco plures Impp. cum ſui imperii etiam parentis, aut adoptantis annos connumeraſſe: ita Antoninus Pius, qui 22 & quod excurrit annos imperavit, conparet cum L. ΚΔ. ita cum M. Aurelii capite, qui 19 auguſtus vixit, adſunt anni: Λ & ΛΒ 30 & 32. Atque ut rem de Commodo plena in luce conſtituam:

Cœpit Aurelius	- - - - -	an. 161. 7 Martii
Commodus necatus	- - - - -	192. 31 Dec.
ergo anni elapſi	- - - -	31 menſ. 10 fere.

Quare annus ΛΒ., qui cum ætate non congruit, congruit cum utriusque imperatoris imperio; annus ΛΓ conciliandus eſt per diverſum anni Ægyptiaci initium, tum etiam quod imperii primum etſi non conpletum pro conpleto habebant, adveniente interim principio novi anni Ægyptiaci.

Digitized by Google

De Attalea Pamphyliæ oppido egeram ſuperius: alia ejus nominis urbs ſita erat in Lydia, quas diverſa gentilis derivatione ſe diſtinxiſſe ſuſpicor, quia in altero a nobis edito numo nomen hoc modo: ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ inflexum erat; apud eruditos eſto arbitrium, quos cuique numos adſignent. (184) Præſens numiſma ad Commodi victoriam Britannicam ob Nemeſin etiam Adraſtiam dictam in averſa ſignatam refero; hanc enim Britannorum præſtes numen fuiſſe, ex oratione Bunduicæ ejus gentis reginæ, qua ſubjectos ſibi adlocuta inducitur a Xiphilino Dionis conpilatore, conjici poteſt.

Pag. 107.

in Nerone.

CRISPINA.

I. ΚΡΙϹΠΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Criſpina Auguſta.* Caput uxoris Commodi.)(ϹΑΙΤΤΗΝΩΝ. *Saittenorum.* Apollo nudus ſtans ſ. cubito columnæ innixus, d. ramum lauri tenet. Utramque apud antiquarios laudem meretur. *Tab. XXXVII. N. 5.*

D. Devonsh.

Saitten urbem in Lydia ſitam fuiſſe ex numis, iisque rariſſimis arguerunt eruditi, quod in duabus ejus civitatis monetis a *Vaillantio* adnotatis, altera cum capite Juliæ Mammææ, altera cum Tranquillinæ effigie Hermus, & Hyllus fluvii ſcalpti ſunt. Laudatus antiquarius nullum hujus officinæ numum Criſpinæ honoribus cuſum recenſuit, neque in ullo ejusdem urbis vulgato cultus Apollinis, ut in hoc noſtro, proditur.

(184) Videſis, quæ indicato ab Haymio loco hac de controverſia notaveram.

Digitized by Google

II. Capita Commodi, & Criſpinæ adverſa. ΑΥΤ. ΚΑ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟϹ. ΒΡ. ΚΡΙϹΠΙΝΑ. ϹΕΒ. *Imp. Cæſ. Aur. Comodus. Br. Criſpina Aug.*)(Galea. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. ΕΠ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΗΓεμονος *Byzantiorum ſub Ælio Pontico Præſide.* Cælaturæ & conſervationis bonæ. Ex cimeliis *D. Croſſe. Tab. XXXVII. N. 6.*

D. Devonsh. III. Typus & epigraphe eadem.)(Ceres gradiens utraque manu faces gerit. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. ΕΠ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. Β. Ejusdem elegantiæ. *Tab. XXXVII. N. 7.*

D. Devonsh. IV. Capût Criſpinæ ſolum. ΒΡΟΥΤ. ΚΡΙϹΠΕΙΝΑ. ϹΕ. *Brut. Criſpina Aug.*)(Tres piſces. ΕΠ. ΑΙ. ΠΟΝΤΚΟΥ. Η. ΒΙΖΑΝΤΙΩΝ. Periti artificis, nitidiſſimus. *Tab. XXXVII. N. 8.*

D. Devonsh. V. Caput ſimile. ΒΡΟΥΤΙΑ. ΚΡΙϹΠΙΝΑ. *Brutia Criſpina.*)(Pallas ſtans. Nec prætoris, nec urbis nomen tuto legitur. *Tab. XXXVII. N. 9.*

VI. Caput ejusdem. ΒΡΟΥΤΤΙΑ. ΚΡΙϹ - - - *Bruttia Criſ.*)(Eques. Inſcriptio extrita. *Tab. XXXVII. N. 10.*

Nihil de averſis partibus diſſeram, neque enim hoſce numos niſi ob nomen gentis Bruttiæ, quod hactenus ad caput Criſpinæ in monetis nunquam lectum fuit, publicavi; *Tom. I. p. 103.* Meminit quidem *Vaillantius* in ſuis imperialibus Latinis viſi a ſe numiſmatis ita inſcripti, ſed id mirari ſatis nequeo, eundem autorem in Græcorum catalogo, ubi ſane, utpote in loco

loco proprio conveniebat ne minimam illius mentionem facere, id quod dubium movere poteſt lectori, an iſtiusmodi numi adſerventur alicubi.

Scrupulum hunc penitus eximunt noſtri: II & III cum duobus capitibus primis elementis BP. nomen Brutiæ indicant; IIII cum ſola Criſpinæ effigie plenius jam enunciat BPOΥΤ. V. loco poſitus integrum repræſentat BPOΥΤΤΙΑ, quemadmodum & ſequens ſolo duplicis T diſcrimine. Tulit hoc nomen Criſpina Commodi uxor a patre ſuo, quippe filia Bruttii Præſentis erat, Capitolino teſte, qui ita de M. Aurelio loquitur: *Filio ſuo Brutii Præſentis filiam junxit, nuptiis celebratis exemplo privatorum.* Ejus etiam mentio fit apud Gruterum in fragmentis faſtorum conſularium, ubi nomen, ut in poſtremo numo duplice T etiam exaratum: *in M. Aurel. pag. 94. Edit. Maire.* *pag. 300.*

- - - - BRVTTIO. PRAESENTE. A. IVNIO. RVFINO. COS. P. R. C. ANN. DCCCCVI.

qui cum anno XV imperii Antonini Pii congruit. Idem nomen ibidem in alio fragmento ſimili orthographia ſervata legitur:

C. BRVTTIO. PRAESENTE. T. MESSIO. EXTRICATO. II COS.
P. R. C. ANN. D. CCCCLXX.

Cum hi Coſs. ultimo Caracallæ & primo Macrini anno munere functi fuerint, Bruttium hunc filium, aut nepotem alterius fuiſſe exiſtimo. Conſulatur item Sponius, apud quem in longiore inſcriptione Bruttii nomen gemino T ſcriptum repetitur. *Recherches d'Antiquites p. 327 & 330.*

Digitized by Google

Ne nihil omnino de propoſitis numis dicam, noto primum explicationem Vaillantii (apud hunc enim Byzantinorum noſtrorum averſæ partes recenſentur) qua litera H *octavum* legi vult; dedocet hanc opinionem noſter II, atque certiſſime illum erroris arguit, cum HΓ. ſcilicet HΓεμονος *Præſide* legatur. Deinde numum V., etſi nomen magiſtratus cum nullo ex adnotatis a Vaillantio conveniat, officinæ tamen Byzantinæ etiam tribuendum cenſeo.

Inſcriptionem numi poſtremi arbitror legendam eſſe ΜΟΣΤΗΝΩΝ *Moſtenorum*, (185) urbem hanc eſſe Lydiæ, quam inter & Sipylum M. Hermus decurrebat, alter Hadriani apud Vaillantium numus conficit, in quo: *Μοςηνων Λυδων*; cum indicata moneta, tum altera Claudii apud eundem ambæ in averſa, ut noſtra, equitem Amazonem exhibent, quem typum in Lydiæ & Phrygiæ urbibus frequentem alias oſtendi.

TABULA XXXVIII.

PERTINAX.

D. Devonsh. ΠΕΡΤΙΝΑΞΑ. - - - - - *Pertinacem.* (186) Luna cum aſtro. Literæ inſcriptionis combinari non poſſunt. Mul-

(185) Hac de lectione multum dubito, quod præter morem eſt, ut inſcriptio in ſegmento numi infimo incipiat, præſertim prima ſola litera ibidem deſtituta.

(186) Neſcio, quomodo grammaticam hic obdormiverit Haymius, neque

Digitized by Google

Multum detritum imperitæ manus opus, cruſta nigra veſtitum. *Tab. XXXVIII. N. 1.*

Quia, ut infra, & in *Vaillantio* videbitur, poſticæ partis typus, in Meſopotamica colonia Carrhis uſu receptus eſt, ibidem numum percuſſum opinor, quam conjecturam aliquæ, quæ adparent, literæ etiam juvare videntur. Dederam jam tomo I *pag. 263* elegantiſſimum cum ſincera Pertinacis effigie numiſma Latinum.

TITIANA AUGUSTA *uxor Pertinacis.*

Ejus numum repræſentavi tomo I. *pag. 264.*

PESCENNIUS.

IMP. CAES. PESC. NIG - - Caput ejus laureatum.)(Idem imperator capite velato ſacrificans ad aram. PIETATI. AVG. Pars averſa eſt integerrima. *Tab. XXXVIII. N. 2.* *D. Devonsh.*

Vaillantius inter imperiales Latinos hunc numum paullo aliter deſcripſit, mulierem enim ſtolatam ad aram conſtituit, ubi in noſtro vir barbatus adparet, quamobrem nullus dubito, ipſum Peſcennium deos pro felici rerum gerendarum fortuna deprecantem hic ſiſti. Ipſum, ſi placet, *Vaillantium* adito. *T. II. pag. 214.*

neque enim Περτιναξ in obliquis aliter, quam per κ flecti poteſt: Περτινακος, Περτινακα. Quare illud A. legendum cenſeo: Αυτοκρατωρ, atque ita reſtituendam interpretationem. *Pertinax Imp.*

SEPTIMIUS SEVERUS.

D. Devonsh. I. . . . ΟΥΗΡΟϹ. ΠΕΡ. ϹΕΒ. *Severus Pert. Aug.* Caput ejus laureatum.)(ΑΔΡ. ϹΕΥ. ΑΝΤ. ΑΜΑϹΙΑϹ. ΜΗ. ΝΕ. ΠΡ. ΠΟ. Ε. ϹΗ. ΕΡΜΗϹ. ΚΤΙϹΑϹ. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ. *Hadrianæ, Severianæ, Antoninianæ Amaſiæ Metropolis, Neocoræ, Primæ Ponti. An. CCIIX. Mercurius, qui condidit urbem.* Aquila roſtro coronam gerens. Rudem cælatorem habuit, ætatem vero pro averſa parte admodum propitiam. *Tab. XXXVIII. N. 3.*

De Amaſia urbe, Strabonis patria ad N. 5. Tab. XXXIV egeram. Cum epocha Amaſia ab anno V. C. 743 decurrat, præſens numus in annum Severi V incidit, quo civitas non ſolum omnes ſuos honoris titulos jactabunda explicat, ſed præterea Mercurium conditorem crepat, id quod hactenus nec numi, nec ſcriptores nos docuerunt; Exiſtimo, de ſitu urbis deliberanti, hujus numinis oraculum retuliſſe, atque ideo urbis fundatæ honorem eidem adtribuiſſe.

D. Devonsh. II. Caput Severi radiatum. ΑΥ. Κ. Λ. ϹΕΠΤ. ϹΕΥΗΡΟϹ. Π. Ϲ. *Imp. Cæſ. L. Sept. Severus, Pert. Aug.*)(Templum octoſtylon. ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. *Bithynienſium Hadrianorum.* Sine omni vitio, atque artificii boni. *Tab. XXXVIII. N. 4.*

Bithynium urbs, Antinoi patria, etiam juxta Xiphilinum in Hadriano, Claudiopolis dicta, in provincia ejusdem nominis prope Elatam fluvium jacebat: ex numis docemur, ab Hadriano agnominis honorem accepiſſe. Templum, quod

Digitized by Google

quod monetarii ſpectandum exhibuere, Antinoo præcipuo civium numini dedicatum fuiſſe judico.

III. ATT. K. Λ. CΕΠ. CΕΟΤΗΡΟC. Caput idem laureatum.)(ΖΕΤC. ΚΕΡΑΤΝΙΟC. CΕΛΕΤΚΕΩΝ. ΠΙΕΡΙΑC. *Juppiter Ceraunius Seleucenſium Pieriæ.* Menſa, in qua fulmen cum laurea. Opus mediocris cælatoris. *Tab. XXXVIII. N. 5.* *D. Devonsh.*

Dictum fuit pag. 21 hujus tomi, Jovem fulminatorem a Seleucienſibus cultum, quia, dum condendæ urbi intenti erant, fulminis augurium adceſſerat; Idem Jovis cognomen in aliis Seleuciæ hujus monetis a diverſis antiquariis obſervatur.

IV. Epigraphe, & caput idem.)(CΕ. ΤΡΟ. ΤΑΟΥΙΑΝΩΝ. *Severianorum Trocmorum Tavianorum.* Fortuna ſtans. Numus integerrimus, ſcalptorem etiam commendat. *Tab. XXXVIII. N. 6.* *D. Devonsh.*

Tavium, ex cujus officina monetaria numus prodiit, metropolis erat Trocmorum Galaticæ gentis, quæ regionem verſus Cappadociam cis Halyn fluvium porrectam inſederat. Fortunæ ſignum in alterius etiam numi Juliæ Domnæ averſa parte a *Vaillantio* eſt adnotatum. De Galatarum tribus provinciis tractavi alibi Toliſtoboiorum & Tectoſagorum productis numis argumentum ſcribendi præbentibus.

V. Antica nihil diverſi habet.)(Salus ſtans ſerpentem paſcit. ΒΡΟΤΖΙΝΩΝ. ΑΙΚ. ΡΟΤΦΙΝΟC. ΑΝΕ- *D. Devonsh.*

ΘΗ-

ΘΗΚΕΝ. *Bruzinorum Licinius Rufinus dedicavit.* Artificium bonum ſervavit ætas. *Tab. XXXVIII. N. 7.*

De Pop. & Urb. pag. 101. *edit. in 4to.*

De Bruzo Phrygiæ Salutaris oppido legatur velim eruditiſſimus Harduinus, qui plenam de hoc notitiam conmunicat. In nullo hujus urbis a *Vaillantio* adnotatorum numorum magiſtratus, quemadmodum in noſtro legitur, qui Saluti deæ conceptis pro Severo votis ſtatuam dedicat, ut quem honorare ſtudet, a morbis incolumem orbis imperio ſervet.

D. Devonsh.

VI. Caput idem laureatum epigraphe detrita.)(ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. in corona, circa quam ϹΕΛΕΥΚΙΔΟϹ. ΙΕΡΑϹ. *Nicopolitarum Seleucidis, Sacræ. Tab. XXXVIII. N. 8.*

Vide, quid hac de Nicopoli Seleucidis ad numum Commodi ſimilem *Tab. XXXVII. N. 1* ſcripſeram.

D. Devonsh.

VII. ΑΥΤ. Κ. Λ. ϹΕΠ. ϹΕΟΥΗΡΟϹ. Caput ejus laureatum.)(ΓΑΖΑ. ΗΞϹ. *Gaza. An. 268.* Mulier ſtans d. haſtam puram, ſ. cornu copiæ, ad pedes cervus. Plus fortunæ conſervatrici, quam fabro monetario debet. *Tab. XXXVIII. N. 9.*

Tab. XXXVI. N. 6 alium cum Commodi juvenis vultu Gazæ percuſſum numum deſcripſi, quare ad dicta pag. 296 lectorem revoco; Nullum Gazenſem ſub Severo hactenus vidimus, præſens anno XIV ejus imperii, ſeu V. C. anno 960 flatus eſt, cum æræ initium ab an. V. C. 693 fluat.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Caput, & epigraphe eadem.)(Taurus. TT-ANEΩN. Ταυριανης Πρωτης ΙΕρας Και ACV. ЄT. Δ. *Tyanenſium, Taurianorum Primæ, Sacræ, & Inviolabilis An. IV.* (187) Conſervationis laus ſcalptoris mediocritatem ſuperat. *Tab.* XXXVIII. *N.* 10. *D. Devonsh.*

Tyana Cappadociæ eſt oppidum Tauri jugis ſubjectum; pluribus de eo agit Strabo L. XII, & Ammianus, qui ibidem Apollonium celebrem philoſophum natum ſcribit. *L.XXIII c.* 19.

Rr

(187) Minime mihi hæc probatur lectio, neque una ex ratione; eccas: primum quidem, legi ſtudioſe Strabonem & Ammianum ab Haymio indicatos, neque tamen de regione Ταυριανη mentionem ullam deprehendi, id ſcio, a Ptolemæo, & Strabone Τυανῖτιδα, *Tyanitidem* præfecturam conmemorari. Deinde conſtat, nullam urbium, quæ ſe Πρωτην, aut cives Πρωτης ſcribit, regionem, in qua hac præcellentia gaudebant, titulo Πρωτης præmittere: ita Amaſia ΠΡ. Π. *Primam Ponti*, Samii Πρωτης. Ιωνιας, Laodicea ΠΡ. Cυριας &c. ſuis in numis conſignarunt; Tertio, atque id eſt, quod miror maxime, ſine minimo indicio præteritum fuiſſe ab Haymio, numos omnes hujus urbis tam apud Vaillantium, quam apud Harduinum ſub Hadriano, M. Aurelio, Commodo ita eſſe inſcriptos: Τ. Π. Τ. nempe τῶν πρὸς Ταύρῳ, *qui ſunt ad Taurum*, & quod Haymii Taurianam, funditus evertit, eſt numus Severi hac epigraphe: ΤΥΑΝΕΩΝ. ΤΩΝ. Π. Τ &c. ubi certum habemus indicium, qua ratione monetarii primum Τ legi voluerint. Quare ſuſpicor ab Haymio literam I extrita forte transverſa linea pro T lectam, neque enim facile titulus Ιερας per duas literas IE ſcribitur; Reliquum E aut Ευσεβειας, ita enim nominatam fuiſſe, ſcriptores teſtantur, aut Ελευθέρας titulos indicare mallem, quam ut Haymii lectioni conſentiam.

Digitized by Google

bit. In nulla alia hujus civitatis moneta taurum obſervavi, qui typo ipſo propinquum, ad ejus nominis montem ſitum indicaret. Tyanei, ut Ægyptii, annos imperii adjicere ſolebant, præſens numus Severi IV præfert, qui cum anno V. C. 950 convenit.

D. Devonsh. IX. Caput idem laureatum. AΥ. K. Λ. CEΠ. CEVH - - -)(Miles ſtans d. haſtam, ſ. clypeum, utrinque ſignum legionare. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟ - - - *Perinthiorum Æedituorum.* Cæli mediocris. *Tab. XXXVIII. N. 11.*

Perinthus ad Propontidem ſita, numorum ibidem percuſſorum numero bene nota antiquariis, ſub Severo præcipue ob inſignia ab hoc imperatore accepta beneficia hujus urbis monetarii fuerant quam diligentiſſimi, etenim Byzantio expugnato, captum agrum cum omnibus Byzantiorum juribus Perinthiis tranſcripſit; Miles in averſa ſcalptus inter duo ſigna militaria totidem legiones ibidem ſtationem habuiſſe, indicare mihi videtur. *Dio in Severo.*

D. Devonsh. X. Π. CE. CEOΥ - - POC. Caput idem.)(ΜΕΓΑΡΕΩΝ. *Megarenſium.* Mulier ad aram luculentam ſacrificans. Tenuis bracteæ, & inperiti artificis. *Tab. XXXVIII. N. 12.*

L. IV. c. 7. Megara Atticæ verſus Iſthmum urbs, Plinio etiam *L. I. c. 2.* colonia dicitur: Vellejus hæc de illa: *Peloponeſii, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque urbem, condidere.* Strabo ibidem ſcholam philoſophorum, qui pro patriæ gloria Euclidem Socraticum ibidem natum

natum ſectabantur, defigit. Duos ſolum hujus urbis numos, atque ambos ſub Caracalla Vaillantius adnotavit. (188)

XI. Caput Severi laureatum. AT. KAI. Λ. CΕΠΤ. CΕΟΤΡΟC.)(Duo viri togati dextras jungunt. AΔP. CET. ANT. AMACIAC. MHT. NE. ΠP. ET. CH. *Hadrianæ, Severianæ, Antoninianæ, Amaſiæ Metropoles Æditua Primæ* nempe *Ponti An. CCVIII.* Artificium bonum nitidum permanſit. *Tab. XXXVIII. N. 13.* *D. Devonſh.*

Egeram alias de Amaſia Ponti urbe cum ad numum Antonini Pii *Tab. XXXIV. N. 5* tum ad alium Severi *Tab. XXXVIII. N. 3* relatum, qui ut præſens, annum V imperii præferebat, additus enim numerus 208 ad initium epochæ, ſeu annum V. C. 743 dabit annum 951, quo ipſo Geta cæſar renuntiatus erat, atque propterea averſa noſtri numi fratrum jam æquali dignitatis gradu conſtitutorum concordiam junctis dextris demonſtrat, primogenitus enim nempe Caracalla jam duobus circiter annis abhinc id honoris erat conſecutus.

TABULA XXXIX.

XII. - - - - C. CΕΟΥΗΡΟC. ΠΕ. - - - *S. Severus Pert.* *D. Devonſh.*

(188) Editi fuerunt hactenus alii ſub M. Aurelio, L. Vero, Commodo ex muſeo Theupoli, ex Granelliano a Frœlichio diverſus ſub Severo.

Digitized by Google

Pert. Caput idem.)(ΣΕΟΥΗΡΟΥ. ΒΑΣΙΛευοντος Ο. ΚΟΣΜΟΣ. ΕΥΤΥΧΕΙ. ΗΛΚΑΝΟΥ. ΚΙΑΝΟΙ. *Severo Regnante Orbis Fortunatus ſub Elcana Ciani.* Undique mediocris. *Tab. XXXIX. N. 1.*

Cum ex Ælio Spartiano conſtet, Severum imperatorem in captandis genethliacorum nugis, atque auguriis totum fuiſſe, opinor hoc inſigni & unico numiſmate prognoſticum a quodam oraculo acceptum prodi: antequam huc animum adverterem, fateor me diu in eo hæſiſſe, quid Cianis ejusmodi ſalutationem imperatori faciundam ſuadere potuerit, poſt varias tandem conjecturas in ea adquievi, qua epigraphe hanc in ſententiam concepta videbatur: *ELCANA hierophantam agente*, *CIANI* ex *numinis oraculo publice teſtantur* &c.

Mea quidem opinione imperatori, qui nec Juliam alia de cauſa uxorem ducere volebat, quam quia ſciebat, regem ei maritum fatorum ordine deſtinatum, gratius nihil a civibus præſtari poterat, quam ut tam glorioſum ei augurium publica in moneta feriundum decernerent, atque ob eam rationem inter initium & finem ejus nominis lauream adjecerint, hanc illi nempe etiam antequam capeſſeret imperium, jam divinitus paratam proteſtati.

D. Devonsh. XIII. Caput idem laureatum. ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ)(Sex mulieres ſtantes. ΚΟΙΝΟΝ. ΝΕΟΚΑΙ. ΜΗΤΡΟ. ΕΤ. ΡΜΒ. *Commune aut Conventus Neocæſareæ Metropolis An. CXLII.* Scalptoris minorem peritiam ſubplet conſervatio elegans. *Tab. XXXIX. N. 2.*

Am-

Digitized by Google

Ammianus ſub finem L. XXVII *Neocæſaream*, quam Ponti ad Lycum fluvium urbem Socrates, & Sozomenus S. Gregorii thaumaturgi patriam adſerunt, *urbem Polemoniaci Ponti nobiliſſimam* dicit. Metropolis honorem a Nerone obtinuit, Polemoni regi anno V. C. 815 tradita, unde ejus æram ducit *Vaillantius*, cujus quidem opinioni me contrarium inferius ad numum II Getæ *Tab. XLI. N. 6* demonſtrabo. Averſa ſex mulierum ſigna repræſentat, quas pro Geniis præcipuarum civitatum, ut exiſtimo, Neocæſaream convocatarum habeo; neque etiam omnino plures, quam ſex ejus dignitatis in regione, Ponto Galatico, dicta reperio, nempe: Amiſum, Magnopolin ſeu Eupatoriam, Amaſiam, Comana, Sebaſtopolin & Sebaſtiam. (189)

L. IV. c. 27. *L. VII. c. 27.*

Quare profecto non poterat melius Neocæſarea ſuam ea in provincia dignitatem, ad aucupandum præterea Severi favorem declarare, cum forſan conventus hic ad celebrandos anno undecimo, mea opinione, imperii Severi tertio decimo in ejus honorem ludos factus ſit potiſſimum. Non negligendum eſt antiquariis oculis, literam B numeri notam hoc in numiſmate R Latinum referre; Neque aliter idem elementum formatum videbimus in aliis duobus numis, uno quidem Neocæſareæ ſub Geta *Tab. XLI. N. 6*; altero *Tab. XXXIX. N. 11* ſub Caracalla, in quo pro ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. ſcalptum eſt: ΑΛΑRΑΝΔΕΩΝ.

(189) Galaticum cum Polemoniaco Ponto hic confundit Haymius.

Digitized by Google

JULIA PIA.

D. Devonsh. I. Caput Juliæ. ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CEBACT. *Julia Domna Auguſta.*)(Veneris Lucinæ ſignum &c. ΜΕΝΗΠΠΟC. ΚΑΙ. ΖΗΝΩΝ. ΑΝΕΘΕC. ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ. *Meneppus, & Zeno Poſuere. Aphrodiſienſium.* Integer & laudabilis artificii. *Tab.* XXXIX. *N.* 3.

Actum jam fuit de Aphrodiſiade urbe hoc tomo *pag.* 111: Nominis hujus multa ſunt oppida, Aphrodiſiadi Lydiæ ſuos numos adſcribit *Vaillantius.* Inſignis ſtatua in hocce noſtro repræſentatur, quam Veneris Lucinæ matronarum partubus propitii numinis eſſe exiſtimo; atque ſigillum illud peculiari in ſella conſidens parturientem forſan refert, quod ex adverſo eſt, cunas recens natis paratas habeo; Duo planetæ ſol & luna calore & humore in generationem influunt, ut adeo omnia ſatis belle inter ſe conveniant.

Non repugnabo, ſi quis mulierem ſedentem, quia velatam, Veneris Lucinæ ſacerdotem velit, cuniſque urnam ſubfragiorum pro eligendis magiſtratibus ſubſtituat, quæ electio forſan in præcipuo urbis templo Veneri ſacro ſuſcipiebatur, cujuſmodi ædes in primo Caracallæ numo inferius exhibendo, cum eadem ſtatua, atque adtributis geminis repræſentantur.

D. Devonsh. II. Caput idem. ΙΟΥΛΙΑ. ΑΥΓΟΥ - - - *Julia Auguſta.*)(Ceres cum face bigis draconum vecta. ΑΜΟΡΙΑΝΩΝ. *Amorianorum.* Sine omni vitio, periti ſcalptoris. *Tab.* XXXIX. *N.* 4.

De

De Amorio Phrygiæ majoris verſus Sangarium fluvium oppido ut parum ſcriptores conmemorant, ita hujus officinæ numi ſunt de rariſſimis. *Vaillantius* non niſi ſub Trajano Caracalla & Gèta ſingulos adnotavit, atque in horum nullo Ceres conſpicitur.

III. Caput ſimile. ΙΟΤΛΙΑ. ΔΟΜ - - -)(Tres Gratiæ. ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ. *Aphrodiſienſium.* Nec artificium, nec conſervatio mediocritatem excedit. *Tab. XXXIX. N. 5.* *D. Devonsh.*

Sæpe jam cum Aphrodiſiade nobis negotium; Gratias in præſente, ut etiam in altero Criſpinæ apud *Vaillantium* feriri fecerunt monetarii, in noſtro tamen diverſa epigraphe, quæ tamen præter ΘΕΑΙ. ΝΟΝ - - - *Deæ*, aut *Divæ* extrita eſt, quare numus ejusdem typi magis integer deſiderandus. Conſiderationem meretur, vocabulo ΘΕΑ primas nominum literas trium Gratiarum contineri ſcilicet: Θαλεια, Ευφροσυνη, Αγλαϊα.

IV. Caput ut ſupra. ΙΟΤΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CΕΒΑCΤ.)(Cybele ſedens. ΕΠΙ. ΙΟΤΛΙΟΤ. ΑΔΡΑCΤΟΤ. ΑΡΧΟ. ΤΡΓΑΛΑΙΩΝ. *Sub Julio Adraſto Archonte Hyrgalæorum.* Integerrimus & bene cælatus. *Tab. XXXIX. N. 6.* *D. Devonsh.*

En urbem, quæ, ut nullum ejus veſtigium apud geographos deprehendere poteram, ita primum inter antiqua monumenta conparet; Si cælum ſpecto, in Phrygia, aut vicina regione percuſſum numum cenſeo, hac in opinione etiam mecum eruditiſſimus noſter doctor Sherard eſt, cui depor-

Digitized by Google

deportatam hanc in Angliam monetam nos debere, grati profitemur. (190)

D. Devonſh. V. ΙΟΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CEBACT. Caput idem.)(ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ. *Heracleotarum.* Templum tetraſtylon, in quo Diana Epheſia. Utraque laude præſtat. *Tab. XXXIX. N. 7.*

Alium hujus Heracleæ numum ſub Auguſto *Tab. XXV. N. 6* dederam; quam bene Heracleæ Joniæ adtributus fuerit, templum Dianæ Epheſiæ, quæ eo in tractu colebatur, in præſente cælatum confirmat, neque dubium eſt præcipuum hoc Heracleotarum fuiſſe numen, quia ibidem antrum Endymionis a Diana amati oſtenditur. Dixeram ad indicatum numum *pag. 214.* hujus urbis monetas a nemine hactenus fuiſſe editas, quas enim Vaillantius ſub imperatoribus adnotavit, ad hanc Heracleam referendas non cenſeo, cum quod in earum nulla Dianæ ſignum conparet, tum maxime, quod diverſa a noſtra epigraphe aut ΗΡΑΚΛΕΩΝ, aut ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ inſcriptæ ſunt. Quæ adſero, nollem quis decreto antiquario ſancita habeat, etenim tam hic, quam alibi conjecturas quidem meas in medium profero, ſententiam tamen ferendam eruditis concedo.

VI.

(190) Inter urbium ſine imperatorum capite percuſſorum numos muſei Pembrokiani refertur quidem aliquis ΥΡΓΑΛΕΩΝ inſcriptus cum typo fluvii decumbentis, & epocha ΤΞΕ, quæ ſi adcurate ex numo depicta & deſcripta ſunt, eam ſolum luculam accendunt, numum Phrygiæ adimendum eſſe probabilius, quod epochæ in Phrygum ære conſignari non ſolent.

Digitized by Google

VI. Caput ejuſdem. IVLIA. DOMNA. AVG.)(Vir pileo Phrygio tectus ſtans d. haſtam, ſ. quid lampadi ſimile pede ſ. inpoſito alicui animalis ſcutulæ. IVL. AVG. COL. PARLAIS. Rude opus, conſervationis tamen bonæ. *Tab.* XXXIX. *N.* 8.

D. Devonsh.

Hujus coloniæ numum omni eruditione clariſſimus P. Harduinus jam protulerat in publicum cum ſequentibus adnotationibus: PARLAIS. COL. *Numus M. Aurelii e cimelio Card. Maximi, ut retulere ii nobis, qui numum tractarunt. Obtinet numi aream figura muliebris, quæ dextra labarum, læva copiæ cornu gerit. In Notitia antiqua Eccleſ. Hieroclis pag. 19 inter antiſtites provinciæ Piſidiæ cenſetur* ὁ Παρλαῦ *pag. 51.* ὁ Παράλλης *pro* Παρλαῦ. *Apud Leunclavium pag. 96.* ὁ Παραλαῦ, *pro* Παρλαῦ. *A Ptolemæo L. V. c. 6 Lycaoniæ* Παραλαϊς *cum Iconio adjudicatur. In concilio Nicæno I. pag. 53* Euſebius Paralais Lycaoniæ.

De Pop. & Urb. p. 381 edit. in 4to.

Vaillantius ubi repræſentat numiſma Coloniæ Pariæ cum hac epigraphe & typo: COL--PARIA. IVL. AVG. *Mulier ſtolata ſtans cum calatho in capite, dextra ſignum militare, ſiniſtra cornu copiæ.* Harduinum ridens ſubjungit: *P. Harduinus pag. 381 numum hunc ſub* PARLAIS. COL. *epigraphe vulgavit, quam in Lycaonia fruſtra quærit.*

T. I. colon. p. 189.

Reprehenſio hæc adeo laudatum patrem uſſit, ut cum opera ſua in folio ederentur, coloniam Parlain omiſerit, urbis unius jacturam facere mallens, quam ad ejus defenſionem ſine firmis armis animum obfirmare. His non obſtantibus eandem coloniam imperio Romano reſtituam, atque ſi quis mihi negotium hac ſuper re faceſſiverit, dicam, diſtincte

ejus nomen ita legi in numo, ut in lineari pictura propoſueram: dicam, eum quam certiſſime eſſe antiquum: dicam denique alium hujus coloniæ a noſtro diverſum, atque in celeberrimo muſeo *Comitis de Pembrok* adſervatum a me ſequente in volumine edendum.

ANTONINUS CARACALLA.

I. Caput Caracallæ juvenis laureatum - - - M. AT. ANTΩNEINOC. *M. Aur. Antoninus.*)(Templum tetraſtylon, in quo ſignum Veneris Lucinæ. AΦPOΔEI-CIEΩN. *Aphrodiſienſium.* Numus hic maximi moduli nec artificem peritum, nec ætatem ſatis benignam habuit. Adpendit grana 418. ex cimeliis *D. Croſſe.* *Tab.* XXXIX. *N.* 9.

Vide, quæ de numo Juliæ Domnæ, eadem in urbe flato dicta ſunt pag. 316, ubi præſentis typi etiam injeceram mentionem.

D. Devonsh. II. Caput Caracallæ juvenis radiatum. AΥΤ. K. M. AΥP. ANTΩNEINOC. *Imp. C. M. Aur. Antoninus.*)(Fluvius decumbens. KAICAPEΩN. KIBΥPATΩN. *Cæſarenſium Cibyratarum.* Bona conſervatione inferior cælatura. *Tab.* XXXIX. *N.* 10.

Vaillantius hic ſibi videtur videre concordiam initam inter Cæſaream Bithyniæ, cujus exiguam aliquam notitiam nobis reliquit Ptolemæus, atque Cibyratas Phrygiæ. (191) Stra-

(191) Nunquam hoc ſcripſiſſet Vaillantius, ſi diligentius ad ſitum ad-

Digitized by Google

Straboni dicitur *Cibyra magna;* inter præfecturas, ubi jus dicebatur, unam in imperio Romano fuiſſe Cibyraticam adfirmat Plinius, atque Cibyram Phrygiæ urbem XXV civitates conveniſſe. (192) Conſulatur etiam Tacitus & Cicero. *L. XIII.* *L. V. c. 28.* *Annal. L. IV. c. 13.* *Verrina VI. c. 13.*

 Fluvi-

---

advertiſſet, quid enim fœdus Bithynicum, atque cum urbe præterea vix alicujus nominis profuiſſet Cibyræ adfines Phrygiæ, Cariæ, Lyciæ, & Piſidiæ in mediterraneis jacenti, atque, quæ, ut ſub tyrannis atque poſtremo Moagete XXX millia peditum, equitum II millia parata habebat, ita teſte Strabone L. XIII ſub finem, etſi Bubone & Balbura ab *Romanis* mutilata eſſet ejus ditio, ὀυδὲν δ' ἧττον ἐν ταῖς μεγίςαις ἐξετάζεται διοικήσεσι τῆς Ασιὰς, *nihilo minus inter maximas Aſiæ præfecturas habebatur.* Nec Haymius T. I. p. 268 numum Caracallæ inſcriptum ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ Cæſareæ Bithynicæ adtribuiſſet, ſi felicitas epocham, cujus veſtigia aliqua ſuperſunt, legendi ei obtinuiſſet; hanc feliciter nobis eruit Cl. Belley *Mem. de l' Acad. des bell. lett. T. XXIV. p.* 121 ex duobus numis, altero Maximini, Tranquillinæ altero, ſcilicet cœpiſſe V. C. 776, Tiberii IX, quo imperator civitates Aſiæ XII, quas inter Cibyra, terræ motu labefactatas reſtituit. Ex quo præterea liquet, τὸ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ nequaquam ad aliam urbem, quam quæ reſtituta erat, referri poſſe, ſed titulum honoris eſſe tum a Tiberio datum exemplo Auguſti, qui dum ſimile beneficium Papho urbi exhibuiſſet, τὴν πόλιν, Αὐγȣ́ςαν καλεῖν κατὰ δόγμα ἐπέτρεψε, ut ſcribit Dio L. LIV. p. 537. *Urbem Auguſtam nominandam ſenatus conſulto ſanxit.*

(192) Non erit abs re hic indicare, a voluntate præſidis pependiſſe, tribunal vel in urbe præcipua, vel in alia aliqua juridicundo ſtatuere, arguitur hoc ex Cicerone, V. C. 704 Ciliciæ proconſule, ad quam provinciam Cibyra tum referebatur, ita enim L. V. epiſt. 21 ad Atticum ſcribit: *Idibus Februarii,* quo

Fluvium, qui in averſa repræſentatur, Lycum eſſe arbitror, qui ſe in Mæandrum exonerat, cum ad illius fontes Cibyra ſita fuerit.

D. Devonsh. III. Caput Caracallæ juvenis laureatum. M. AY. ANTΩNEIN - - - Præ capite nota eſt incuſa parvum alterum caput referens.)(Pallas armata ſtans. AΛA-RANΔEΩN. *Alabandenſium.* Numus integer. *Tab. XXXIX. N. 11.*

Quod conſiderationem in hac moneta meretur, eſt litera R Latina pro B in urbis nomine. De Alabanda diſſerui alias. Videatur etiam hoc tomo numus XIII Severi pag. 315. *Tab. XXXIX.* item Getæ I & III. pag. 335. Tab. XLI.

D. Devonsh. IV. Caput idem radiatum, modica barba adſperſum. AYT. K. M. AYP. ANTΩN.)(Roma ſedens d. Victoriolam, ſ. haſtam. Λ. CEΠ. CEYOH. EΛEYΘE. E. Θ. *Lucianæ, Septimianæ, Severianæ Eleutheropolis An.* IX. Undiqne eſt mediocris. *Tab. XXXIX. N. 12.*

De Eleutheropoli Palæſtinæ oppido tractavi *tomo I. p. 266.* cum numum Eleutheropolitarum cum capite Juliæ Domnæ, & anno VIII imperii Severi produxiſſem. (193)

V.

---

quo die has literas dedi, forum inſtitueram agere Laodiceæ Cibyraticum, & Apamenſe ex idibus Martii ibidem Synnadenſe, Pamphilum, Iſauricum.

(193) Quod ad numum indicatum tomo I omiſſum erat, mo-

nen-

V. Caput juvenile laureatum, & inberbe. A. K. M. AT. ANTΩN.)(Diana gradiens d. ſagittam ſublimem ſ. arcum demiſſum tenet, cervis utrinque ſalientibus. ΠΕΛΛΗΝΕΩΝ. *Pellenenſium.* Utramque laudem habet. *Tab. XXXIX. N. 13.* *D. Devonsh.*

Pellene in Achaia propria urbs in Sicyonis vicinia verſus mare conſidebat, de qua pluribus (194) Strabo. *L. VIII.* Nullus hujus urbis numus hactenus ab antiquariis eſt proditus. Diana ibidem culta perſuadet, agrum venationis deliciis fuiſſe peroportunum.

TABULA XL.

VI. Caput Caracallæ juvenis laureatum. ATT. K. M. *D. Devonsh.*

---

nendus eſt lector antiquarius, atque tiro præſertim, Eleutheropolin, & Dioſpolin vicinas Palæſtinæ urbes vocabulum ΕΤΟΥΣ, quo annos imperii deſignant, præter aliarum urbium morem unica prima litera indicare; cavendum ergo, ne E vel initio alicujus vocabuli ſequente litera continuandi, vel characteribus numerorum adhibeatur, ut hoc elemento deceptus Vaillantius, æram Dioſpolitanam ad an. V. C. 846 adfixerat, errore late per antiquarios ſequaces propagato, etſi id ipſum periculum in numeris denarium non æquantibus effugiſſet vir idem eruditus, ſi numi magis integri ei in manus veniſſent.

(194) Id denique omne eſt: Pag. 385 quidem: Μετὰ Σικυῶνα Πελλήνα κεῖται. *Poſt Sicyonem Pellena ſita eſt.* Pag. vero 386: Εςι δ᾽ ἡ Πελληνη ςάδια ἑξήκοντα τῆς θαλάττης ὑπερκειμένη φρουριον ἐρυμνόν. *Pellene LX ſtadiis a mari diſtat, caſtellum munitum.*

M. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ.)(Diana venatrix. ΑΥ-ΓΟΥϹΤΑΝΩΝ. ΕΤΟΥϹ. ΗΠΡ. *Auguſtanorum. Anno CLXXXIIX.* Conſervatio minus peritum artificem condecens. *Tab. XL. N. 1.*

Pag. 261. De Auguſta Ciliciæ urbe vide *Vaillantium*, qui tres ſolum hujus oppidi monetas adnotavit: unam ſub Auguſto, quæ ob cervam in averſa ſignatam utpote ſacrum Dianæ animal cum noſtra conſpirat; alteram ſub Valeriano, & unicam cum epocha ſub Gordiano. Quare magni ad æram firmandam momenti foret præſens numiſma, niſi edax tempus numerorum characteres adrodendo annum inſcalptum tam dubium feciſſet, ut firmum fundamentum faciendæ conjecturæ ſubtrahatur. Laudatus autor cœptam ab Auguſtanis vult epocham anno V. C. 771.

D. Devonsh. VII. ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ϹΕ. *Imp. C. M. Aur. Antoninus Aug.* Caput radiatum ejusdem ætatis.)(ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ. *Cæſarenſium Cibyratarum.* Cybele bigis leonum vecta. Tenuis bracteæ, & artificii mediocris, ſed bene ſervatus numus. *Tab. XL. N. 2.*

Vide, quæ ad numum II Caracallæ dicta ſunt. De Cybele luculentam facem manu gerente egeram ad numum Cyzici pag. 8.

D. Devonsh. VIII. Caput ejusdem laureatum. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ϹΕΒ.)(Quatuor templa. ΔΟΓΜΑΤΙ. ϹΥΝΚΛΗΤΟΥ. ΕΦΕϹΙΩΝ. ΟΥΤΟΙ ΝΑΟΙ. *Senatus Conſulto Epheſiorum Hæc Templa.* Ætatem benignam habuit. *Tab. XL. N. 3.*

Adeſt

Adeſt inter *Vaillantii* numos, & ſub Caracalla quidem Epheſinus aliquis, in cujus poſtica tria templa conſpiciuntur, atque in horum uno Dianæ Epheſiæ ſignum, in duobus aliis Caracallæ & Getæ ſtatuæ; Præſens noſter templa quatuor pandit, in horum uno absque controverſia domeſtica Diana proſtat, tres reliquas ædes Severo, Caracallæ, & Getæ dedicatas cenſeo, atque cum caput Caracallæ florente ætate ſcalptum mihi quam certiſſime perſuadeat, monetam hanc vivo Severo flatam eſſe, præclare ſuum obſequium univerſæ imperiali familiæ conteſtantur Epheſii publico in ære exhibendo ſingulis erectas ædes, quæ templo Dianæ præſtitis ſuæ domi foriſque per omnem Aſiam celeberrimæ nihil concedebant. (195)

IX.

---

(195) Inani Vaillantii conjecturæ infirmior ſuperſtruitur, dum de magnificis templis res eſt, ut enim nihil dicam, vix parvas illas icunculas diſtingui poſſe, cujus ſexus ſint, quid adtributi habeant, nunquam inducar, ut credam tria templa, & quidem illi ſimilia, in quo ſuam Dianam colebant Severo & filiis atque Getæ ſolum Cæſari educta fuiſſe, niſi Haymius aliquem ex veteribus vadem præſtet, præſertim cum nullo ſingulari beneficio Epheſios ab Severo adfectos fuiſſe conſtet. Id unum veriſſimum dixit Haymius, videri vivo patre has ædes ſtructas, non tam ob Caracallæ juvenilem vultum quidem, quam ob odium in fratrem, quo ex ipſo arcu Severi Romæ ſuperſtite ſublatis literis: ET. P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI. ſubſtituit has ex ære alias: P. P. OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS. ut teſtis ocularis Cl. Barthelemy nos poſtremis commentariis *de l'Acad. des bell. lett.* *T. XXVIII. p.* 599 certos red-

D. Devonsh. IX. Protome Caracallæ laureati cum ſcuto & haſta. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥΗ. - - ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imp. C. M. Aur. Sever. Antoninus.*)(Pugil nudus ſtans. ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. ΕΝ. ΦΙΛΙΠΠΟ-

---

reddidit. Erit, qui pro publico monumento ipſum hunc numum proferat, atque illud Δογματι Συνκλητυ ὑτοι ναοι urgebit potiſſimum; Non nego SC autoritatem interceſſiſſe, ſed an propterea ad hæc templa excitanda & quidem ſub Severo? an non probabilius dicetur ſub anterioribus imperatoribus templorum jam ſtructorum jura confirmata. Profecto videor mihi rem omnem in Tacito deteхiſſe, qui L. III Ann. N. 61 de Tiberio cum ſcripſiſſet, eum etiam numinum religiones introſpexiſſe & quidem propter nimiam aſylorum libertatem, ſubjicit: *Primi omnium Epheſii adiere memorantes: Non ut vulgus crederet Dianam atque Apollinem Delo genitos, eſſe apud ſe Cenchrium amnem, lucum Ortygiam ubi Latonam partu gravidam, & oleæ, quæ tum etiam maneat, adniſam, edidiſſe ea numina - - - - Atque ipſum illic Apollinem poſt interfectos Cyclopas Jovis iram vitaviſſe. Mox Liberum patrem bello victorem ſupplicibus Amazonum, quæ aram inſederant, ignoviſſe. Auctam hinc conceſſu Herculis, cum Lydia potiretur, cærimoniam templo* &c. Habes hic quatuor numina: Dianam, Apollinem, Liberum, & Herculem, pro quorum religionibus, & quis dubitet templis, multo ante ſtructis (addunt enim: *neque Perſarum ditione deminutum jus; poſt Macedonas dein nos*, Romanos ſcilicet, *ſervaviſſe*) atque eorum aſylo peroraverant Epheſii? ſane poſtquam aliarum urbium preces enarraſſet Tacitus, concludit: *Factaque ſenatus conſulta, quis multo cum honore, modus tamen præſcribebatur, juſſique* ipſis in templis figere æra (nempe SC æneas tabulas) ne ſpecie religionis in ambitionem delaberentur; hæc ipſa verba velut ex tabulis recitat Tacitus.

Digitized by Google

ΠΟΠΠΟ. ΠΥΘΙΑ. *Conventus Thracum. Alexandria Pythia in Philippopoli.* Maximæ formæ numiſma nitidum, bonæque cælaturæ grana Anglica 552 adpendit. *Tab. XL. N. 4.*

Philippopolis Thraciæ ad Hebrum fluvium urbs majorem amplitudinem Philippo Amyntæ Macedoniæ regis filio debuit. Numiſmatis explicationem inter Vaillantii Græcos quære. *Pag.* 113. & 330.

X. Caput Caracallæ barbatum, & laureatum. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ.)(Juppiter ſedens. ΑΚΜΟΝΕΩΝ. *Acmonenſium.* Integer, artificii mediocris, tenuior. *Tab. XL. N. 5.* *D. Devonsh.*

Acmoniæ Phrygiæ majoris oppidi ſuperius pag. 240 memini, cum Neronis numum tractarem cum eodem Jovis ſedentis typo, hactenus in hujus officinæ monetis non obſervato.

ſic

XI. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. Caput ſimile.)(ΑΝΤ. ΚΟΛΩΝ. ΤΥΑΝΩΝ. ΕΤ. ΙϚ. *Antoninianæ Coloniæ Tyanorum. An. XVI.* Rubra cruſta ab injuriis defenſum eſt artificium mediocre. *Tab. XL. N. 6.* *D. Devonsh.*

Inſignis hic, atque unicus numus, Tyanis Cappadociæ ad Taurum montem ſitæ urbi adtribuendus eſt, de qua ſuperius ad numum VIII Severi pag. 311 tractavi. Adnotatæ ſunt hujus urbis monetæ inter *Vaillantii* Græcas ſub Nerone, Hadriano, Antonino Pio, M. Aurelio, Commodo, & Severo, in quibus fere omnibus typus averſæ cum

Tt noſtro

noſtro conſentit, obſervantur præterea in his non ſolum tituli: Sacræ, Inviolabilis, ſuis legibus utentis, ſed anni etiam ejus imperatoris, cujus caput præferunt, Ægyptiorum more conſignati; Coloniam vero fuiſſe, ut præſens numus demonſtrat, nec ex veteribus monumentis, nec ex ſcriptoribus in hanc diem noveramus.

Jus hoc ab Caracalla obtinuiſſe Tyanenſes, perſuadet agnomen Antoninianæ urbi, ut in hoc legimus, adjectum, qui XVI hujus imperatoris, atque adeo V. C. anno 967 altero circiter poſt mortem Severi percuſſus fuit. Mulier in poſtica parte rupi inſidens urbis eſt Genius, denotatque etiam ſtagnum, de quo in hæc verba Ammianus: L. XXIII c. 19. *Apud Asbamæi Jovis templum in Cappadocia, ubi ampliſſimus ille philoſophus Apollonius traditur natus, prope oppidum Tyana ſtagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus, ſe ſeque reſorbens, nunquam extra margines intumeſcit.* Niſi forſan, & probabilius quidem, monetarii de montoſo urbis ſitu nos edocere voluerint.

D. Devonsh. XII. Caput ejusdem barbatum, & laureatum. M. ANTONEINOC.)(Luna cum aſtro. ΚΑΡΡ. ΚΟΛ. ΜΗΤΡΟΠ. *Carrhenorum Col. Metrop.* Integrum ſed rude opus. *Tab. XL. N. 7.*

Diverſus eſt hic ab iis numis, quos *Vaillantius* inter colonias ſub Caracalla vulgavit; explicationem apud eundem autorem legeſis.

XIII. Caput ſimile. M. AV. ANTONINVS. PIVS. AV.)(Paſtor ſtans præ antro, cui Sibyllæ ſignum inſi-

inſiſtit, a tergo paſtoris cervus ſaliens: COL. AVG. TROA. Numus ſine ætatis vitio. Ex cimeliis equitis *Roberti Sutton. Tab. XL. N. 8.*

In hujus numi averſo typo nusquam edito ſiſtitur nobis Sibylla Herophile, etiam Marpeſſia, Erythræa, Phrygia & Trojana dicta. Plenam adcuratamque explicationem ſignorum ſua de ea narratione nobis reliquit Pauſanias; refert ſcilicet, illam ex Erythræorum ſermone paſtoris Theodori fuiſſe filiam, quem ipſum in numo exhiberi arbitror; matrem etiam Idæam fuiſſe addit, a qua in antro Coryci montis, quod ipſum in cælatura expreſſum, fuerat edita. Idem autor dum ſcribit, dictam Sibyllam ex ſaxo oracula fudiſſe, figuram ſaxo inſiſtentem itidem inluſtrat. Cervi etiam ratio ex Pauſania hauriri poteſt; ait enim: ipſam ſe ſuis in carminibus Dianam, non nunquam etiam Apollinis conjugem ceciniſſe. *L. X. c. 12.*

Herophile hæc, quæ de Trojæ excidio vaticinata erat, magna vitæ parte in Samo inſula exacta Clarum, Delum, & Delphos adivit, mortua tandem in Troade, ubi ejus ſepulcrum in luco Apollinis Sminthei conſtitutum, cujus templum, dum viveret, non curavit ſolum, ſed multos etiam in ejusdem numinis laudem hymnos cantavit. Aliqua ejus carmina, atque etiam epitaphium ibidem nobis conſervavit Pauſanias. Omitto de Troade urbe, eam etiam Antigoniam & Alexandream dictam, factam etiam ab Auguſto coloniam; hæc enim omnia fuſius erudititiſſimus *Vaillantius* in pulcerrimo ſuo, & utiliſſimo de coloniis libro jam eſt perſecutus.

Digitized by Google

D. Devonsh. XIV. Α. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imp. Caſ. M. Aur. Antoninus.* Caput ſimile.)(CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. circa coronam, in qua ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΙ. ΕΠΙ. CΤΡΑΤΗ. ΤΙΒΕΡΙΟΥ. ΚΛ. ΚΡΗΤΑΙΝΤ. *Smyrnæorum*, qui *Primi* ex *Aſia* tertium ſunt *Neocori*, templorum vel certaminum *Auguſtorum Pulcritudine & Magnitudine ſub Prætore Tiberio Claudio Cretenſi.* Numiſma majus ex ære rufo & flavo conpoſitum, beneque conſervatum eſt granorum 816. *Tab. XL. N. 9.*

Numus hicce & a P. Harduino, & a *Vaillantio* productus eſt, verum aliquantum diverſus ab eo, quem deſcripſi. Conſulatur de his Harduinus; Interpretationem Latinam eam eſſe, cui non facile aliquid obponatur, exiſtimo. (196)

TA-

(196) Mihi tamen non unum aliquid, ſed plura, nec levis momenti opponenda ſe ingerunt. Non probo primum τὸ *Cretenſi*, cum quia patria magiſtratuum in numis non ſolet adjici, tum quia & apud indicatum Harduinum præter illum alii etiam legerunt ΚΡΗΤΑΡΙΟΥ *Cretario*, idem quoque in ejuſdem urbis numo magiſtratus nomen profertur in muſeo Theupoli *pag.* 984; & in Haymiano numiſmate facile litera Ρ eadem, quam in ſuperiore epigraphes linea indicaverat, lacuna involvi potuit, quin, ſi ſpatia dimetiamur, citra omne dubium involuta fuit.

Non placet deinde interpretatio nimis quam Harduiniana, qua & τὸ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ad ΠΡΩΤΩΝ refertur, & τὸ ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΙ vage nimis fluctuat, ut dubites, an ad

Pri-

Digitized by Google

TABULA XLI.

XV. Caput idem. ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. CΕΥΗΡΟC. *D. Devonſh.*
Tt 3

Primos, an ad *templa*, vel *certamina* ſit referendum. Quod illud adtinet, ſcio, ab illuſtriſſimo Spanhemio *Tom. I. Diſſert. IX. c.* 4. §. 3 & 4 ex Ariſtidis oratione ſatis adcurate conprobatum eſſe, ΠΡΩΤΕΙΟΝ ſeu primatum, de quo Epheſus, Smyrna, & Pergamus litigabant, templa & ludos ſpectaſſe potiſſimum; Mihi tamen dubium non leve oritur, an non, dum titulo ΠΡΩΤΗΣ, vel ΠΡΩΤΩΝ adjungitur provinciæ nomen ΑΣΙΑΣ, aliud aliquid deſignari debeat. Pergamenorum numiſma majoris formæ communi cum Frœlichio labore a me editum eſt *Cimelii Auſtriaci T. II. Tab.* 59. cujus averſa in ſcuti formam undique conſcripta inſignem hanc habet epigraphen: Η. ΠΡΩΤΗ. ΤΗΣ. ΑΣΙΑΣ. ΚΑΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΠΡΩΤΗ. ΚΑΙ. ΝΕΟΚΟΡΟΣ. ΠΡΩΤΗ. ΤΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. *Prima Aſiæ, & Metropolis Prima, & Æditua Prima Auguſtorum.* Fruſtra hic primum Πρώτη Haymius cum Harduino ad æditTuos auguſtorum detrahet, qui eodem adpoſito jam cohoneſtantur.

Ad alterum venio; In quatuor Oxonienſium marmorum, ſcilicet II. LXXIIX. CXLIII & in adpendice XV Smyrnæ conſtitutorum titulo: Η. ΠΡΩΤΗ. ΤΗΣ. ΑΣΙΑΣ. illico ſubjicitur: ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. tam conſtans in publicis monumentis ſtilus perſuadet, aut errore ſcalptoris monetarii, etiam in vocabulo ΜΕΓΕΘΙ lapſi, poſt ΠΡΩΤΩΝ. ΑΣΙΑΣ omiſſum: ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ intruſum hic fuiſſe, aut illud ΤΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ explicari hic debere: *Venerabilium pulcritudine, & magnitudine*, atque ideo forſan ab ΝΕΩΚΟΡΩΝ ſeparatum intra coronam poſitum fuerit, ne huic adjungeretur; Similem ſane titulum in numo Syedrenſium habemus, quæ ſe CEMNHN inſcripſit.

POC. ANTΩNEINOC. CEB. Π. Π. *Imp. Caeſ. M. Aur. Severus Antoninus. P. P.*)(Coloſſus in medio duorum templorum. TAPCOY. MHTPO. KOINOBOYΛI-ON. - - YHP. ANTΩNEINOYΠOΛ. Γ. B: *Reſpublica Tarſi Severianæ Antoninopolis Metropolis. Decreto Senatus.* Utraque laude præſtat. *Tab. XLI. N. 1.*

In coloſſo urbis Tarſi Ciliciæ metropolis Genium intueor; duo templa aut honoribus Caracallæ & Getæ, aut Severi & Caracallæ erecta fuerint.

PLAUTILLA.

I. Capita Caracallæ laureatum, & Plautillæ adverſa. AY. M. ANTΩNINOC. ΦOYΛBIA. ΠΛAYTIΛΛA. *Imp. M. Antoninus. Fulvia Plautilla.*)(Venus & Æſculapius ſtantes. KNIΔIΩN. *Cnidiorum.* Conſervationis bonæ ex muſeo *D. Richardi Edgecumbe.* *Tab. XLI. N. 2.*

De Cnido Cariæ urbe actum fuit pag. 142. Erat ibidem Veneris cultus celeberrimus, ut Plinius pluribus narrat, contendens etiam deæ ſtatuam, artis prodigium, a Praxitele fuiſſe ſcalptam; conſulatur etiam Pauſanias. Quare eandem hoc in numo ad amuſſim, & quidem eo geſtu & corporis habitu, qui ex balneo prodeuntem referret, repræſentatam fuiſſe arbitror. Qui eidem adſiſtit, Æſculapius in monetis Cnidiorum typus eſt inſolens; quia tamen cives leguntur ludos in Nympharum, Apollinis, & Neptuni honorem celebraſſe, probabile videtur, nec Æſculapium utpote Apollinis filium ſuis aris caruiſſe.

L. XXXVI. cap. 5.
L. I. c. 1.

II.

II. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. ΝΕΑ. ΘΕΑ. ΗΡΑ. *Plautilla Nova Dea Juno.* Caput ejuſdem.)(ΑΛΙΝΔΕΩΝ. ΑΡΧ. ΜΟΥ. ΔΟΥΛΙ. *Alindenſium ſub Prætore Mucio, vel Muciano Duliadi filio.* (197) Hercules juvenis ſtans ab imminente humeris Victoria coronatur. Integer, cælaturam bonam nigra mineralis cruſta contegit. *Tab. XLI. N. 3.* *D. Devonsh.*

Præclarum hoc numiſma inluſtrius faciunt tituli Plautillæ adtributi, neque in altero aliquo obſervati; etſi monetæ hujus urbis ſint alioquin rariſſimæ, quippe unicam ſub Auguſto protulit *Vaillantius*, quæ in averſa arcum, pharetram, & clavam Herculis inſtrumenta exhibet. (198) Alindorum Cariæ urbis ſuperius memini pag. 162. de hac Arrianus, dum de Ada Cariæ regina ſcribit, hæc ſubjicit: *Ada vero unum oppidum Alinda tenuit munitiſſimum Cariæ,* & paullo inferius: *Alexander Alinda ei* (Adæ) *conceſſit.* *L. I. Exped. Alex.*

Etſi, ut ex numis adparet, Herculem præcipua religione venerabantur Alindenſes, hoc tamen in Herculis ab Victoriola coronati ſigno ipſiſſima Caracallæ vultus lineamenta ſunt efficta, ut Ælii Spartiani de hoc imperatore verba ſequentia conmemorationem mereantur: *Excepit apros frequenter, contra leonem etiam ſtetit, quo etiam miſſis ad amicos literis gloriatus eſt, ſeque ad Herculis virtutem acceſſiſſe jactavit.*

(197) Neſcio, unde tam adfirmate parentem hunc Mucio fecerit Haymius, id mihi ceterum certum, *Duliadis* ſcribendam fuiſſe potius.

(198) Alium protulit muſeum Theupoli ſub Annia Fauſtina.

Digitized by Google

ſtavit. Cedo jam, an adcommodato magis poſticæ partis typo ſuum ei obſequium conteſtari potuiſſent cives?

D. Devonſh. III. Caput ſimile. ΦΟΤΛΒΙΑ. ΠΛΑΤΤΙΛΛΑ. CEB.)(Nemeſis ſtans. ΑϹΩΠΕΙΤΩΝ. *Aſopitarum.* Sine omni ætatis vitio. *Tab. XLI. N. 4.*

L. VIII. A nemine, quod ſciam, moneta hujus in Peloponneſo populi producta, imo nec indicata quidem fuit, nomen illi ab Aſopo fluvio, teſte Strabone: *Aſopus præterfluit Sicyoniam, & Aſòpiam regionem, quæ Sicyoniæ eſt portio, diſtinguit.* (199)

GETA.

---

(199) Infeliciter admodum Haymius in hunc Strabonis locum, atque regiunculam, quam forſan pecora potius, quam homines incoluerant, incidit; Si eodem in libro paullo anterius nempe *pag.* 364 inveſtigaſſet, legiſſet urbem eſſe ejusdem quidem Peloponneſi non in Achaia tamen, ſed in Laconica. Εςι δὲ καὶ Ασωπὸς πόλις ἐν τῇ Λακωνικῇ. Pauſanias vero conſultus præter ſitum alia indicaſſet etiam, ita enim *L. III. cap.* 21. Τὰ δὲ ἐπέκεινα Γυθεία πρὸς θαλάσσῃ Ασωπος, Ακριαί. κ. τ. λ. *Ultra vero Gytheum ad mare Aſopus, Acriæ* &c. Adcuratius multo ejus ſedem determinat *cap. ſeq.* Τὰ δὲ μὲν ἀπὸ Ακριῶν ἄνω πρὸς ἤπειρον. Τὰ δὲ πρὸς θαλάσσῃ· πόλις Ασωπὸς Ακριῶν ἀπέχει ςαδίους ἑξήκοντα, ἐν αὐτῇ δὲ ναός τε Ρωμαίων βασιλέων - - - - - καὶ Αθηνᾶς ἱερόν ἐςιν ἐν τῇ ἀκροπόλει Κυπαρισσίας ἐπίκλησιν, Cujus loci initium peſſime ita interpretatus eſt Amaſæus: *Ab Acriis tam in mediterranea, quam a maritima parte ſtadia abeſt LX oppidum Aſopus.* Cum contra hæc fit ſincera Pauſaniæ ſententia: *Hæc quidem loca* (de quibus egerat) *in mediterraneis ſita obcurrunt, ſi ab Acriis in continente adſcenditur; Si quis vero littus ober-*

GETA.

I. Λ. Π. ΣΕΠ. ΓΕΤΑΣ. ΚΑΙΣ. *Lucius, Publius* (200) *Sept. Geta Caeſ.* Caput illius nudum.)(ΚΟΙΝ. ΠΟ. ΝΕΟΚΑΙ. ΜΗΤΡΟ. ΕΤ. ΡΜΒ. *Conventus Pontica Neocæſareæ Metropolis Anno* CXLII. Templum tetraſtylon &c. *Tab. XLI. N. 5.* *D. Devonsh.*

II. Epigraphe, & caput idem.)(Inſcriptio eadem, fere ſimile. ΚΟΙΝ. ΠΟ. ΝΕΟΚΑΙΣ. ΜΗΤΡΟ. ΕΤ. ΡΜΒ. Utriusque cælatura mediocris, conſervatio bona. *Tab. XLI. N. 6.* *D. Devonsh.*

De Neocæſarea Ponti ſuperius ad N. XIIII. Severi cum eadem epocha editum pag. 315 aliquid adtigimus. P. Harduinus contendebat æræ initium ductum fuiſſe a primis annis imperii Veſpaſiani, aſt non parum hallucinatus, ipſe ſibi ſpongiam adhibuit editione altera in folio: *Vaillantius* exordium refert ad annum V. C. 815, verum abs- *De Pop. & Urb. in 4to.*

Vv que

---

oberrat, LX ab Acriis diſſitum oppidum Aſopum adtinget, in quo templum Romanis imperatoribus dedicatum - - - - - Eſt etiam in arce ædes Minervæ, dictæ Cypariſſiæ. In hujusmodi ſane urbe templis & gymnaſio ornata tutius, quam in campis vix uno alterove vico frequentibus officina monetaria, & quidem, quæ Auguſtæ effigie inſignem numum procuderat, conſtituetur.

(200) Cum in aliis numis Getam jam Lucii, jam Publii prænomen habere miremur, id quod magis mirum, utrumque ſcilicet in eodem numo conjungi, adnotatione Haymii ſane dignum fuiſſet.

que dubio cœpiſſe non poterat ante annum V. C. 817.
Cap. 18. poſt X. 64, quia Suetonius in Nerone hæc habet: *Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in provinciæ formam redegit;* Id quod paullo poſt evenit, quam Tiridates Romam adtigiſſet diadema a Nerone obtenturus ejus imperii anno undecimo, ineunte conſulatu
L. XV. c. C. Lecanii Baſſi, & M. Licinii Craſſi, quod idem ex Ta-
29 *ad* 33. cito conficitur.

Hinc conſequitur, numos hos Getæ ſignatos fuiſſe anno V. C. 958, quo necdum auguſti titulus ei adceſſerat; dif-
Pag. 118. ferunt etiam a *Vaillantii* moneta, non ſolum ob omiſſam anticæ epigraphen, ſed etiam, quia in illius poſtica Π deſideratur, & denique ob figuram paludatam, quam is in templo viderat, ubi in altera noſtrarum, quæ eſt nitidiſſima, ſola protome Solis ſupra aram luculentam conparet, quod templum Soli dedicatum fuiſſe perſuadet. Sæpius jam monui, literam B non nunquam ut R Latinum formatam inveniri, ut cum ex his numerorum characteribus, tum ex numo Alabandenſium III inter Caracallæ monetas pag. 322 relato liquet.

D. Devonsh. III. - - - CΕΠ. ΓΕΤΑC. CΕΒ. - - - *Sep. Geta Aug.* Caput illius radiatum.)(ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.·ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Perinthiorum Æedituorum Philadelphia.* Togati duo dextras jungunt. Numus integer. *Tab. XLI. N. 7.*

Numum hunc a Vaillantio etiam deſcriptum feriit Perinthus Thraciæ urbs ad Propontidem, de qua alias; Cives certamina Philadelphia in honorem concordiæ inter Cara-

Caracallam & Getam, qui dextris junctis in averſa repræſentantur, ediderant. (201)

IV. Getæ juvenile & nudum caput. CEПTI. ΓETAC. KAI.)(Mons Argæus aſtro inminente adſtitutis utrinque palmatis ludorum urnis. KOINON. KAICAPIA ſic MHTPOП. ET. IΔ. ΦIΛAΔEΛΦ. *Conventus. Cæſareæ Metropolis Anno XIV. Philadelphia.* Bono artificio, parique conſervatione laudabilis. *Tab. XLI. N. 8.* *D. Devoush.*

Cæſarea Cappadociæ oppidum, olim Mazaca numis ſub imperatoribus bene multis procuſis ut inclaruit, ita ſe per repræſentatum ſibi vicinum Argæum montem ab aliis ejusdem nominis diſtinxit. Certaminum Philadelphiorum honoribus Caracallæ & Getæ V. C. 960, qui Severi erat XIV, celebratorum, ut in ſuperiore fit mentio, id quod numum rariorem reddit, cum nemo antiquariorum hos ludos hac in Cæſarea actos conmemoraverit.

V. П. CEПT. ΓETAC. KAI. Caput idem nudum.)(BAΓHNΩN. EПI. ΓAIOΥ. APX. *Bagenorum Sub Cajo Summo Sacerdote.* Integerrimus. *Tab.* XLI. *N. 9.* *D. Devoush.*

Nullus hujus urbis numus ſub imperatoribus adnotatus eſt a *Vaillantio* præter unicum ſub Geta ipſo, eodem

(201) Quia tacet Haymius cauſam iterum producti numi, neque aliquid in poſtica diverſi video, arbitror id factum, ut caput radiatum Getæ lineari etiam pictura ſiſteretur.

Digitized by Google

De Pop. & Urb. edit. in 4to. p. 86. quidem cum magiſtratu, ſed typo diverſo. P. Harduinus alium cum hac anticæ epigraphe: ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ, poſticæ vero: ΒΑΓΗΝΩΝ. ΕΡΜΟC. protulit, unde adparet, eam fuiſſe Lydiæ urbem. Vide, quid de illa laudatus Pater, item *Vaillantius* pag. 194.

D. Devonsh. VI. Caput ſimile. Λ. CΕΠ. ΓΕΤΑC. ΚΑΙ. *L. Sep. Geta Cæſ.*)(Bacchus ſtans. ΗΡΑΚΛΗΑC. ΠΟΝΤΩ. *Heracleæ in Ponto.* Bene ſervatus. *Tab. XLI. N. 10.*

Pag. 141. Heracleam Ponti tyrannorum ſedem tomo noſtro primo excuſſimus. Quinque hujus oppidi monetas ſub Geta protulit *Vaillantius*, ſed non typis ſolum poſticæ partis, verum inſcriptione etiam diverſas, in illis quippe legitur: ΗΡΑΚΛΕΙΑC. ΕΝ. ΠΟΝΤΩ. (202)

MACRINUS.

I. Caput Macrini laureatum. - - - - MACRINVS. AVG.)(Aquila alis expanſis ſtans. COL - - - P. C. CAESAR. in area S. P. Q. R. Æneus boni quidem artificis, ſed vitiatus. *Equitis Roberti Sutton.* *Tab. XLI. N. 11.*

Cuſos in coloniis Macrini numos æris majoris rariſ- ſimis

(202) Liquet hinc lapſus duplex cælatoris monetarii, atque ille præcipuus, quo EN omiſſum fuit in præſente numo, neque enim regio dandi caſu ſine præpoſitione indicari poteſt ſalvis grammaticæ legibus.

Digitized by Google

ſimis adcenſet *Vaillantius*; Neque hic Cæſareæ Palæſtinæ lucem hactenus viderat, etſi ſimilis typus ſub Elagabalo, & Alexandro Severo reperiatur, ubi apud laudatum autorem explicationem præſentis erues. Neque prætereundæ ſunt literæ PC in averſæ epigraphe, quæ cum titulis hujus coloniæ in numis ſignari ſolitis non congruunt, deſiderandus ergo magis integer, ut ex literis præcedentibus, quæ his duabus ſententia ſubſit, conjiciatur. (203)

Colon. T. I. pag 134 *&* 135. *T. II. p.* 63, 77 *&* 116.

TABULA XLII.

II. ΑΥΤ. ΚΑ. Μ. ΟΠΕ. ΣΕΡ *ſic* ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ. *Imp. Cæſ. M. Opel. Sever. Macrinus.* Caput illius laureatum.)(ΣΕΥΗ. ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗΣ. ΜΗΤΡ. ΤΑΡΣΟΥ. *D. Devonsh.*

(203) Exiſtimo illud C aliquando caudatum fuiſſe, atque pro S habendum, quemadmodum in numis Macrini Laodiceæ percuſſis demonſtravit Cl. Belley *T. XXIII. de l'Acad. des Inſcript. & bell. lett. Hiſt. p.* 168; Sicut ergo ibi Ç. M. Ç legendum: *Colonia Metropolis Syriæ*, ita in præſente numo præceſſiſſe opinor: METR. P. P. Ç vel PÇ hac ſententia: *Provinciæ Palæſtinæ Syriæ*, vel ſolum: *Palæſtinæ Syriæ*, continuandam lectionem *Cæſarenſis* non vero *Cæſarea*. Scripſeram hæc, cum non ſine voluptate conſulto muſeo Theupoli conjecturam meam confirmatam reperi in numo Voluſiani eadem in urbe flato, atque ita inſcripto: COL. P. FL. CAES. MET. PR. S. PAL. quæ epigraphe citra controverſiam ita conplenda & explicanda: *Colonia, Prima, Flavia, Cæſarenſis, Metropolis, Provinciæ Syriæ Palæſtinæ.*

Digitized by Google

A. M. Γ. B. *Severianæ, Macrinianæ Metropolis Tarſi Primæ Solius Decreto Senatus.* Genius nudus ſtans d. ſpicas ſ. cornu copiæ. Conſervationis mediocris. *Tab. XLII. N. 1.*

Virum nudum Genium urbis Tarſenſis exiſtimo, de qua actum fuit alias; Ex numo præſente diſcimus, eam a Macrino agnomen Macrinianæ adſumſiſſe, præterea in area conſpiciuntur literæ A. M. ſine K (ego ſane K non video, neque tamen obfirmatus contendam, literam hanc non aliquando adfuiſſe) quæ ſane interpretationem Harduini nempe Αμφολέρας Κιλικίας non ferunt. Vide quid de his ſiglis *Pag.* 277. dictum tomo noſtro primo.

D. Devonsh. III. Caput laureatum ejusdem. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠ. CE. ΜΑΚΡΙΝΟC.)(Victoria gradiens. ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΕΤ. Ρ. Μ. Γ. *Flaviopolitarum. Anno CXLIII.* Undique mediocris. *Tab. XLII. N. 2.*

Flaviopolis in Cilicia verſus Tauri juga inter Pyramum, & Sarum fluvios ſita duo de viginti leucis Anazarbo aberat. Æra hujus urbis ex *Vaillantii* opinione anno V. C. 827 cœpit, dum nempe Cilicia a Veſpaſiano in provinciam redacta erat, quare præſens numus monetarium natalem V. C. anno 970 habuit; moneo tamen literam Γ tam male eſſe adfectam, ut certa non ſit.

Victoriam averſæ partis ad bellum contra Artabanum Parthiæ regem a Macrino geſtum refero, quam in rem Julius Capitolinus ita: *Pugnavit tamen & contra Parthos, & contra Armenios, & contra Arabas, quos Eudæmonas vocant,*

non

Digitized by Google

non minus fortiter, quam feliciter. Bellum cum Parthis cædem Caracallæ mox eſt conſecutum, tribus diebus pugnatum eſſe refert Herodianus, eo fructu, ut etſi fuſi non ſunt Parthi, ad pacem tamen conpulſi fuerint, ut res ſpeciem haberet, hoſtes Romanis formidandos, Parthos a Macrino victos. *L. IV & V.*

MACRINUS & DIADUMENIANUS.

ATT. K. M. OΠ. CET. MAKPINOC. K. ANTΩNINOC. *Imp. Cæſ. M. Op. Sev. Macrinus, Cæſ. Antoninus.* Capita Macrini radiatum, & Diadumeniani nudum adverſa.)(AIΓEΩN. Θ. MAKPINOΠ. M. ETΓ. Π. ΔΞC. *Ægenſium Maritimæ Macrinopolis. M. Eugenius* (204) *Pius. An. CCLXIV.* Nec minimum adtritus. *Tab. XLII. N. 3.* *D. Devonsh.*

Ne congruum ſeriei ordinem turbaremus, coacti fuimus tres, qui adſunt, Ægæarum numos præſtantiſſimos ſane ſeparare, explicatio, quæ huic trigæ conveniat, ad numum IV Diadumeniani dabitur.

DIADUMENIANUS *ſolus.*

I. Caput ejus nudum. M. OPEL. ANT. DIADVMENIAN. CAES.)(Luna in bigis. LVNA. LVCIFERA. *D. Devonsh.*

(204) Legendum eſſe Eugenes docet numus Alex. Severi apud Vaillantium p. 134 ubi nomen totum ita ſcalptum EYΓENEOYC, apud Harduinum p. 10 EYΓENOYC.

Digitized by Google

RA. Subæratus argenteus, ſed integerrimus. *Tab. XLII. N. 4.*

Hiſt. Deor. Syntag. XII. pag. 493.

Abeſt hic numus tam ex conlectione comitis Mezzabarbæ, quam aliorum quorumvis; Explicationem ſequentibus verbis eruditiſſimus Lilius Gyraldus ſubpeditat: *Luna, ut idem ait interpres Arati, bigas dicitur habere, ſive propter velocitatem, ſive pro eo, quod nocte, & die apparet. Ideo unum equum album, & alium nigrum habere dicitur.* Suſpicari quis poſſet, monetarios, quia Luna Endymionis amoribus erat inplicita, hoc averſæ typo Diadumeniani pulcritudinem ſub aliena ſpecie conmendare voluiſſe; talis etenim nobis Lampridii ipſis verbis expingitur: *Puer fuit omnium ſpecioſiſſimus, ſtatura longiuſcula, crine flavo, nigris oculis, naſo deducto, ad omnem decorem mento conpoſito, ore ad oſcula parato: fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic ubi primum indumenta coccea, & purpurea, ceteraque imperii inſignia accepit, quaſi ſidereus, & cœleſtis emicuit, ut amaretur ab omnibus gratia venuſtatis.*

D. Devonsh.

II. MA. ΟΠ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. K. *Marc. Op. Antoninus Cæſ.* Caput ejus nudum cum duabus notis incuſis, quarum altera cornu copiæ, parvum caput altera exhibet.)(ΑΙΓΑΙΩΝ. Θ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΥΠ. Μ. ΕΥΓ. Π. *Ægænſium Maritimæ Macrinopolis. M. Eugenius Pius.* Capra. Boni artificii. *Tab. XLII. N. 5.*

Explicationem, ut ſuperioris tantiſper differo, unico numo interpoſito.

III.

III. Caput ſimile. M. ΟΠΕΛ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟC. ΚΑΙ. *M. Opel. Antoninus Diadumenianus Caſ.*)(Imperator ſtans coronatur a figura muliebri ſ. cornu copiæ gerente. (205) ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝ. CΑΓΑΛΑCCΕΩΝ. *Lacedæmon. Sagalaſſenſium.* Mediocrem cælaturam optima conſervatio conpenſat. *Tab. XLII. N. 6.* *D. Devonsh.*

Quæ lucem huic numo adfundant, quærantur in Græcis *Vaillantii*, ubi unicum M. Aurelii numiſma cum harum duarum urbium concordia profert. *Pag. 229.*

IV. M. ΟΠΕΛ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. Caput idem.)(ΜΑΚΡΙΝΟΥΠΟ. ΕΓΕΩΝ. *ſic* ΜΑ. ΕΥΓ. ΠΙΟC. ΓΞC. *Macrinupolis Egenſium Mar. Eug. Pius. An. CCLXIII.* Mercurius ſtans cum capra. Utramque laudem habet. *Tab. XLII. N. 7.* *D. Devonsh.*

Hic tandem trium Ægæenſium monetarum ſcilicet hujus, alterius cum capitibus jugatis, & II ejusdem cæſaris, ut promiſeram, explicatio conſequitur. Ad Ægæas Ciliciæ maritimum oppidum ſunt referendæ, de quo pluribus agit *Vaillantius* in Græcis imperatorum: primum docet, æræ initium a beneficio Julii Cæſaris anno V. C. 707 in Ægæenſes conlato eſſe deductum; ibidem deinde rationem nominis a capra, quam Græci Αἰγὰ dicunt, derivati, dat, quod *Pag. 240 & ſeqq.*

Xx animal

---

(205) Habitus, & adjuncta ſuadent, Principem juventutis, ſeu Diadumenianum ipſum coronari.

animal etiam in duorum noſtrorum averſis partibus eſt cælatum. Denique epigraphen numorum hujus urbis ſub Macrino, & Diadumeniano ita interpretatur: M. ΕΥΓ. Π. Θ. Μάρκȣ Ευγενȣ̃ς Πανηγυριςȣ̃ Θεῶν. *Marco Eugene Panegyriſta Deorum.*

Pag. 120 & 124.

Verum hanc lectionem tres noſtri numi liquidiſſime convellunt, cum enim illorum primus literam Θ inter duo urbis nomina inſertam habeat, oſtendit, nequaquam magiſtratui, ſed urbi ipſi agnomen inde incipiens eſſe adtribuendum, quare Θ indicare exiſtimo adpoſitum Θαλασσίης ſeu *Maritimæ*, ad quam conjecturam confirmandam, videſis Alexandri Severi numos (206) in quibus Ναυαρχίδος *claſſicæ* titulum urbs præfert. Præterea a tertio numiſmate, in quo: M. ΕΥΓ. ΠΙΟC. *M. Eug. Pius*, coactus, legere nequaquam cum *Vaillantio* poſſum *Panegyriſta*. Emendandus etiam Harduinus ex his noſtris, quippe qui neque magis ejus lectionem obtinere clare oſtendunt. Conplura de his dicenda forent præterea, quæ tamen brevitatis ſtudio prætermitto.

ELA-

(206) Nec Vaillantius, nec Harduinus numum cum hoc titulo profert, atque ille quidem diſertis verbis pag. 215 Ægæas eum primum Gordiani permiſſu habuiſſe adſerit; his cum fere uſus fuerit Haymius, neque ipſe conſultis recentius editis conlectionibus in Ægæenſi ære *claſſicæ* honorem legerim, calami lapſum hic interceſſiſſe, atque Alexandrum pro Gordiano ſcriptum fuiſſe arbitror.

Digitized by Google

ELAGABALUS.

Caput Elagabali laureatum. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩ. - - - - *Imp. M. Aur. Anto.* - - - -)(ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΩ. *Nicopolitarum ad Iſtrum.* intra lauream. *Tab.* XLII. *N.* 8. *D. Devonsh.*

Nicopolis hæc Mœſiæ inferioris ad Iſtrum fluvium, hodie Danubium, de qua ita Ammianus Marcellinus: *Anchialos capta, & tempore eodem Nicopolis, quam indicium victoriæ contra Dacos Trajanus condidit imperator.* Urbis hujus numi ſub imperatoribus bene magno numero reperiuntur. *L.XXXI cap.* 16.

ELAGABALUS & JULIA SOEMIAS.

Capita adverſa. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. ΑΥΓ. ΙΟΥ. - - - ΑΥΓ. *Imp. C. M. Aur. Antoninus Aug. Jul.* - - - *Aug.*)(Serpens in ſpiras plexus. ΥΠ. ΙΟΥΛ. ΑΝΤ. CΕΛΕΥΚΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Ε. *Sub Julio Antonio Seleuco Marcianopolitarum. an. V.* Boni ſcalptoris, atque cetera bene ſervatus. *Tab.* XLII. *N.* 9. *D. Devonsh.*

Capitis muliebris juvenilis vigor mihi perſuadet, ut Juliam Sœmiadem Elagabali matrem potius, quam Juliam Mæſam aviam repræſentari exiſtimem, quamvis, quia neutrius nomen legitur, adfirmate pronunciari poſſit nihil. De Marcianopoli Mœſiæ oppido tractaveram occaſione numi Marcianæ inſcripti *pag.* 270. Præſens ultimo anno Elagabali eſt ſignatus. Serpens, qualis inferius in numo

 Ale-

Digitized by Google

Alexandri Severi videbitur, ad Æſculapii cultum deſignandum pertinet.

TABULA XLIII.

JULIA MÆSA.

D. Devonsk. I. Protome Mæſæ ſub Cereris ſpecie; nota in area incuſa parvulum caput cum literis ΠΟ, quæ Pontum denotant (207) exhibet: in orbem numi: ΙΟΥΛΙΑΝ. ΜΑΙ-ϹΑΝ. ϹΕΒΑϹ. *Juliam Mæſam Auguſt.*)(ΑΜΑ-ϹΤΡΙΑΝΩΝ. *Amaſtrianorum.* Juppiter & Juno ſtantes in corona duodecim Zodiaci ſignorum. Artificii elegantis, integerrimus. *Tab. XLIII. N. 1.*

Amaſtris Paphlagoniæ mari ad Parthenii oſtia vicinum, Pontoque adſcriptum oppidum multis ſub imperatoribus cuſis monetis ſatis innotuit. Civium præcipua numina fuerant *Juppiter Imperator*, & ΗΡΑ *Juno*, ut ex numis a *Vaillantio* ſub Antonino Pio *pag. 41* & Fauſtina ſeniore *pag. 48* liquet; hoc typo, quo eadem hæc numina

---

(207) Neque ſi mos, qui nullus erat, apud Amaſtrianos obtinuiſſet, regionem adſcribere, arbitror lapſum obliti monetarii per notam incuſam, capite inſignem, reſtituiſſent; cum præterea notæ ejuſcemodi ad monetæ valorem vel augendum, vel minuendum fuerint adhibitæ potiſſimum, præſtabat de literis ΠΟ tanquam de problemate vix ſolubili, cujusmodi plura in numis obcurrunt, ignorantiam fateri.

Digitized by Google

mina duodecim ſignorum circulo incluſerunt, ſatis conteſtati ſunt, Jovem & Junonem ſe præcipuo præ toto cœleſti orbe cultu veneratos.

Cum litera H, quæ in inferiore monetæ ſegmento videtur annum VIII deſignare non poſſit, quia Mæſa teſte Herodiano paullo poſt Elagabali cædem ſenectute obpreſſa *L. VI.* obiit, per eam velut primam literam nomen urbis Heracleæ continuandum ſuſpicor, a qua nempe Amaſtriani originem ſuam trahebant, neque enim aliunde nomen illis inditum, quam ab uxore Dionyſii Heracleæ tyranni (208) conſule de his tomum I. pag. 141 & ſeqq.

II. Caput Mæſæ. ΙΟΥΛΙΑ. ΜΑΙC. - - - Β. *Julia Mæſa Aug.*)(Mulier ſtans ſingulas icunculas utraque manu gerens. ΕΠΙ. Γ. CΥ. ΒΟΥΛ - - - ΜΑΓΝΙΤΩΝ. (209) *Sub Scriba Su. Bul - - - Magneſiorum.* Cælatura bona, ætate vitiata. Ex cimeliis equitis *Roberti Sutton. Tab.* XLIII. *N.* 2.

Magneſia hæc ad Mæandrum, Epheſo vicina, diverſa

 eſt

(208) Etſi regiones, notæ jam urbis nomine adſcripto per literam unicam indicentur, nunquam tamen tam incerto indicio, præſertim ſi ſpatium, ut hic, abundat, oppida ipſa in officinis deſignabantur, ſi Achaicarum monetarum ſiglas excipias, quare monetarii eſſe notam, aut ſi Harduinus eſſem Ηλιον *Solem* in Zodiaco indicari mallem.

(209) An non hinc ſtabilire quis poſſet, ineunte ſeculo III pronunciationem literæ H ſono vocalis I jam invaluiſſe alicubi? ſecus enim, ſi erraſſet formæ ſcalptor, E ſubſtituiſſet potius.

Digitized by Google

eſt ab ea, quæ a Sipylo cognomen habet, atque indicio ſitus ad hunc montem ſemper ſe ab hac noſtra in numis diſtinguit. Ea, cui numum tribuo, inter tredecim inluſtriores Aſiæ urbes eminentem locum obtinuit, quem etiam in elegantiſſimo Gordiani Pii numiſmate nobis indicavit hac epigraphe: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΕΒΔΟΜΗ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ. *Magneſiorum Septima Aſiæ.*

Præcipua religione quidem cives Dianam Leucophrynen proſequebantur, in præſente tamen averſa parte, ſi melius foret conſervata, atque icunculæ, quas ſignum muliebre ſtans manibus tenet, certius diſtingui poſſent, ſcilicet an harum altera feminei ſexus, altera puellum referat, ut fere videtur, poſſet tum aliquis ſuſpicari, voluiſſe monetarios ſub figura mulieris ſtantis Juliam Mæſam, matrem Juliæ Sœmiadis, & Elagabali aviam repræſentare. Verum de hoc, ut ſuperius indicavi, certitudinem præſtare non audeo.

CORNELIA PAULA.

D. Devonsh. I. Caput illius. ΙΟΥΛ. ΚΟΡΝ. ΠΑΥΛΑ. ϹΕΒ. *Jul. Corn. Paula Aug.*)(Templum pluribus columnis ornatum. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩϹ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. *Metropolis Philippopolis Ædituæ.* Ne minimum detrimentum paſſum eſt periti artificis opus. *Tab. XLIII. N. 3.*

De Philippopoli Thraciæ urbe ad numum Fauſtinæ junioris pag. 288, & ad IX Caracallæ pag. 327 tractaveram. *Pag.* 221. *Vaillantius* civibus ædituorum honorem a Caracalla conlatum *Pag.* 58. ſcribit, verum inprudens in ipſa imperatorum ſerie produxe-

Digitized by Google

duxerat M. Aurelii numum, in cujus epigraphe legitur ΝΕΩΚ, quod quid aliud quam æditoorum titulum deſignaret, non video. Templum in rariſſima hac noſtra moneta ſcalptum, etiam ſub Elagabalo cum iisdem metropolis & æedituæ agnominibus conparet.

II. Caput & epigraphe eadem, niſi quod ſub capite nota incuſa lunam exhibens.)(Minerva ſedens in templo. CΙΔΗΤΩΝ. *Sidetarum.* Artificium bona conſervatione inferius. *Tab. XLIII. N. 4.* D. Devonsh.

De Side Pamphyliæ ad mare, & Eurymedontem ſita Cicero conmemorat, portu eam inſtructam fuiſſe; Duo cum Gallieni capite numi ampliſſimis his titulis eam cohoneſtant, in quorum uno: CΙΔΗΤΩΝ. ΠΡΩΤΑ. ΠΑΜΦΥΛΩΝ. *Sidetarum Prima Pamphylorum;* in altero vero: CΙΔΗΤΩΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗC. ΕΝΔΟΞΟΥ. *Sidetarum Splendidiſſimæ Inluſtris.* Strabo ad averſæ partis explicationem aliquid confert, cum de Side loquens ait: *Cumæorum Colonia, habet Minervæ templum.* L. III. ep. 6 ad Appium.

ALEXANDER SEVERUS.

I. ΑΥΤΟΚΡ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΒΗΡΟC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. *Imp. C. M. Aur. Severus Alexander.* Caput ejusdem laureatum.)(ΕΠΙ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ. ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ. *Sub Prætore Aur. Philodemo Acraſiotarum.* Cybele bigis leonum vecta. Numiſma majoris formæ granorum 355, etſi mediocris cælaturæ, vix tamen uſu & ſitu perpeſſum eſt aliquid. *Tab. XLIII. N. 5.* D. Devonsh.

Etſi

Etſi de Acraſiotarum oppido geographi taceant, Lydiæ tamen adtribuitur. Inſpiciantor ea, quæ ad pag. 103. hujus tomi dicta ſunt. Numi quos *Vaillantii* catalogus ſub imperatoribus recenſet, ſi unum Severi excipias, in averſa Æſculapio inſignem, omnes Dianam Epheſiam præferunt, quare Cybele hoc in numo exhibita aliquid novitatis habet.

D. Devonsh. II. A. K. M. ΑΥΡ. CE. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. Caput idem.)(ΕΠ. CΤΡ. ΠΑΡ. ΑΤΤΑΛΟΥ. Τ. Β. ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ. *Sub Prætore Par. Attalo iterum, Erythræorum.* Ceres ſtans. Bonam cælaturam, elegantiſſimam conſervationem cruſta mineralis nigra exornat. *Tab.* XLIIII. *N. 6.*

L. XIV. Erythras Joniæ oppidum narrat Strabo portui prætenſas habuiſſe quatuor minores inſulas Ἵππους ſeu *Equos* dictas; Jacebat urbs hæc ſatis nota in peninſula Smyrnam verſus. Numiſma noſtrum differt ab eo, quod *Vaillantius* recenſuit, *Pag.* 136. etſi enim Cereris religiones ut præſens, atque alterum apud eundem ſub Julia Mammæa, confirmat, nomen tamen magiſtratus hoc modo deſcriptum eſt: ΕΠΙ. CΤ. Π. ΑΙ. ΑΤΤΑΛΟΥ. ΤΟ. Β. *Sub Prætore Publio Ælio Attalo iterum,* ſecus ac in noſtro legitur, cujus epigraphes, ut adcurate exſcripta ſuperius fuit, omnem certitudinem præſto.

D. Devonsh. III. Caput ſimile. ΑΠΕΞΑΝΔΕΡ.)(Arion delphino vectus d. lyram tenet. ΜΗΘΥΜΝΑΙΩ. *Methymnæorum.* Integerrimus & laudabilis artificii. *Tab.* XLIIII. *N. 7.*

Me-

Digitized by Google

Methymnæ urbis Lesbi inſulæ aliquos quidem numos ſub imperatoribus Domitiano, Fauſtina juniore, Severo, Geta, & Alexandro Severo produxerat *Vaillantius*, in horum tamen nullo ſimilis averſæ partis typus conparet, qui præſtantiam noſtri conmendat, cum ea quæ Herodotus, Aulus Gellius, ſcriptores alii narravere, confirmet, ſcilicet ipſam hanc Methymnam Arionis fuiſſe patriam, quem, ut vulgo notum, in mare præcipitem delphinus exportavit. *L. I. L. XVI. c. 19.*

ALEXANDER, & MAMMÆA.

Capita eorundem adverſa. - - - ETH. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΙΟΥΛΙΑ. - - - -)(Serpens in ſpiras volutus. ΥΠ. ΤΙΒ. ΙΟΥΛ. ΦΗСΤΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Ε. *Sub Tiberio Julio Feſto Marcianopolitarum Anno V.* Scalptoris boni opus. *Tab. XLIII. N. 8.* *D. Devonsh.*

Moneta hæc, ut alibi ad ſimilem Elagabali & Sœmiadis pag. 345 dixeram, ultimo imperii ejusdem anno percuſſa fuit, quare arbitror, Marcianopolitas ad primam occiſi Elagabali famam præſentem honoribus Alexandri Severi, ejusque matris Mammææ feriri feciſſe.

JULIA MAMMÆA.

I. Caput ejusdem. ΙΟΥΛΙΑ. ΜΑΜΜΑΙΑ. CEB. *Julia Mammæa Aug.*)(Apollo ſtans d. plectrum, ſ. lyram tenet. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΗC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. *Magneſiorum Ædituorum Dianæ.* Ab omni vitio ſervatum artificium bonum. *Tab. XLIII. N. 9.* *D. Devonsh.*

Digitized by Google

De Magneſia ad Mæandrum vide ſuperius dicta ad numum II Mæſæ pag. 347; Præcipuum civitatis numen Diana Leucophryne erat.

D. Devonsh. II. Caput, & epigraphe eadem.)(Pallas armata ſtans telum vibrat. ΑΡΠΑΣΗΝΩΝ. *Harpaſenorum.* Scalpri ruditatem conpenſat conſervatio. *Tab.* XLIII. *N. 10.*

De Harpaſa Cariæ urbe mari & Mæandro vicina ita Plinius: *Præter hæc ſunt Coſcinus, Harpaſa adpoſita fluvio Harpaſo, quo & Trallicon, quum fuit, adluebatur.* Conſulatur etiam Livius. Hujus oppidi monetæ apud *Vaillantium* reperiuntur ſolum ſub Antonino Pio, Severo, & Gordiano Pio, atque omnes quidem cum ſigno Jovis.

L. V. c. 29. *L. XXXVIII.*

TABULA XLIV.

SALL. BARBIA ORBIANA.

D. Devonsh. ΓΝ. ΣΕΙ. ΕΡΕ. ΣΑΛΛ. ΒΑΡΒ. ΟΡΒΙΑΝ. ΣΕ. *Gn. Seia, Herennia, Salluſtia, Barbia, Orbiana Aug.* Caput illius.)(Fortuna ſtans d. temonem, ſ. cornu copiæ. L. E. *An. V.* *Tab. XLIV. N. 1.*

Numus hic Ægyptius de præſtantiſſimis eſt, quia omnia Salluſtiæ Barbiæ Alexandri Severi uxoris nomina exhibet, quæ nequaquam Hoſtiliani thalamo, ut vult Triſtanus, inferri poteſt, quippe quocum annus quintus in averſa parte ſignatus non congruit. Indicaverat quidem nu-

Tom. II. p. 657.

numiſma hoc Vaillantius, ſed ſine adverſæ inſcriptione, quæ tamen ipſa ſingulare eidem pretium conciliat.

MAXIMINUS.

I. Caput ejus laureatum. Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ. Α. *Cajus Julius Ver. Maximinus Aug.*)(Fluvius decumbens. ΔΟΡΥΛΑΕΩΝ. ΕΠΙ. ΠΑΥΛΟΥ. *Dorylæorum Sub Paulo.* Α. forſan: *Anno I.* Nigra vernice belle obtectus. *Tab. XLIV. N. 2.* *D. Devonsh.*

Dorylæum Phrygiæ urbs eſt; Plinius ſitum ex vicinis populis determinat, dum ait: *Eucarpeni, Dorylæi, Midæi,* quare ex ſigno fluvii in poſtica parte repræſentati eam ad fontes Sangarii fluminis conditam exiſtimo. Duos tantum ex hac officina numos a noſtro diverſos recenſuit Vaillantius, alterum ſub M. Aurelio, ſub Maximino alterum; Noſter apud geographos ſibi pretium conciliare debet ob fluvii jacentis ſimulacrum, quia ex hoc ſigno verbis Plinii indicatis juncto de vero oppidi ſitu pronunciare licet. *L. V. c. 29.*

II. Caput idem. ΑΥ. Γ. ΜΑΖΙΜΕΙΝΟϹ. ΕΥϹΕΒΗ. ΑΥΓ. *Imp. Cajus Maximinus Pius Aug.*)(Tres Gratiæ veſtitæ. ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. *Anchialenſium.* Undique mediocris. *Tab. XLIV. N. 3.* *D. Devonsh.*

Ad Anchialen Ciliciæ Tarſo vicinam numiſma referendum cenſeo, quæ urbes, ut fertur, eundem conditorem Sardanapalum habuerunt. Duo ſoli Anchiale ſignati numi ſub imperatoribus hactenus conparuere ſcilicet Severi,

Digitized by Google

& Tranquillinæ vultibus inſignes, nusquam tamen iſtiusmodi pars averſa.

MAXIMINUS & MAXIMUS.

D. Devonsh. Caput Maximini laureatum, & Maximi nudum adverſa. AΥ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟC. ΜΑΞΙΜΟC. ΚΑΙ. *Imp. Maximinus, Maximus Caſ.*)(Hercules ſtans d. cantharum ſ. exuvias leonis cum clava. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Smyrnæorum tertium Æadituorum.* Sine vitio numus. *Tab. XLIV. N. 4.*

Superſedeo explicatione, quum tam urbs ipſa, quam averſæ ſignum ſunt notiſſima.

MAXIMUS.

D. Devonsh. Γ. ΙΟΥΛ. ΟΥΗΡ. ΜΑΖΙΜΟC. ΚΑΙC. *Cajus Jul. Ver. Maximus Caſ.* Caput ejus nudum.)(ΤΟΜΕΩC. ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. *Tomorum Metropolis Ponti.* Aquila ſtans roſtro coronam gerit. Utramque laudem meretur. *Tab. XLIV. N. 5.*

Ex numis magno numero ſub imperatoribus ſignatis Tomos Ponti urbem optime noverunt antiquarii; ſita erat in Mæſia inferiore mari ad illud Danubii, ſeu Iſtri oſtium, quod *Sacrum* dixere, vicina. Aquila ad Jovem, præcipuum civitatis numen pertinet. (210)

GOR-

(210) Jam alias reprehendi Haymium, qui ex numorum ſignis illico

GORDIANI AFRICANI PATER & FILIUS.

IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AFR. AVG. Caput laureatum Gordiani Africani patris.)(SECVRITAS. AVGG. S. C. Mulier ſedens. Integerrimum numum viride æris eleganter conveſtit. *Tab. XLIV. N. 6.*

IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AFR. AVG. Caput laureatum Gordiani Africani filii.)(ROMAE. AETERNAE. S. C. Roma ſedens. Bene conſervatus a mineralibus halitibus rubet. *Tab. XLIV. N. 7.*

Quia nolui hac in ſerie omittere duorum Gordianorum Africanorum capita, pulcerrimos horum imperatorum numos ex muſeo *Comitis de Winchilſea* ſelegi, primo horum ſane elegantior a nemine deſiderari poteſt; ut venuſtas has monetas lectori gratiores redderem, vultus, quam ſimillimos potui, lineari pictura exprimere ſtudui.

---

illico de florente religione pronunciat; hic ſane non parum hallucinatur, percurri omnes hujus oppidi monetas a Vaillantio, Frœlichio, item in muſeo Theupoli editas, neque tamen niſi in tribus Jovem, in aliis vero & ſæpius quidem, Æſculapium, Hygiam, Herculem, Bacchum, Minervam, Cybelen, Victoriam, Dioſcuros reperi, quare ſi hæc regula etiam obtineret, Æſculapium præcipuis hoſtiis cultum adſerere oporteret; Mea opinione ſertigera hæc aquila ad victoriam de Germanis potius referetur, præſertim cum in Maximi numo apud Vailantium etiam ſignum Victoriæ gradientis exhibeatur.

BALBINUS.

D. Devonsh. ATTO. K. Δ. ΒΑΛΒΙΝΟC. AVΓ. *Imp. Caeſ. Decius Balbinus Aug.* Caput ejus laureatum.)(ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΠΟΝΤ - - *Heracleotarum Ponti.* Hygia ſtans. Cælaturæ bonæ & ſine ætatis vitio. *Tab.* XLIV. *N.* 8.

Duo ſolum Græca Balbina numiſmata, quæ ſingula præcipua raritate præſtant, *Vaillantius* adnotavit, ubi nos elegantiſſimo maximæ formæ numo tomo I. *pag.* 274 producto præſentem, & quod præſtantiam auget, hactenus non editum adjicimus. Signatus erat Heracleæ Ponti, de qua urbe actum eſt alibi.

PUPIENUS.

D. Devonsh. ATT. KEC. *ſic* M. ΛΟΔ. *ſic* ΠΟΠΛΗΝΙΟC. *ſic* CE. Π. Π. *Imp. Ceſ. M. Lod. Poplenius. Aug. P. P.* Caput ejus radiatum.)(ΤΑΡC. ΤΗC. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. A. M. K. Γ. B. *Tarſi Metropolis Primæ Solius* (211) *Ciliciæ Decreto Senatus.* Vir togatus ſtans d. ramum adtollit. Bene ſervatum mediocre artificium in hoc formæ maximæ numo, qui 420 grana adpendit. *Tab. XLIV. N.* 9.

Sola ex urbibus Græce loquentibus Tarſus oppidum Cili-

(211) Hanc explicationem luculenter, ut mihi quidem videtur, refutavit Inl. Baro de la Baſtie ad Joberti noſtri T. II. pag. 145 & ſeqq. edit. Pariſ. 1739.

Digitized by Google

Ciliciæ non ſolum notiſſimum, ſed cujus ſæpius ipſe jam memineram, ex *Vaillantii* ſententia Pupieni vultu numos ſignavit. (212) In præſente capitis epigraphe miris ſane modis in orthographiam peccat: primum enim titulus Cæſaris diphthongo caret: deinde *Lod.* pro *Clod.* & *Poplenius* pro *Pupienus* ſcalptum eſt. Signum poſticæ partis, quod etiam in Latinis Balbini & Pupieni numis videtur, ipſum imperatorem repræſentare exiſtimo, cujus manui oleæ ramus inſertus, ut denotaretur, per hos conlegas pacem imperio Romano partam.

TABULA XLV.

GORDIANUS PIUS.

I. Caput Gordiani laureatum. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΥΓ. *Imp. C. M. Ant. Gordianus Aug.*)(Fluvius decumbens cum temone. ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Integerrimus. *Tab. XLV. N. 1.* *D. Devonsh.*

Nemo Hadrianopolin Thraciæ ignorat; Fluvii typo Hebrum deſignari eſt neceſſe, qui eam præterfluebat: per temonem vero, quem dicta figura tenet, eum non ſolum navigabilem, ſed majoribus etiam navibus deportandis parem eſſe, indicatur.

II.

(212) In muſeo Theupoli prolati ſunt hujus imperatoris numi alter Ægeæis Ciliciæ, alter Perinthi percuſſus.

Digitized by Google

II. Caput ejuſdem radiatum. IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG.)(Diana venatrix. COlonia FLavia PACenſis DEVLTum. Conſervationis, & artificii boni, metalli flavi. Ex muſeo *Equitis Roberti Sutton*. *Tab. XLV. N. 2.*

Pro hujus numi explicatione conſulatur *Vaillantius* de coloniis, quo in libro idem venantis Dianæ ſignum in numo Alexandri Severi, & Juliæ Mammææ obſervabitur.

D. Devonsh. III. AT. K. M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CEBA. *Imp. C. M. Ant. Gordianus Aug.* Caput idem laureatum.)(ΚΟΡVΔΑΛΛΕΩΝ. *Corydallenſium.* Elegantia ſuperiori nihil concedit, admodum tamen craſſus, & gravis. *Tab. XLV. N. 3.*

A nemine antiquariorum hanc in diem moneta Corydallæ urbis in lucem fuit edita, neque ſcriptores alii niſi perparum de ea adnotaverunt; Plinius, & Ptolemæus etſi in ſitu, quem ei in Lycia adtribuunt, conveniant, diſcrepant tamen in ſcriptione nominis, apud hunc enim Κορύδαλλος, Corydallus, apud illum Corydalla legitur.

D. Devonsh. IV. Caput ſimile. ATT. K. M. ANT. ΓΩΡΔΙΑΝΟC.)(Diana venatrix. ΕΠΙ. ΓΡ. ATP. ATTIKOT. Δ. NTCAEΩN. *Sub Scriba Aur. Autico Quartum Niſaenſium.* Conſervatio cælaturam mediocrem ſuperat. *Tab. XLV. N. 4.*

Nyſa Cariæ oppidum Mæandro fluvio, & teſte Strabone *Trallibus* erat vicinum; Quantum ex numo apud *Pag. 145.*
Vail-

Digitized by Google

Vaillantium conjicitur, ejus conditor erat *Athymbrus* ΑΘΥΜΒΡΟϹ; Ibidem etiam typum Dianæ venatricis numus Maximini, ut in noſtro exhibet.

V. Epigraphe, & caput ſimile.)(Urna ludorum cum tribus palmis. ΚΟΙ. ΠΟΝΤΟΥ. ΜΗ - - - ΕΤ. ΡΟΗ. *Conventus Pont. Metr. Neocæſareæ. An.* CLXXIIX. Mediocritatem nulla parte excedit. *Tab. XLV. N. 5.* *D. Devonsh.*

Æræ Neocæſareæ Ponti, cujus ſupra ad numum I & II Getæ pag. 335 meminimus, initium defixum fuit ad annum V. C. 817, cui ſi addideris numerum 178 noſtro in numo ſignatum, prodibit annus V. C. 995 Gordiani Pii quintus. Urna cum palmis, quæ etiam in moneta Alexandri Severi videtur, ludos quidem Neocæſareæ celebratos ſpectat, qui tamen quo nomine inſignes fuerint, hactenus ignoramus.

GORDIANUS & TRANQUILLINA.

Capita adverſa. - - - ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ. ΑV. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. CE. - - - *Gordianus Aug. Tranquillina Aug.*)(Mulier ſtans ad aram luculentam. VII. ΤΕΡΤVΛΛΙΑΝΟV. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Sub Tertulliano Marcianopolitarum.* Conſervatio bono artificio par. *Tab. XLV. N. 6.* *D. Devonsh.*

De hac Thraciæ urbe ſæpius alibi actum fuit, videatur numus Marcianæ pag. 270, Elagabali & Juliæ Sœmiadis pag. 345, Alexandri & Mammææ pag. 351. Mulier ſacra faciens vota pro ſalute auguſtorum ſoluta indicat.

Digitized by Google

SABINA TRANQUILLINA.

D. Devonsh. I. ΦΟΥΡΙΑ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ. CE. *Furia Tranquillina Aug.* Caput illius.)(CΑΙΤΤΗΝΩΝ. ΥΛΛΟC. *Saittenorum Hyllus.* Fluvius inberbis decumbens. *Tab. XLV. N. 7.*

De Saitte Lydiæ oppido tacent ſcriptores; Vide quæ hoc tomo pag. 303 ad numum Criſpinæ diſſerueram. Numus hic quidem jam in *Vaillantii* catalogo deſcriptus eſt, verum quia rariſſimus eſt, neceſſarium duxi, eundem etiam æri inſcalptum repræſentare.

D. Devonsh. II. Caput idem. ΦΡΟΥ *ſic* CΑΒΕ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. *Furia Sabina Tranquillina.*)(Diana venatrix biga cervorum vecta. ΕΦΕCΙΩΝ. ΑΡΤΕΜΙC. *Epheſiorum Diana.* Numus integer, ſed tenuis laminæ. *Tab. XLV. N. 8.*

Moneta hæc etiam a Vaillantio quidem indicata eſt, verum, quod ſciam, a nemine lineari pictura fuit edita.

D. Devonsh. III. Caput ſimile. SAB. TRANQVILLINA. AVG.)(Navis cum remigibus. C. I. C. A. APA. D. D. *Col. Jul. Concordia Aug. Apamea Decreto Decurionum.* Sine vitio ſervatus. *Tab. XLV. N. 9.*

Pulcerrimus hic numus in officina Apameæ Bithyniæ flatus erat; *Vaillantius* in Coloniis ejus monetas ſolum ſub Julia, Pia Caracalla, & Gallieno recenſet, apud quem *Tomo II. pag. 17, 27, & 238* explicationem huc per-

Digitized by Google

pertinentem invenies. Navis averſæ partis maritimam urbem deſignat. Idem hic typus exhibetur ibidem a *Vaillantio* in numo Philippi junioris & Treboniani Galli &c., ubi epigraphen ita ſcalptam: C. I. C. A. A. P. ſic interpretatur: *Colonia Julia Carthago Antiqua Auguſta Pia.* Verum ultimum A noſtræ inſcriptionis aperte hujusmodi lectionem evertit. (213) *Tom. I. pag.* 186.

PHILIPPUS *ſenior.*

I. Caput illius laureatum. ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ϹΕΒ. *Imp. C. M. Juli. Philippus Aug.*)(Mulier turrita inter duas utrinque feminas ſtantes ſedens, emergente ad pedes fluvio natante. COL. LAODI. METROPOLEOS. ΔE. Conſervationis eſt mediocris. *Tab. XLV. N. 10.* *D. Devonsh.*

Zz 2 Con-

(213) Ut Cl. Haymius ob felicem conjecturam, qua erudite Vaillantium corrigit, laudem meretur, ita magis nos ſibi obſtrinxiſſet, ſi eandem cenſuram etiam ad eos numos extendiſſet, qui ſolum C. I. C. A. inſcripti eidem Africæ urbi a Vaillantio, ab Harduino vero ſibi non conſtante jam Cæſareæ Auguſtæ Hiſpanicæ, jam Corintho adtributi fuerunt. Lucem hanc hodie debemus Cl. Belley, qui viginti tribus hujus coloniæ numis a Nerone ad Gallienum conſpectis, cum ex fabricæ ratione, tum inde potiſſimum, quod monetæ hæ nunquam aliunde, quam ex Aſia adportantur, omnes Bithyniæ reſtituendos oſtendit, obſervata hac inſcriptionum ex obſcurioribus ad clariorem velut gradatione: C. I. C. A, CI. C. AP., C. I. C. APA., COL. IVL. CONC. APAM. Vide *Hiſt. de l'Acad. des inſcript. & bell. lett. T. XXV. pag.* 105.

Digitized by Google

Conplures hujus coloniæ numos ſub diverſis imperatoribus, & præcipue ſub Philippo, de quo agimus, edidit Vaillantius, in quibus, ut in noſtro, Græca epigraphe unius partis Latinæ alterius jungitur, nullus tamen horum ſimili parte averſa ſuperbit, (214) in cujus typi medio reſidet Genius urbis Laodiceæ ad Libanum, quæ & colonia & metropolis erat, (215) atque ideo loco ſublimiore cum majeſtate eminet, fluvii natantis ſignum Orontem repræſentat, ad quem ſita erat. (216) Quatuor tutulatarum mulierum figuræ, quæ Laodiceæ Genium circumſtant, totidem urbes, quæ eodem adluebantur flumine, ſcilicet: Emeſam, Arethuſam, Epi-

(214) Similis indicatur ſub Elagabalo. *Hiſt. de l'Acad. des Inſcript. &c. T. XXIII. pag.* 174: alter ſub Valeriano in muſeo Theupoli.

(215) Niſi lapſum calami quis arbitretur, admodum hic dormitavit Haymius, qui vidit a Vaillantio omnes hujus generis numos Laodiceæ maritimæ ſeu ΠΡΟϹ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ adtributos; ad alteram enim Cabioſam ſeu ΠΡΟϹ. ΛΙΒΑΝΩ referri non poſſe, vel ipſi hi tituli monent, quippe cum hæc nec colonia, nec metropolis fuerit, quem errorem diligenter notavit Cl. Belley loco ſuperius indicato, vide etiam Emin. Noriſium *T. II. op. Diſſ. III. pag.* 287, ubi erudite; ut ſolet, oſtendit, quid Harduinum in eundem errorem præcipitaverit.

(216) Hic ſane liquet, non calamo, ſed opinione ſua prolapſum Haymium, Laodicea enim colonia, de qua res eſt, minimum XIV leucis juxta typum ætiologicum Haſii ab Oronte diſtabat Caſio, & Pierio montibus diremta; quare perſuaderi mihi non poteſt, Orontem hic potius præ viciniore alio fluvio ſcalptum eſſe.

Digitized by Google

Epiphaniam, & Lariſſam, eidem forſan aliqua ratione ſubjectas exhibere mihi videntur. (217)

TABULA XLVI.

II. Caput ſimile. ΑΥΤ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ΑΥΓ.)(Æſculapius ſedens cum tribus aliis figuris. ΒΙΖΥΗΝΩΝ *Bizyenorum.* Numiſma hoc formæ maximæ ne minimum vitiatum ex muſeo *D. Richardi Edgecumbe* granorum 377 eſt. *Tab. XLVI. N. 1.*

Bizye maritimi illius Thraciæ tractus, qui Pontum Euxinum ſpectat, urbs ad initium montium Rhodopes ſita erat; Plinius de ea memorabile aliquid refert, nempe: *Intus Bizya, arx regum Thraciæ, a Terei nefaſto crimine inviſa hirundinibus.* Exhibet pars poſtica hujus numi Hygiam deam ex adverſo Æſculapii conſidentem, cui retro ad ſellam adſiſtit Teleſphorus; aliam ſtantem mulierem Æſculapii ſacerdotem habeo, quæ perpetrato pro ſalute imperatoris ſacrificio voti damnata adeſt, ut ſua quam gerit, in Æſculapii pateram effuſa, deum ad protegendam etiam poſthac ejusdem principis incolumitatem flectat: Quid quod ſi diligentius obſervetur cælatura, ſtans elata manu ſacerdos non ſolum conloqui, ſed adtente etiam ab adſidente utroque numine audiri videtur, velut conſiderandum proponeret, quan- *L. IV. c. 11.*

 tum

(217) Laudatus ſuperius Cl. Belley in eodem conmentario ſtatuis illis muliebribus urbes Paltum, Balaneam, Gabalam cum quarta aliqua deſignari arbitratur.

tum bono rei publicæ interſit, imperatorem quam optima valetudine uti.

D. Devonsh. III. Caput ejusdem radiatum. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΦΙΛΙΠ - - - - -)(Hercules decumbens cum exuviis leonis, & clava. ΑΔΡΙΑ. ΔΙΟΚΕCΑΡΕΩΝ. ΜΗΤ. *Hadrianorum Diocesarenſium. Metrop.* ΚΕΝΝΑΤΩ. Integer quidem, ſed rudis cælaturæ. *Tab. XLVI. N.* 2.

Tres Diocæſareas urbes novimus; unam Cappadociæ, Phrygiæ alteram, tertiam Galilææ. (218) Harum primis duabus *Vaillantius* numos, quos ſub Antonino Pio & Commodo recenſet, adtribuit; P. Harduinus alium ſub Septimio Severo cum hac epigraphe: ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. protulit, hæſitat tamen Vir eruditiſſimus, an Diocæſareæ Cappadociæ, an alteri Phrygiæ ſit adſcribendus, neque magis lucem aliquam adfundit, an Hadrianorum pro cognomine Diocæſareæ dato ſit habendum: an vero concordiam duarum civitatum indicet. Adtamen certum eſt, tam hunc, quam noſtrum Diocæſareæ Galilææ flatum eſſe, ut ex poſtea dicendis liquebit. Antequam ulterius progrediar, notandum eſt, *Vaillantium* aut negligentia aliqua præteriviſſe indicatum Harduini numum, aut inter imperiales Græcos, ut tamen oportuiſſet, recenſere noluiſſe.

De Pop. & Urb. pag. 139. *edit. in 4to.*

Bre-

(218) Quartam ad calcem Haymianæ explicationis ſubjiciam.

Digitized by Google

Brevem jam Diocæſareæ Galilææ notitiam ſubjicio, rationes ſubinde declaro, cur huic potius, quam aliis duabus numus hic exhibitus concedendus ſit. Paucis leucis a Carmelo monte aberat in vicinia lacus Geneſareth Sephoris oppidum, a Joſepho Judæo dictum: *Urbs Galilææ maxima, & in tutiſſimo loco condita*, quæ ſecundum Ferrarium S. Joachimi patris BB. Virginis Mariæ patria eſſe merebatur. Eandem hanc urbem S. Hieronymus duobus in locis, atque etiam Hegeſippus dictam fuiſſe Diocæſaream adſeverant.

De bel. jud. L. III. c. 3. *Proœm. in Jon. & de loc. Hebr. in ARABA. L. I. c. 30.*

Laudatus Joſephus de vita ſua diſſerens, fuſius de contentionibus inter duas præcipuas urbes Sephorin, & Tiberiadem ob dignitatem metropoleos Galilææ poſt donatam Agrippæ juniori ab Nerone Tiberiadem, a Felice procuratore provinciæ Sephorin translatam enatis agit; Quare, ut erudite obſervat Card. Noriſius, quemadmodum Tiberiadis cives templum in honorem Hadriani ſtruxerunt, ita Sephoreni Tiberienſes æmulati urbem ſuam, vetere nomine antiquato Diocæſaream Hadrianam cognominarunt, ut tam P. Harduini, quam noſter numus teſtatur, qui præterea titulum metropoleos, hactenus non obſervatum, adjectum oſtentat.

De epoch. Syromac. p. 564.

Hoc igitur ex numo non ſolum conprobantur, quæ hac de urbe Joſephus in hiſtoria vitæ ſuæ, ſed præterea evincitur monetas has nec ex Cappadocica, nec ex Phrygia officina prodiviſſe, cum earum provinciarum Diocæſareæ nunquam fuerint metropoles; evaneſcit etiam P. Harduini dubium, cum liqueat, Hadrianorum titulum non concordiam duarum urbium, ſed hujus cognomen indicare; Quid quod ſi abeſ-

ſent

ſent etiam omnia hæc rationum momenta, conjecturam noſtram ſatis confirmaret cælatura ipſa, metallum, mineralis cruſta, atque alia huc pertinentia, numum ſcilicet extra Judæam percuſſum non eſſe. Illud quam maxime diſplicet, non poſſe me iisdem argumentorum nervis verſari circa vocabulum ΚΕΝΝΑΤΩ, cujus arbitrium, cum nihil, in quo acquieſcam, ſubiverit, eruditorum explicationi pleno jure relinquo. (219)

D. Devonsh. IV. Caput idem laureatum. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟC.)(Tres Gratiæ veſtitæ. ΕΠΙ. Γ. Ι. ΜΕΔΕ.

---

(219) Atque id ipſum eſt, quod omnes Haymii in Galilæa factas ſubſtructiones evertit; Numi Polemonis, Ajacis, Teucri Olbenſium toparcharum ΚΕΝΝΑΤΩ, ΚΑΙ. ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ inſcripti cum typo alati fulminis, quale item in Philippi junioris numo.; ΑΔΡΙΑΝΩ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΜΗΤ. ΚΕΝΝΑΤΩ. ex muſeo Cl. Pellerin obſervatur, Diocæſaream hanc in Cilicia aſpera, atque Cetide Ptolemæi ad Calycadnum ſupra Seleuciam quærendam eſſe demonſtrant, quæ omnia cum mappa Ciliciæ Tracheæ, uti ipſum hunc Haymii errorem primum indicatum Cl. Belley debemus: *Mem. de l'Acad. des Inſcript. &c. T. XXI. pag.* 421 *ad* 428. Haymii diligentiam jure etiam hic aliquis deſideraverit, qui totus in Galilæa defixus, etſi numus ipſo & lineari pictura teſtante ſit integer, de animali adſtante ne verbum quidem infert; Caſtorem hoc aliqui mecum exiſtimabant, tereti enim etiam cauda ſunt, quod ſi ita eſt, ſitum ad fluvium percommode confirmat animal amphibium, ſimulque hiſtoriam naturalem Ciliciæ inluſtrat. Ceterum ab interprete parum otioſo nemo facile, indicio contentus, plus exiget.

Digitized by Google

ΔΕΡΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΓΕΡΜΗΝ. *Sub Scriba Julio Midero Ruſo Germenorum.* Conſervatio ſcalptoris peritiam ſuperat. *Tab. XLVI. N. 3.*

Vaillantius numum hunc inter ſuos Græcos recenſuit pag. 161. lectione tamen diverſa: ΕΠΙ. Γ. ΠΕΡΠΕΡΝΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. *Sub Cajo Perpenna Ruſo*; adtamen noſter impreſſæ imagini ad amuſſim reſpondet, in quo ultimæ diphthongo inferius inplexum eſt Τ.

V. ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΙΟΥ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. ΑΥΓ. poſtremis literis monogrammate conplexis. Caput, ut ſuperius.)(СΤΡ. ΑΥΡ &c. ΚΥΖΙΚΗΝΩ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Æſculapius ſtans. *Tab. XLVI. N. 4.* *D. Devonsh.*

Averſam partem ita omnino æri incidi, ut meis oculis videbatur, quia tamen minus integer numus explicationem difficiliorem reddit, eam prætereo; de Cyzico actum jam eſt ſæpius.

PHILIPPUS *Pater & Filius.*

Capita ſenioris laureatum, junioris radiatum, adverſa: ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟΙ. СΕΒ. *Impp. Caſs. Marci Julii Philippi Augg.*)(Caput muliebre turritum. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Δ. Ε. S. C. *Antiochenorum Metropolis Colonia Decreto Præfecturæ.* S. C. *Tab. XLVI. N. 5.* *D. Devonsh.*

Numus hic recenſetur a *Vaillantio* inter colonias, & quamvis ille duo capita æri incidi non fecerit, nunquam *T. II. p. 185.*

Digitized by Google

tamen hic fuiſſet propoſitus, niſi pro alio aliquo cælando per errorem hanc in tabulam irrepſiſſet.

OTACILLA.

D. Devonsh. ΜΑΡΚ. ΩΤΑΚΙΛ. CΕΒΗΡΑ. CΕΒ. *Marcia Otacil. Severa Aug.* Caput illius.)(ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙΕ. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥCΙΝ. *Nicomachus ſummus ſacerdos Temenothyrenſibus.* Apollo nudus ſtans inter plura ſua adtributa. Numus maximi moduli boni ſcalptoris opus integerrimum grana 354 æquat. *Tab.* XLVI. *N.* 6.

Temenothyra ſita erat in Lydia ad Phrygiæ confinia; Ita de illa Pauſanias: *Lydiæ ſuperioris non magna urbs eſt, quæ Temeni portæ vocatur,* & ſubjungit inventa ibidem fuiſſe gigantum oſſa ſtupendæ magnitudinis. Plura conſideratione digna majus hoc numiſma nobis objicit, quæ ejus pretium non parum augent. Atque primum quidem, nullus hujus urbis numus Otacillæ vultu hactenus conparuit, quos enim *Vaillantius* adnotavit, ſub Gordiano Pio, Valeriano, & Salonino cuſi fuere.

L. I. c. 35.

Alterum eſt, nullam harum monetarum, ut noſtram, Apollinem conſignatum habere, & quidem inter omnia ſua adtributa tripodem ſcilicet cum Pythone ſerpente, arcum, laurum, & lyram, quæ artium omnium & ſcientiarum præſtes numen declarant. Quod vero majorem etiam illi æſtimationem conciliare debet, eſt vocabulum ΑΡΧΙΕ. *Summus ſacerdos*, ex quo liquet contra opinionem laudati *Vaillantii*, de qua alias, urbes hujus terrarum tractus jam ab Archontibus, jam a ſummis ſacerdotibus rectas fuiſſe.

Pag. 197.

PHI-

Digitized by Google

PHILIPPUS *junior.*

M. ΙΟΥΛΙΟϹ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ΑΥ. *M. Julius Philippus Aug.* Caput illius juvenile radiatum.)(ΔΟΡΥΛΑΕΩΝ. *Dorylæorum.* Mulier ſedens cum modio in capite, ſ. haſtam. Numus ſine ætatis vitio. *Tab. XLVI. N. 7.* *D. Devonsh.*

Dorylæi Phrygiæ urbis ita meminit Plinius: *Eucarpeni, Dorylæi, Midæi*; autores in ejus nomine ſcribendo variant. Apud *Vaillantium* duas ſolum hujus urbis monetas ſub M. Aurelio alteram, alteram ſub Maximino reperies. *L. V. c. 29.*

DECIUS.

I. DECIUS. Caput illius laureatum.)(COL. AV. TRO. *Tripus.* Elegantiſſime ſervatum eſt bonum artificium. Ex muſeo *D. Croſſé.* *Tab. XLVI. N. 8.*

Parvulus hic numus in colonia Troade flatus erat, de qua multis agit *Vaillantius*, ex quo diſces, præcipua ibidem religione cultum fuiſſe Apollinem, ad quem tripus hujus averſæ etiam ſpectat.

TABULA XLVII.

II. Caput ſimile. ΑΥΤ. Κ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ΔΕΚΙΟϹ. *Imp. Caſ. Trajanus Decius.*)(Pons ſex arcuum, cui ſuperſtructum ædificium, inpoſitæque ſtatuæ fluvii decumbentis, & viri ſtantis, quem Victoria coronat. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *D. Devonsh.*

ΜΕΑΝΔΡΟϹ. *Antiochenſium Meander.* Maximæ formæ numiſma integrum quidem, ſed ſcalptoris mediocris, & tenuis laminæ grana 245 adpendit. *Tab. XLVII. N. 1.*

Docemur hic Mæandro fluvio Antiochiæ Cariæ ſuperbi operis pontem inpoſitum fuiſſe: Subſtructionem, quæ in eo videtur, arcum triumphalem habeo, atque ſtatuam a Victoria coronatam forſan ipſum Trajanum Decium repræſentare conjicio, cui hæc ab Antiochenſibus ob acceptum beneficium erecta fuerit, facileque perſuadebor, ab illo pontem aut reſtitutum, aut exornatum fuiſſe.

HERENNIA ETRUSCILLA.

D. Devonsh. I. ΕΡΕΝΝΙΑΝ. ΩΤΡΑϹΚΙΛΛΑΝ. ϹΕΒ. *Herenniam Otraſcillam ſic Aug.* Caput illius.)(ϹΕΠ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. ΗΙΡ. *Septimiæ Rheſæneſiorum An. CXVIII.* Templum, in quo aquila, inferius fluvius natans & utraque manu ramum gerens. Plus benignæ ætati, quam mediocri artifici debet. *Tab. XLVII. N. 2.*

T. II. pag. 197. *T. I. p.* 15. *Imp. Rom. Num.* De Rheſæna Meſopotamiæ urbe videatur *Vaillantius* in coloniis, atque etiam eruditiſſimus P. Bandurius. Detecti hactenus hujus coloniæ numi omnes ad familiam Decii referuntur, atque eandem epocham exhibent, cujus initium circiter ad annum V. C. 884 adſcendit, quo Hadrianus in Ægypto verſabatur. (220) Quia ergo annorum numerus cum tem-

(220) Duplex calami error hic videtur cubare, ſcriptus nempe fuerit

Digitized by Google

tempore, quo a Severo jus coloniæ obtinuit, congruere non poteſt, arbitror epocham ab ipſa urbis fundatione deducendam, idque eo magis, quia nemo ſcriptorum, niſi qui poſt Conſtantinum imperatorem vixere, ejusdem meminit. (221)

II. Caput idem lunæ creſcenti inpoſitum. EPENNIA. ETPOTCKIΛΛA. CEB. *Herennia Etruſcilla Aug.*)(Aquila ſtans roſtro coronam ſtringit. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤCIAC. S. C. *Tribunitia Poteſtate.* *Tab.* XLVII. *N.* 3. *D. Devonsh.*

Numus ad Antiochiam Syriæ eſt referendus; Conſulatur Vaillantius loco indicato. *Pag.* 193 *&* 201.

ANNIA ETRUSCILLA.

I. Caput illius. ANNIAN. AITPOTCKIΛΛAN. CE. *D. Devonsh.*

fuerit annus 884 pro 886, ad quem ab aliis epocha adfigitur; dein pro Ægypto Syria erat ſubſtituenda, neque enim anno 834 in Ægypto fuerat Hadrianus, quam provinciam primum ſub anni ſequentis medium intravit.

(221) Miror, cur ſine ulla indicata ratione ab Vaillantii opinione, quæ probabili argumento ex Spartiano, de remiſſo Meſopotamiis tributo nitebatur, ad vagam alteram de fundatione abiverit Haymius; Poſtremum quod adfert de ſilentio autorum usque poſt tempora Conſtantini, nihil omnino evincit pro ejus urbis fundamentis ætate Hadriani jactis. Quid quod cum Ptolemæus, qui ſub Antonino Pio vixerat, Rheſænæ meminerit, probabilius ſane eſt, ejus originem antiquiorem multo eſſe, ut nihil dicam, non facile urbes ab ipſis ſuis incunabulis numeratos annos in numis conſignaviſſe.

Digitized by Google

CE. *Anniam Ætruſcillam* ſic *Aug.*)(Mulier globo inſiſtens utraque manu ſingulos cervos anterioribus pedibus prehenſos erigit. ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. Α. Μ. Κ. Γ. Β. Πρωτης μονης Κιλικιας. *Primæ Solius Ciliciæ Reſcripto Senatus. Tab. XLVII. N. 4.*

D. Devonsh. II. Epigraphe, & caput idem.)(Inſcriptio eadem. Bacchus ſtans. Utriusque numi conſervatio, literis etiam maxime diſtinctis, optima. *Tab. XLVII. N. 5.*

Ambo hi numi præclari admodum ob nomen Anniæ, quod exhibent; ignorabamus hactenus id præter Fauſtinam juniorem M. Aurelii, atque unam de tribus Elagabali uxoribus, Etruſcillæ convenire etiam.

Hinc liquide deducitur, Etruſcillam originem a M. Aurelio traxiſſe, conſtat enim ex Capitolino, omnes hujus imperatoris majores Annios fuiſſe, atque id ipſum nomen in ejus uxoris Græcis numis, ut dixeramus, reperiri.

Neque quis objecerit, videri hancce familiam in Commodo extinctam; Lampridius enim initio hiſtoriæ Diadumeniani adſeverat, inter exercitus duces eo tempore fuiſſe conplures Antonino Pio ſanguinis vinculo junctos; De Annia Fauſtina tertia Elagabali conjuge novimus ex Herodiano, *L. V.* eam ex Commodi familia habitam fuiſſe, ita enim ille de Elagabalo agens: *tertia uxore ducta, quæ referre ſuum genus ad Commodum dicebatur.* Atque forſan inter cauſas, ob quas exercitus Trajanum Decium ad imperium ſuſcipiundum adegit, erat, quia in ejus filiis ſanguinem veræ Antoninorum familiæ, quam adeo amaverant, & venerati fuerant, bullire ſcie-

ſciebant. De Tarſo Ciliciæ metropoli alias actum; Diana, & Bacchus ſæpius in imperialium numorum averſis partibus hujus urbis ſignati comparent.

QUINTUS HERENNIUS.

I. Caput juvenile laureatum. KVIN. EPENNIO. ETPOTC. ΔEKION. *Quint. Herennium Etruſcum Decium.*)(Sepulcrum Sardanapali TAPCOT. MHTPOΠOΛEΩC. A. M. K. Γ. B. *Tarſi Metropolis Primæ Solius Ciliciæ. Decreto Senatus.* Utramque laudem ab antiquariis meretur. *Tab. XLVII. N. 6.* *D. Devonsh.*

Vulgavit eruditiſſimus Begerus in ſuo theſauro Brandeburgico duas Tarſenſium monetas, in harum una ſcalptam noſtræ fere ſimilem pyramidem docto conmentario adſcribit Sardanapalo, de quo adrepta occaſione ex Demetrii Syriæ regis numo, ſimili in averſa parte pyramide inſigni egeram tomo I. Quare pro præſente numo Q. Herennii id ſolum indico, videri mihi, voluiſſe in hoc Tarſenſes exactam ad amuſſim monumenti, quo Sardanapalus condebatur, formam exhibere, ut ejus renovarent memoriam, a quo urbem ſuam conditam ferebant. *T. I. p. 507.* *Pag.* 88.

II. AT. K. ETPOTCK. ΔEKIOC. CEB. *Imp. Cæſ. Etruſcus Decius Aug.* Caput ejus ſimile.)(ΦIΛAΔEΛΦEΩN. NEΩKOPΩN. *Philadelphenſium Ædituorum.* Juppiter ſtans. Conmendatur a conſervatione. *Tab. XLVII. N. 7.* *D. Devonsh.*

Velim, animus reflectatur ad ea, quæ de Philadelphia

Lydiæ

Pag. 196. Lydiæ hoc tomo ad calcem commentarii de urbibus adtuleram. Numus hujus urbis, quem in Quinto Herennio adnotavit *Vaillantius* religionem Mercurii, noſter vero Jovis indicat, id quod in Philadelphenſi moneta inſolens, in unica enim cum Getæ capite aquila, hujus numinis adtributum, conſpicitur; & tamen ex Ptolemæo ſcimus, Philadelphiæ in vicinia verſus Cayſtrum fluvium oppidum fuiſſe, quod ab Jovis cultu Διὸς ἱερὸν *Jovis fanum* dicebatur. Illud præterea adnotandum titulum imperatoris rariſſime legi in ære Q. Herennii.

D. Devonsh. III. Caput ſimile - - - - ΔΕΚΙΟϹ. ϹΕΒ.)(Typus deductæ coloniæ ſolitus. ϹΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗϹΑΙΝΝΗϹΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Nulla parte mediocritatem ſuperat. *Tab. XLVII. N. 8.*

Singularia duo in averſa hujus numi obſervantur; atque primum quidem nomen urbis Rheſainæ cum duplici N, quod hactenus non videram, eſſe ſcriptum: alterum vero typum hunc duumviri boves agentis, frequentem ſub imperatoribus aliis, a *Vaillantio* tamen ſub Q. Herennio non exhiberi. Vide, quæ ad numum I. Etruſcillæ Pag. 370. commemoraveram.

D. Devonsh. IV. Caput idem radiatum. ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΓΑ. ΜΕϹ. ΚΥ. ΤΡ. ΔΕΚΙΟϹ. ϹΕΒ. *Imp. Cæſ. Cajus Meſ. Quint. Trai. Decius Aug.*)(Templum &c. ϹΕΠ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Artificium mediocre bene conſervatum. *Tab. XLVII. N. 9.*

Ut Quinto Herennio Trajani Decii filio numiſma hoc adſcri-

adſcriberem, ſuaſit juvenilis vultus, quia tamen nomina omnia non filii, ſed patris ſunt, abſentibus omnibus ei propriis ſcilicet *Q. Heren. Etruſc.*, de incertitudine inde nata eruditi arbitrentur.

TABULA XLVIII.

TREBONIANUS GALLUS.

I. Caput ejus laureatum. IMP. C. VIBI. TREBO. GALLVS. AVG.)(Novem figuræ togatæ in ſemicirculo conſidentes. AVG. - - ALEXAND. - - - - - - Detritus aliquantum, nec cælaturæ de melioribus. *Tab. XLVIII. N. 1.* *D. Devonsh.*

Præſtans hic numus coloniæ Troadis eſt, de qua multis *Vaillantius*, in quo, etſi incerta admodum lectione ob fugientes uſu & ſitu literas nomen Antigoniæ, etiam ſcalptum fuiſſe videtur. Novem conſidentes figuræ, ſingulæ inſtrumento aliquo armatæ, quod ſatis diſtingui nequit, ſi Muſæ haberentur, ſane, ut mihi videtur, præſidem haberent Apollinem; Quare probabile magis exiſtimo, in his adſeſſoribus Troadenſem ſenatum, indulgentia Romanorum, quos ab ſe ortos jactabant, illis permiſſum repræſentari.

Hac in opinione præter togas, quæ ſenatores maxime condecent, me magis confirmant ſedes, quibus ſigilla hæc utuntur, ob fulcra enim decuſſata, quæ utrinque adparent, ſellæ curules mihi eſſe videntur. Erit, qui exiſtimet, amphitheatrum exhiberi, verum, ut hoc mihi perſuadeam,

Digitized by Google

Pag. 196. Lydiæ hoc tomo ad calcem conmentarii de urbibus adtuleram. Numus hujus urbis, quem in Quinto Herennio adnotavit *Vaillantius* religionem Mercurii, noſter vero Jovis indicat, id quod in Philadelphenſi moneta inſolens, in unica enim cum Getæ capite aquila, hujus numinis adtributum, conſpicitur; & tamen ex Ptolemæo ſcimus, Philadelphiæ in vicinia verſus Cayſtrum fluvium oppidum fuiſſe, quod ab Jovis cultu Διὸς ἱερὸν *Jovis fanum* dicebatur. Illud præterea adnotandum titulum imperatoris rariſſime legi in ære Q. Herennii.

D. Devonsh. III. Caput ſimile - - - - ΔΕΚΙΟC. CEB.)(Typus deductæ coloniæ ſolitus. CEΠ. KOΛ. PHCAINNHCIΩN. L. HIP. Nulla parte mediocritatem ſuperat. *Tab. XLVII. N. 8.*

Singularia duo in averſa hujus numi obſervantur; atque primum quidem nomen urbis Rheſainæ cum duplici N, quod hactenus non videram, eſſe ſcriptum: alterum vero typum hunc duumviri boves agentis, frequentem ſub imperatoribus aliis, a *Vaillantio* tamen ſub Q. Herennio non exhiberi. Vide, quæ ad numum I. Etruſcillæ con-Pag. 370. memoraveram.

D. Devonsh. IV. Caput idem radiatum. AΥΤ. KAI. ΓA. MEC. KΥ. TP. ΔΕΚΙΟC. CEB. *Imp. Cæſ. Cajus Meſ. Quint. Traj. Decius Aug.*)(Templum &c. CEΠ. PHCAINHCIΩN. L. HIP. Artificium mediocre bene conſervatum. *Tab. XLVII. N. 9.*

Ut Quinto Herennio Trajani Decii filio numiſma hoc adſcri-

adſcriberem, ſuaſit juvenilis vultus, quia tamen nomina omnia non filii, ſed patris ſunt, abſentibus omnibus ei propriis ſcilicet *Q. Heren. Etruſc.*, de incertitudine inde nata eruditi arbitrentur.

TABULA XLVIII.

TREBONIANUS GALLUS.

I. Caput ejus laureatum. IMP. C. VIBI. TREBO. GALLVS. AVG.)(Novem figuræ togatæ in ſemicirculo conſidentes. AVG. - - ALEXAND. - - - - - - Detritus aliquantum, nec cælaturæ de melioribus. *Tab. XLVIII. N. 1.* *D. Devonsh.*

Præſtans hic numus coloniæ Troadis eſt, de qua multis *Vaillantius*, in quo, etſi incerta admodum lectione ob fugientes uſu & ſitu literas nomen Antigoniæ, etiam ſcalptum fuiſſe videtur. Novem conſidentes figuræ, ſingulæ inſtrumento aliquo armatæ, quod ſatis diſtingui nequit, ſi Muſæ haberentur, ſane, ut mihi videtur, præſidem haberent Apollinem; Quare probabile magis exiſtimo, in his adſeſſoribus Troadenſem ſenatum, indulgentia Romanorum, quos ab ſe ortos jactabant, illis permiſſum repræſentari.

Hac in opinione præter togas, quæ ſenatores maxime condecent, me magis confirmant ſedes, quibus ſigilla hæc utuntur, ob fulcra enim decuſſata, quæ utrinque adparent, ſellæ curules mihi eſſe videntur. Erit, qui exiſtimet, amphitheatrum exhiberi, verum, ut hoc mihi perſuadeam,

Digitized by Google

ægre inducar, quia ad ludos indicandos in arena ſeu platea amphitheatri ipſius fera aliqua, aut quod aliud ſignum ſcalptum profecto fuiſſet.

D. Devonsh. II. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥ. ΓΑΛΛΟϹ. ϹΕΒ. *Imp. Caſ. Cajus Vib. Gallus Aug.*)(ΕΠΙ. ΚΑΡΙΔΗΜΟΥ. ΑΡΧ. ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Sub Caridemo Archonte* aut *Summo Sacerdote Cadoenorum.* Numus hic formæ maximæ vernice nigra bene ſervatus, granorum eſt 288. *Tab. XLVIII. N. 2.*

In multorum numorum lectione ob omiſſam interpunctionem deſudant antiquarii, in hoc contra optandum foret, ut abeſſent puncta, adeo inepto & inſolito modo ſunt conlocata, ut characteres, ubi minime oportebat, a ſe invicem divellant, hac ratione: ΑΥ. Τ. Κ. ΓΟΥΓΑΛ. ΛΟϹ-ϹΕ. Β. ex qua literarum diſpoſitione nullam ſententiam extundes unquam.

Cadorum ſitus apud geographos incertus eſt; ſunt, qui hoc oppidum in Lydia conſtituunt, Phrygiæ minori alii, alii Myſiæ adtribuunt: alia hujus nominis urbs, niſi hæc ipſa ſit, id quod decernere nolo, in Phrygia Pacatiana reperitur. Numiſmatis hujus majoris Cadis percuſſi ſigna averſa in parte repræſentata præcipua civium numina Palladem & Junonem habeo, in quarum medio adſtans cum patera ſacerdos pro ſalute imperatoris eis ſacra fecit.

VOLUSIANUS.

D. Devonsh. I. - - - ΟΥΙΒΙ. ΓΑΛΛΟϹ. ΟΥΩΛΟΥϹ. - - *Vib. Gallus*

Digitized by Google

Gallus, Volus. Caput ejus radiatum.)(ΑΝΑΖΑΡ ----- Α. Μ. Κ. Γ. Γ. ΕΤ. ΟC. *Anazarbi Metr. Primæ Solius Ciliciæ Reſcripto Senatus. An. CCLXX.* Menſa, cui ludorum urna inpoſita. Aliqua hinc inde fecit vitia. *Tab. XLVIII. N. 3.*

De Anazarbo Ciliciæ oppido egi alias, præter quæ velim, inferius dicenda ad numum V. Gallieni inſpiciantur. Quia cives epocham ab anno V. C. 734 occipiunt, numus hic cuſus eſt anno V. C. 1004, qui primus erat Galli & Voluſiani. Urna ludos ſpectat, de quibus inter imperiales facta eſt mentio.

II. Caput ſimile. ΑΥ. Κ. ΒΕΙΒ. ΓΑΛΛΟC. ΟΥΟΛΟCCΙΑΝΟC. *Imp. C. Vib. Gallus Voloſſianus.* Tres Gratiæ nudis brachiis inplexæ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicæenſium.* Æris flavi & rubri numus integer quidem, ſed non admodum periti artificis. *Tab. XLVIII. N. 4.* *D. Devonsh.*

Nicæa Bithyniæ hæc moneta eſt, relata a *Vaillantio* quidem, verum quia raro admodum in numis Gratiæ ſe ſpectandas præbent, exiſtimabam, hic eas repræſentando, ut tribus aliis locis inveſtes quemadmodum has, & veſtitas exhibui, me lectori quoque beneficium præſtiturum.

ÆMILIANUS.

IMP. AEMILIANVS. PIVS. FEL. AVG. Caput ejus radiatum.)(P. M. TR. POT. S. C. Imperator ad aram luculentam facit. *Tab. XLVIII. N. 5.* *D. Devonsh.*

Quia numum hunc ex autotypo integerrimo, atque, ut

Digitized by Google

ea ætas ſcalptores tulit, artificii laudabilis depinxi, nemo facile dubitabit effigiem Æmiliano eſſe quam ſimillimam, cum ex ea Mauretanicum quid eluceat, qua ex regione oriundus erat.

* SULPITIUS ANTONINUS.

Nullus hujus imperatoris numus in lucem eſt productus, præterquam a nobis.

T. I. p. 282.

VALERIANUS.

D. Devonsh. I. Caput ejus laureatum, præ quo ſerpens haſtæ inplexus. ΑΥ. ΚΑΙ. ΠΟΥ. ΛΙ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. *Imp. Caſ. Pub. Lic. Valerianus Aug.*)(Caput Meduſæ intra ſigna Zodiaci. ΑΙΓΕΩΝ. ΝΕ. ΝΑ. *Ægenſium Æditua, Claſſicæ.* Artificium bonum nigra mineralis cruſta eleganter ſervavit. *Tab. XLVIII. N. 6.*

Tractaveram de Ægæis Ciliciæ, qua in urbe numus hic flatus eſt, ſuperius ad numum II. & IV. Diadumeniani. Baculus in antica parte Æſculapii cultum, numis etiam Commodi, & Æmiliani inter imperiales *Vaillantii* conprobatum indicat; Zodiacus in averſa parte ſignatus ad Romani imperii amplitudinem refertur, ſimul tamen adparet, voluiſſe monetarios, ut advertatur, quam relationem aries, unum de duodecim ſignis, cum ſuæ urbis, nomine ab αἴξ, αἰγὸς quod capram ſignificat, derivato habeat, quia interrupta inſcriptione ΑΙΓΕΩΝ, ubi arietis aſteriſmum contigerat, ipſum literarum ſpatium huic ſigno adtribuerunt.

Pag. 342 & 343.

Caput

Digitized by Google

Caput Meduſæ in medio poſitum, quantum ex *Vaillantii* indice liquet, nusquam hactenus in numis Græcis viſum fuit, quod ipſum tamen etiam Ægæarum nomini congruit, refert enim Diodorus Siculus, Jovem ſcutum in cujus medio ſemper caput Gorgonium conſpicitur, pelle Capræ Amaltheæ obtexiſſe, atque ſubide Minervæ donaſſe, atque propterea ægidem a Græco capræ nomine dictum fuiſſe; Diverſum quid Hyginus narrat, ſcilicet ita nominatum eſſe ab Æga Solis filia, quæ, ut fabulæ ferunt, quam miræ erat albedinis & ſplendoris, tam horribilis aſpectu, quo factum, ut Titanes Iovis hoſtes primo ejus intuitu terrore perculſi, adtonitique hæſerint, (222) atque forſan caput, quod vulgo Meduſæ habetur, hujus ipſius eſt Ægæ.

(202) Parum adcuratus tam in Diodoro, quam in Hygino adducendo fuit Haymius; ita in Diodoro L. III. ubi de Minerva ſcribit, lego: μυθολογοῦσι - - - - ἄλλα τε πολλὰ πρᾶξαι μνήμης ἄξια, καὶ τὴν Αἰγίδα προσαγορευομένην ἀνελεῖν, θηρίοτι καταπλήκτικον, καὶ παντελῶς δυσκαταγώνιστον. *Memorant inter alia ejus celebria facinora beſtiam terribilem atque vix ulla ratione domabilem, Ægidem dictam, necatam ab ea fuiſſe.* Cum deinde pluribus ſtrages ab bellua hac editas recenſuiſſet, ſubjungit: τὴν Ἀθηνᾶν φασὶ - - - ἀνελεῖν τὸ θηρίον, καὶ τὴν δόραν αὐτοῦ περιαψαμένην φορεῖν τῷ στήθει ἅμα μὲν σκέπης ἕνεκα - - - - ἅμα δ' ἀρετῆς ὑπόμνημα. *Ajunt a Minerva - - - - beſtiam confectam, pellemque ejus ſuo pectori obductam tam ad tutelam corporis - - - - quam ad virtutis monumentum.* Hyginus vero Aſtron. Poet. c. 13 hæc habet: *Nonnulli etiam Ægam ſolis filiam dixerunt, multis candore corporis præſtantem, cui contrarius pulcritudini horribilis aſpectus exiſtebat - - - - cum Juppiter - - - - bellum contra Titanas appararet, reſponſum eſt ei, ſi vincere vellet, ut* αἰγὸς *pelle tectus,* &

D. Devonsh. II. ΑΥΤ. Κ. Π. ΠΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. Protome ejuſdem laureata, atque ſcuto & haſta armata.)(ΕΠΙ. C. ΒΑΛ. ΑΡ - - - - - ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Sub Prætore Valerio Ariſtomacho, Mytilenæorum.* Mulier turrita ſacrificans coronatur ab adſtante Victoria. Bono artificio non par conſervatio. *Tab. XLVIII. N. 7.*

Subplevi ex numis apud Vaillantium ſub Valeriano recenſitis prætoris nomen; Feminam turritam, quæ ad aram facit in averſa parte, atque infantem faſciis involutum geſtat, Mytilenes urbis Genium habeo, pupulus ille forſan Saloninum, aut alium aliquem Gallieni filium, qui ſub imperii Valeriani initium adhuc in cunis erat, repræſentat, cui Mytilenæi facto pro ejus ſalute ſacrificio, Cybelem aut civitatis Genium pro nutrice adſtituentes, pro felici auſpicio, ubi in imperio ſubceſſor fuerit, coronantem Victoriam adjecerunt.

D. Devonsh. III. Caput ejuſdem laureatum & inberbe. ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC.)(Cybele ſedens. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΕΠ. C. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚΟΥ. *Smyrnæorum Ter Æedituorum, Sub Prætore Phileta Hippici. F.* Numus integerrimus, nec ſine cælaturæ laude. *Tab. XLVIII. N. 8.*

Numus cum ſimili quidem inſcriptione, ſed typo diverſo adnotatus eſt ab *Vaillantio.*

TA-

& capite Gorgonis bellum adminiſtraret, quam Ægida Græci appellaverunt - - - - - - itaque facto eo, quod ſupra declaravimus, Juppiter Titanas ſuperans regnum eſt adeptus.

Digitized by Google

TABULA XLIX.

IV. Caput ejuſdem radiatum. ΠΟΥ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ϹΕ.)(Diana venatrix. ΚΡΗΤΙΕΩ. ΦΛΑΟΥΙΠ. *Cretienſium Flavipolitarum.* Conſervatione ſuperiori nihil concedit, ſcalptura eſt inferior. *Tab. XLIX. N. 1.* *D. Devonsh.*

Pauci inveniuntur hujus urbis numi, quæ in Bithynia ad Parthenium fluvium eo in tractu, quem Mariandyni incolebant, ſita, Claudiopolin Antinoi patriam vicinam habuit. Sola hactenus Septimii Severi familia numis ab hac civitate honorata obſervabatur, hic tamen videmus, eundem cultum Valeriano inpenſum fuiſſe, & quidem typo Dianæ ejus monetariis inſolito. Flaviorum nomen cives aut ab Veſpaſiano, aut ab ejus filiis accepiſſe, etſi nuſpiam aliquam factam mentionem reperio, nemo dubitare poteſt.

VALERIANUS & GALLIENUS.

I. Capita adverſa alterum laureatum, radiatum alterum. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. Π. ΛΙΚΙΝΝΙΟΙ. ΣΕΒΒ. *Valerianus, Gallienus P. Licinnii Augg.*)(Duo viri nudi & haſtati ſtantes, quibus in medio tauri caput inminet. ΑΔΔΕΩΝ *Addenſium* ΙΒ. Numiſma maximæ formæ fine ætatis vitio, ſed artificis admodum inperiti grana 504 adpendit. Poſſidetur a *D. Guilielmo Croſſe. Tab. XLIX. N. 2.*

Ptolemæus dum ad Saocoræ Meſopotamiæ fluvii ſe in

Eu-

Digitized by Google

Euphratem exonerantis oſtium defixiſſet urbem *Reſcipha*, inde ad Euphratis litus Babylonem verſus quatuor alias conſtituit, quarum nomina: *Agamna*, *Eudrapa*, *ADDAEA*, *&* *Pacoria*. In harum proinde tertia procuſum fuit magnum hoc numiſma, atque ideo præſtantiſſimum, quia urbem aliquam e tenebris protrahit antiquariis hactenus ignotam, neque geographis fere magis cognitam, ipſa ſane ſcalpturæ barbaries, tum metallum ſatis ſuperque pro officina Meſopotamica pronunciant.

Signa nudorum & haſtatorum virorum poſticæ partis Caſtoris & Pollucis patriorum deorum eſſe cenſeo, qui etſi maritimarum fere urbium ſunt numina, ipſa tamen Euphratis amplitudo eoſdem præſtites pro Addæa urbe jure optime vendicare poteſt: Caput tauri quod adtinet ſacrificia Neptuno perpetrata indicare arbitror, quæ ante navigationem hoc in fluvio ſuſcipiendam teſte Tacito fieri ſolebant, loquens enim de Vitellio & Teridate, dum ſe flumentano Euphratis itineri adcinxiſſent: *Sacrificantibus*, ait, *cum hic more Romano ſuovetaurilia daret*, *ille equum placando amni adornaſſet*. Id quod forſan factum fuit, cum Valerianus cum exercitu ad expeditionem contra Saporem Perſarum-regem, trajiceret.

Annal. L. VI. c. 37.

Literæ I. B. videntur probabiliter indicare *Sacrum Senatum*; annus enim duodecimus non congruit Valeriano, qui VI. imperii infeliciſſime captus a Perſis, vinculis nunquam expeditus in ſervitute diem extremum obiit. Non repugnabo etiam, ſi quis pro ſignis numerorum epocham hujus gentis indicantibus habuerit, quæ nempe æram ſuam ab anno millenario ſubputabat.

II.

Digitized by Google

II. ΑΥ. Κ. Π. ΛΙ. ΟΥΑΛ - - - - Λ. ΓΑΛΛΙ. - - - - D. Devonsh.
Imp. C. P. Lic. Valerianus - - - - *L. Gallienus.* Capita eorundem adverſa laureata.)(ΔΙΔΥΜΕΙΩ. ΜΕΙΛΗCΙΩΝ. *Didymio-Mileſiorum* intra lauream, extra quam in orbem: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΑΥΡ. ΔΙΟΓΕΝΟΥC. *Sub Archonte Aur. Diogene.* Omni ex parte mediocris. *Tab.* XLIX. *N.* 3.

De celeberrima Ioniæ urbe ita Pomponius Mela. *Miletum urbem quondam Ioniæ totius belli pacisque artibus principem.* Plinius vero: *Miletus Ioniæ caput.* Præ omnibus autem in ejus laudes excurrit Strabo ob deductas inde colonias in hæc verba: *Multa quidem bujus civitatis præclara opera: nullum autem inluſtrius, quam multitudo coloniarum, nam & Euxinum Pontum coloniis omnem implevit, & Propontidem, & multa loca alia.* Patria erat Thaletis unius de ſeptem ſapientibus, Timothei item muſici, & Anaximandri medici.

L. I. c. 17. L. V. c. 29. L. XIV.

In urbis vicinia admodum celebrabatur cultus Apollinis *Branchidæ* olim, poſt vero dicti *Didymei*, unde accepto cives nomine ſe Didymiomileſios dicebant, ut cum ex præſente, tum ex aliis tribus monetis liquet; harum unam, a *Vaillantio*, ut ſæpe factum, neglectam retulit P. Harduinus ſub Auguſto: alias duas indicatus autor ſub Cajo, & Claudio cum hac epigraphe: ΔΙΔΥΜΕΥΣ. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. adnotavit. Laurea averſæ partis in noſtro numo ludos in honorem Apollinis editos deſignat, quorum etiam marmora Arundeliana meminere: ΜΕΙΛΗΤΟΝ. ΔΙΔΥΜΕΙΑ. &c.

De Pop. & Urb. pag. 326. Edit. in 4to. Marm. III.

P. Anſelmus Bandurius Vir eruditione clariſſimus, cujus poſtremum opus quam maxime ſuſpicio, eundem hunc

Digitized by Google

T. I. p. 122. numum explicans concordiam inter urbes Didymiam Ciliciæ, & Ileſium Bœotiæ ſibi deprehendiſſe viſus eſt, inſcriptionem ita legendo: ΔΙΔΤΜΕΙΩΝ. ΕΙΛΗϹΙΩΝ, adtamen eum deceptum fuiſſe exiſtimo, quia, niſi omnia me fallunt, ſimilem noſtro numo præ manibus habuiſſe videtur.

GALLIENUS *ſolus.*

D. Devonsh. I. Protome ejus capite galeato & radiato haſta & ſcuto armata. ΑΤ. Κ. ΠΟ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. *Imp. C. Pub. Gallienus.*)(Imperator paludatus eques. ΑΦΡΟΔΙϹΙΕΩΝ. *Aphrodiſienſium.* Integerrimus, atque pro ejus temporis ratione cælaturæ non contemnendæ. *Tab. XLIX. N. 4.*

Quod ad urbem Aphrodiſiam adtinet, conſule dicta Pag. 111. hoc volumine. Videntur ejus oppidi cives Gallieni nomen glorioſum reddere voluiſſe, cum eum, qui effeminatus & mollis paſſim dicebatur, fortem & bellicoſum, toto nempe corpore armatum, equitemque velut in procinctu ad hoſtes debellandos finxerint.

D. Devonsh. II. ΠΟ. ΛΙ. ΓΑΛΙΗΝΟϹ. *Pub. Lic. Galienus.* Caput ejus radiatum & barbatum.)(ΑΤΤΟΥΔΕΩΝ. *Attudenſium.* Figura ſtolata d. haſtam gerens leone vehitur. Servatus ab injuriis numus, ſed artificii peſſimi. *Tab. XLIX. N. 5.*

Pag. 109. De Attuda oppido alias item egeram, ubi commemoraveram, civium opinione nomen urbis ab Attyde Cybeles delicio originem traxiſſe, atque hac ipſa in parte averſa ejus ſignum,

Digitized by Google

ſignum, utpote ſpadonis, muliebri cultu videntur expreſſiſſe, caviſſeque præterea, ne, cum leoni, ut Cybele adſolet, inſideat, pro eadem dea haberetur, capillo breviore, atque haſta in humerum reclinata eum repræſentando.

III. Caput ejusdem radiatum. Α. Κ. ΠΟΥ. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. ϹΕΒ. *Imp. C. Pub. Lic. Gallienus Aug.*)(Duo athletæ ſtantes. ΑΙΓΑΙΩΝ. ΝΕΟΚ. ΝΑΥΑΡ. Τ. *Ægæenſium Ædituorum Claſſicæ An. CCC.* Artificis mediocris opus, verum ſine ætatis vitio. *Tab. XLIX. N. 6.* *D. Devonsh.*

Alibi ad Diadumeniani nummum epochæ hujus urbis initium ab anno V. C. 707 fluere definiveram, quare præſens moneta percuſſa fuiſſe debet anno V. C. 1006, primo nempe Valeriani & Gallieni. Luctatores ad ludos ſunt referendi, de quibus vide *Vaillantium.* *Pag. 246.*

IV. ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. Caput ejus laureatum.)(ϹΥΕΔΡΕΩΝ. *Syedrenſium.* Vir armatus ſtans inter Palladem, & Mercurium. Rudiſſima manu cælatus. *Tab. XLIX. N. 7.* *D. Devonsh.*

Syedra Pamphiliæ urbs maritima inter Melam & Selinum fluvios e regione occidentalis promontorii Cypri inſulæ jacebat, haud procul Syedra Selinus aberat, quo in oppido Trajanus imperator, teſte Xiphilino, e vita exceſſit. Sub viro armato Gallienum ipſum repræſentari & quidem in Palladis & Mercurii præcipuorum civitatis numinum comitatu exiſtimo, ut ſimul juncta civium votis ſubſcribant, atque imperatorem protegant, & defendant.

Digitized by Google

D. Devonsh. V. Caput radiatum inberbe. ΑΥΤ. Κ. ΓΑΛΛΙΗ. ---)(Capricornus globo incumbens. ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΜΗΤ. Α. Μ. Κ. Γ. Γ. ΕΤ. ΒΟC. *Anazarbi Metrop. Primæ Solius Ciliciæ, Decreto Senatus An. CCLXXII.* Conſervatio mediocre artificium ſuperat. *Tab. XLIX. N. 8.*

Notiſſimum Ciliciæ oppidum Anazarbus in honoris titulis jactantis Tarſi æmulum, ut alias dictum, æram ſuam ab anno V. C. 734 cœpit, quo beneficum in ſe Auguſtum habuit, unde conſequitur, præſentem monetam anno V. C. 1006 ſignatam fuiſſe, qui ipſiſſimus Valeriano, & Gallieno primus erat. Capricornus cum globo memoratum Auguſtum reſpicit, cum ſub hoc ſigno natus haberetur, ſimul tamen civium vota declarat, quibus Gallieno omnes illos benignos influxus augurantur, qui ſub felici hoc & fortunato aſpectu natis fuerunt prædicti. T. I. pag. 278.

D. Devonsh. VI. Caput radiatum. ΠΟΥ. ΛΙΚΙ. ΓΑΛΛΗΝΟC *ſic* CEB. K.)(Templum tetraſtylum. ΑΠΟΛΛΟΝΙ ------ &c. *Tab. XLIX. N. 9.*

Nequaquam in eo ſum, ut de hoc numo aliquid diſſeram, cum enim pars poſtica plura vitia fecerit, de epigraphes certa lectione conſtitui nihil poteſt; Atque forſan moneta hæc eadem eſt cum illa, quam *Vaillantius* ita inſcriptam refert: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. ΠΡΟC. ΡΥΝΔΑΚΩ., quia tamen hic autor capitis epigraphen nunquam recenſet, ſcalpendam exiſtimabam, utpote ſingularem admodum, qualis etiam forma ipſa, & veſtitus eſt. Pag. 180.

TA-

Digitized by Google

TABULA L.

SALONINA.

I. ΚΟΡΝΗΛΙΑ. CΑ. - - - ΕΙΝΑ. CΕΒ. ΙΑ. *Cornelia Salonina Aug.* anno XI. Caput ejuſdem.)(ΚΟΡΑΚΗCΙΩΝ. *Coraceſiorum.* Juppiter ſtans. Conſervatio mediocris deterior cælatura. *Tab. L. N. 1.* D. Devonsh.

Primum, ait Strabo, *Cilicum caſtellum eſt Coraceſium* Κορακήσιον. L. XIV. Situm erat Coraceſium ad Melam fluvium Syedræ, de qua ſuperius ad numum IV. Gallieni, propinquum. Unicum hactenus hujus officinæ numum produxerunt antiquarii, & quidem ſub Hadriano ita inſcriptum. ΚΟΡΑΚΗCΙΩΤΩΝ. Vide *Vaillantium* & *Harduinum.* Pag. 34. Pag. 257. Edit. in 4to. Annus XI ad annos imperii Gallieni exigendus congruit cum anno V. C. 1017.

II. Caput idem. ΚΟΡΝΗΛΙΑΝ. CΑΛΟΝΙΝΑΝ. CΕΒ. præ capite I. ſeu anno X.)(Victoria ſtans adſiſtenti mulieri lauream offert. ΠΕΡΓΑΙΑΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. ΑCΤΛΟΤ. *Pergæa Dianæ Inviolabilis.* Scalptor non ſupra vulgus multum ſapuit. Numus eſt in muſeo *equitis Roberti Sutton. Tab. L. N. 2.*

Perga Pamphyliæ urbs nobiliſſima LX ſtadiis a mari abeſt ad Ceſtrum fluvium ſita: Pomponius Mela de fluminibus Ceſtro & Cataracte locutus: L. I. c. 14. *inter eos*, ait, *Perga eſt oppidum, & Dianæ, quam ab oppido Pergæam vocant, templum*, quod templum Strabo non intra urbem ipſam, ſed

 vicino

vicino in monte conſtituit. Monetarii hujus oppidi honoribus imperatorum cum eadem epigraphe ſub Adriano, L. Vero, Severo, Tranquillina, Philippo patre, & Gallieno ſerierunt, ut videri poteſt in *Vaillantii* catalogo; quam tamen cum Saloninæ effigie producimus, non viderat laudatus ſcriptor; Signata fuerat anno X Gallieni, qui cum anno V. C. 1016 congruit, mulierem illam ſtantem Saloninæ ipſius typum eſſe reor, cui ſub ſpecie Dianæ Pergææ ab Victoria ejus dextra prehenſa, laurea offertur, velut diceret: en præmium tuo conjugi deſtinatum.

CORNELIUS SALONINUS.

ΚΟΡΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹ. *Cornelius Valerianus Caſ.* Caput ejus laureatum.)(ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. *Colophoniorum.* Apollo ſedens. Numus integer ex cimeliis *Comitis de Winchilſea.* *Tab. L. N. 3.*

Pro explicatione hujus monetæ ſervient ea, quæ Strabo de urbe, ex cujus officina prodiit: *Colophon,* ait, *urbs Jonica, & ante eam Clarii Apollinis lucus, in quo vetus quondam oraculum fuit.*

VALERIANUS *Junior.*

I. Caput ejus radiatum. ΑΥΤ. Κ. Π. Λ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΥ. Ϲ. Π. Π. *Imp. C. P. L. Valerianus Aug. P. P.*)(Fortuna ſtans cum temone, & cornu copiæ. ΤΑΡϹ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. Α. Μ. Κ. Β. Γ. *Tarſi Metropolis Primæ Solius Ciliciæ Decreto Senatus.* Sine vitio moneta numophylacii *equitis Roberti Abdy.* *Tab. L. N. 4.*

Cum

Cum nec *Vaillantius*, nec Bandurius hunc numum ſuis tabulis intulerint, ejus indicium facere duxi eſſe neceſſarium.

II. Caput ſimile. - - - P. C. P. LIC. VALERIA-NVS.)(Capricornus cum cornu copiæ. C. G. I. H. P. *Colonia Gemella Julia Hipponenſis Pia.* (223) Bene ſervatus. *Tab. L. N. 5.* *D. Devonsh.*

Hippo Regius urbs & colonia erat Africæ; conſulatur *Vaillantius*, qui unum hujus typi numiſma ſub Gordiano prodit, atque pluribus hac de colonia diſſerit, ex cujus officina Valeriano juniori inſcripta moneta ab antiquariis indicata hactenus non fuit.

CORNELIA SUPERA.

ΓΑΙ. ΚΟΡ. ϹΟΥΠΕΡΗΝ. ϹΕ. *Cujam Corneliam Supe-* *D. Devonsh.*

---

(223) Quemadmodum ad numum III. Tranquillinæ pag. 360. de Carthagine Antiqua Vaillantii & ſectatorum opinionem ex recentiore obſervatione Cl. Belley *Hiſt. de l'Acad. des Inſcript. T. XXV.* everti, ita etiam hic ſubſtituta alia lectione urbs Africana cum ipſa explicatione eſt ſubruenda, legendum nempe eodem ex fonte *pag.* 94 *& ſeqq. ibidem* eſſe adſero: *Col. Gemella, Julia, Hadriana, Paria,* ſeu *Parium,* quia nullus horum numorum ex Africa, omnes vero ex Aſia adferuntur, deprehenſaque etiam hic eſt ſimilis ſiglarum magis eluceſcentium, atque ſe ipſas evolventium velut gradatio: C. G. I. H. P., C. G. I. H. PA., C. G. IVL. HA. P., COL. G. IVL. H. PAR., C. G. I. H. PARIA. quare alia huic coloniæ in Myſia quærenda eſt ſedes.

Digitized by Google

Superam Aug. Caput ejus mitella ornatum.)(ΙΟΥΛΙΕ-ΩΝ. ΑΡΧ. ΤΟ. Β. ΦΙΛΟΙCΙΜΑ. *Julienſium Philæſima Archonte iterum.* Vernice nigra ab ætatis injuriis optime protectus numus, rudi tamen ſcalpro elaboratus. *Tab.* L. *N.* 6.

Unicus hic atque inſignis raritatis numus, quem eruditis hac tabula exhibeo, olim inter cimelia D. *Laxton* viſus a *Vaillantio* per ſuum in Angliam iter, atque in ſuo *Pag.* 188. Græcorum numiſmatum catalogo, ſed cælatura pluribus mendis laborante fuit propoſitus, ut inſtituta cum noſtro ectypo, quod omni, qua poteram, adcuratione in ære exaravi, conparatione facile liquebit: eundem etiam prodiderat *Vaillantium* ſecutus P. Bandurius. *Numiſ. Imp. Tom. I. p.* 78.

Contendit laudatus Pater ex ſcalpturæ ratione ſimili (ſcilicet in monetis Latinis Corneliæ Superæ) eam Treboniani Galli non vero Valeriani junioris uxorem fuiſſe, cui tamen hactenus ab omnibus fuerat adtributa; Adtamen cum ſolum hoc argumentum infirmius mihi videatur, quia differentia, quæ inter cælatorum manus in duorum horum imperatorum numis intereſt, etiam a peritis oculis vix percipitur, nec ſuo illam thalamo, quo in hanc diem fruebatur, exturbare, nec animum pro hoc potius, quam alio illius conjuge obſirmare volo, præſertim cum altum hac de re apud ſcriptores ſilentium. (224)

Numum

(224) Numiſma Ægæarum Ciliciæ paucis abhinc annis in Italia vulga-

Numum noſtrum monetarii alicujus Phrygiæ majoris oppidi ferierunt, de quo parum ſcripſere autores, exiſtimatur verſus Synnadam ad fines Galatiæ & Bithyniæ ſitum fuiſſe; habentur ejus monetæ ſub Poppæa, M. Aurelio, Fauſtina juniore, Valeriano, & Cornelia Supera.

POSTUMUS.

I. Caput poſtumi radiatum. - - - - C. POSTV- *D. De-*
MVS. P. F. AVG.)(Mulier ſtans d. bilancem, ſ. *vonsh.*
cornu copiæ gerit. COL. CL. AGRIP. COS. IIIII. Conſervationi bonæ artificium conſentit, argento tinctus numus. *Tab. L. N. 7.*

Agrippina Neronis mater, & Claudii uxor, referente *Ann. L.*
Tacito primam lucem in aliqua Ubiorum urbe adſpexit, *XII. c.*
27.

vulgatum cum capite Corneliæ atque hac averſæ epigraphe ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΟΚ. ΝΑΥΑΡ. Θ ϙ C. *Anno* 299 facit, ut inter duos litigantes tertius nempe Æmilianus hanc ſponſam auferat; Conſtat enim ex numo Hadriani & hiſtoricis epocham hujus urbis cœpiſſe V. C. 707. Majo finiente, quare additis 299 in numo notatis anni characteribus prodibit annus V. C. 1006; Aſt conſtat ex hiſtoricis, Trebonianum inter Aprilem & Majum occiſum, ergo annus 299 in numo ſignatus, atque Ægæenſibus primum anno V. C. 1006 Majo finiente iniens Corneliæ Superæ inſcribi non potuiſſet, ſi Treboniani Galli fuiſſet uxor: minime vero Valeriano juniori ſociari conjugali fœdere poteſt, utpote qui non niſi anno V. C. 1008 Cæſar renuntiatus fuit.

Digitized by Google

quæ ab illa Agrippina cognominata, atque veteranorum colonia frequentata fuit anno X Claudii, qui in annum V. C. 804 incidit. Narrat Suetonius, a Vitellio pugionem, quo ſe Otho occiderat, coloniam Agrippinam, ut Marti dedicaretur, miſſum. Urbs hæc, hodie Colonia etiam dicta, Rheno adluitur.

in Vitel. c. 10.

Solus Goltzius aliquos hujus oppidi numos adnotaverat, qui tamen antiquariis atque *Vaillantio* præcipue eam adulterationis ſuſpicionem moverunt, ut nec inter ſuos referendos judicaverit. Noſter omni ſuſpicione vacat, indicatus etiam ab eruditiſſimo P. Bandurio, verum ſine lineari pictura, atque omni explicatione. Literæ CL in hoc confirmant, factam fuiſſe a Claudio coloniam, ut ex Taciti ſuperius adducto loco intelleximus.

Tom. I. pag. 311.

D. Devonsh.

II. Caput ſimile. IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG.)(Arcus triumphalis, cui inſiſtit tropæum cum captivis. FELICITAS. S. C. Ex rudi forma flatus, ſed integer. *Tab. L. N. 8.*

Arcum hunc Poſtumo ob victoriam Germanicam excitatum fuiſſe arbitror, qua in opinione confirmor a tropæo, illi aliquantum ſimili, quod tomo I. cum epipraphe *Germanicus Maxumus* edideram.

Pag. 187

MACRIANUS *Junior.*

I. Caput illius radiatum. IMP. C. FVL. MACRIANVS. P. F. AVG.)(Juppiter ſedens cum ſtella in area. IOVI. CONSERVATORI. Argento tinctus,

ctus, utramque laudem meretur. Ex muſeo *D. Love. Tab. L. N. 9.*

TABULA LI.

II. Caput ſimile. - - - ΤΙ. ΦΟΥΛ. ΙΟΥ. ΜΑΚΡΙΑΝ - - *Ti. Ful. Jul. Macrian* - - -)(Caſtra prætoria. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicæenſium.* Tenuis bracteæ, inperitæ manus opus, ſed ſine ætatis vitio. *Tab. LI. N. 1.* *D. Devonsh.*

Primus horum numorum, qui in poſtica aſtrum, Orientis indicium, habet, ſignificare videtur, exercitus, quos iis provinciis ambo Macriani pater, & filius, ſub imperio Quieti fratris reliquerant, Jovis conſervatoris protectioni fuiſſe commendatos.

Alter in celeberrima Bithyniæ urbe Nicæa cuſus fuit ea occaſione, qua duo Macriani ducturi in Thraciam, circa hanc urbem factis vallis ſtativa habuerunt, dum neceſſaria ad Helleſponti trajectum adparata eſſent. Obſervetur, velim, hunc primum hactenus editum ab antiqnariis Græcum Macriani junioris numum eſſe, niſi quis Ægyptios ab laudato P. Bandurio tomo I. imperialium recenſitos adnumerare vellet.

CLAUDIUS *Gothicus.*

I. Caput illius radiatum. IMP. CAES. CLAVDIV.)(Tria ſigna legionaria. ANTIOCH. CL. S. P.

Integer, inperiti admodum cælatoris. Poſſidetur ab equite *Sutton. Tab. LI. N. 2.*

Præclarus hic numus ſignatus fuit ab Antiochenſibus Piſidiæ forſan ob aliquod a Claudio Gothico acceptum beneficium, neque enim urbs, ut olim, ſe Cæſaream Auguſtam cognominat, ſed ANTIOCH. CL. *Antiochiam Claudiam*; literæ S. P. in ſegmento inferiore, niſi forſan adtritu litera R altero pede amiſſo P referat, errore monetarii mihi poſitæ videntur, cum S. R. *Senatus Romanus* eſſe deberent, quas ſiglas alias ſua in moneta exarabant. Poterunt forſan etiam legi: *Senatus Populus.*

Unica hæc eſt colonia, quæ, quantum hactenus novi, Claudio numos feriit; adſunt in averſa tria ſigna legio-
Pag. 74. naria, quem typum etiam in numis a *Vaillantio* tomo II.
159.192. coloniarum productis videmus ſub Elagabalo, Philippo patre, & Trajano Decio, quem autorem conſulet, qui de hac colonia, & typo plura deſideraverit.

D. Devonsh. II. ATT. K. M. ATP. KΛΑΤΔΙΟC. CEB. *Imp. C. M. Aur. Claudius Aug.* Caput ejus laureatum.)(CTPA. CEΠT. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. B. NEΩKOPΩN. *Prætore Septimio Pontico Cyzicenorum Iterum Æedituorum.* Navis cum velo, & remigibus. Numus hic formæ maximæ bene conſervatus grana Anglica 456 adpendit. *Tab. LI. N. 3.*

Diverſis vicibus de Cyzico urbe notiſſima his in conmentariis memini. Id ſingulare: unicum hoc eſſe formæ maximæ numiſma Græcum, quod cum Claudii Go-

Gothici effigie hactenus repertum erat, atque etſi, ut hoc tomo indicaveram, Cyzicenorum numorum elegantia ſingularem monetariam laudem civibus pepererit, manifeſtat ſe tamen hic in parte antica interpunctio abſurda quædam literarum AV. T. pro AVT. & CE. B. pro CEB. Navis partis averſæ fabricæ eſt elegantiſſimæ, qua deſignari conjicio, Cyzicum urbem non ſolum fuiſſe maritimam, verum ejus ampliſſimum portum maximarum etiam navium fuiſſe capacem. *Pag.* 10.

CARAUSIUS.

I. Caput ejus laureatum. IMP. CARAVSIVS. P. F. AVG.)(Templum hexaſtylon, in quo Romæ ſedentis ſignum. ROME. AET. Argenteus numus ſine vitio. *Tab. LI. N. 4.* *D. Devonsh.*

II. Caput & epigraphe eadem.)(Dextræ junctæ. CONCORDIA. MILIT. Ex eodem metallo elegantiſſimus. *Tab. LI. N. 5.* *D. Devonsh.*

III. Caput idem radiatum, inſcriptio eadem.)(Victoria gradiens. VIRTVS. AVG. Eſt D. *Bardon. Tab. LI. N. 6.*

IV. Protome galea radiata tecta, haſtaque & ſcuto armata. VIRTVS. CARAVSI.)(Typus Pacis. IAX. AVG. Optime conſervatus, & cælaturæ laudabilis. *Tab. LI. N. 7.* *D. Devonsh.*

Digitized by Google

V. Caput ejuſdem laureatum. IMP. CARAVSI-VS. P. F. AVG.)(Leo gradiens rictu fulmen ſtringit. LEG. IIII. FL. Argentea moneta nihil adtrita. Ex muſeo *D. Bardon.* *Tab. LI. N. 8.*

Quia numi Carauſii & Allecti Angliæ ſunr proprii, meis partibus in voluminibus, quæ poſthac edentur, minime deero in recenſendis hactenus non editis, cujusmodi ſunt quinque præſentes Carauſii; Horum primus mihi perſuadet deæ Romæ a Carauſio ſtructum fuiſſe templum. Obſervationem meretur, vocabulum *Rome* ſine diphthongo ſcriptum eſſe, quæ tamen in primis literis *Æterna* ſe ſiſtit. Alter numus adtentionem meretur ob militum concordiam, qui forſan occaſione ſedatæ alicujus in exercitu gliſcentis ſeditionis cuſus eſt.

Tertius demonſtrat, ſolam relatarum victoriarum cauſam Carauſii virtutem fuiſſe. Quartus protomen armatam ejuſdem Carauſii hactenus non viſam exhibet, atque docet virtutem imperatoris poſitam fuiſſe in armis, quibus pacem erat conſecutus, cujus ipſius typus elegantiſſimi hujus numi partem poſticam ornat. Quintus docet, fuiſſe in Anglia legionem, cujus rei nulla hucusque habebatur notitia; eadem hæc in Gallieni numis reperitur ita conſignata: *Legio IIII. Flavia P. VI. F.* quæ juxta Dionem a Veſpaſiano in Syria conſtituta fuit; Leo fortitudinem, fulmen velocitatem deſignat, quibus hoſtes obterebat.

ALLE-

Digitized by Google

ALLECTUS.

IMP. C. ALLECTVS. P. F. AVG. Caput ejus laureatum.)(SALVS. AVG. Hygia ſtans. Argenteus pulcerrimus, ſuſpicorque illum typario aureis adhiberi ſolito percuſſum. *Tab. LI. N. 9.* *D. Devonsh.*

Tam rara avis eſt numus Allecti argenteus, ut hic ſolus hactenus mihi ſe obtulerit, qui ob conſervationem lucem publicam mereatur. Propoſiti numi argentei mihi in memoriam revocant verba Ciceronis in epiſtolis ad Atticum: *Illud cognitum eſt neque argenti ſcrupulum eſſe ullum in inſula Britannia,* ubi tamen, quæ in his videtur, argenti puritas contrarium demonſtrat. (225)

Dum huic tomo finem inpono, non omittendum duxi aliquid de ſiglis in ſegmento inferiore horum numorum expreſſis adjicere; legi hæ ita poterunt, nempe: RSR. *Reipublicæ Securitas reſtituta,* M. S. R. *Moneta Signata Rigoduni.* M. L. *Moneta Londinienſis.* vel *Municipium Londinium.* Quia tamen optime ſcio, nihil hoc in argumento adhuc conſtitutum ab antiquariis, neque ego mihi ſumo id velut aliquo ſenatus conſulto definire, quæ dixi, eum

(225) Nihil hic mirum, aut peculiari obſervatione dignum video, an enim non inde ab ætate Ciceronis ad Allecti tempora, aut ab Romanis metalla in inſula detegi poterant, aut per bella vel conmercia inportari.

Digitized by Google

eum in finem ſolum adtuli, ne viderer ænigmata hæc omnino ſilentio præteriviſſe.

Ad extremum veniam mihi dabit lector ob numos conplures paucis ſolum verbis inluſtratos, etſi maturiorem aliquam diſcuſſionem promeriti fuerint, quod tamen ipſum nequaquam viam viris eruditis obſtruit, ſuam de his ſententiam explicandi.

Finis Tomi Secundi.

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Abbæti Myſiæ, 91.
Abgarus rex Edeſſæ, 70.
Achæi, 114 & ſeqq.
Achaia urbs Syriæ, 102.
Acmonia oppidum, 240, 327.
Acraſiotæ, 103, 349.
Addea urbs, 381 & ſeq.
Adramytteum urbs, 278.
Æga Solis filia, 379.
Ægæ Æolidis, 223, 292. *Ciliciæ*, 341, 342, 378, 385.
Ægoſpotami urbs, 103.
Ægyptus, 100.
Ælia Pætina, 234.
Ælius cæſar, 279.
Æmilianus, 377.
Æneas Trojanus, 86, 87.
Ænus urbs, 87.
Æſculapius cultus ab Athenienſibus, 95.
Ætas Commodi in numis, 301.
Agapenor templum Veneris Paphi ſtruxit, 5.
Agrippina, & *Germanicus*, 228.
Agrippina minor, 232 & ſeq., 241.
Agrippina colonia, 391 & ſeq.
Alabanda, 277. 322.
Alannus, 70.
Aleus, 3.
Alexander M. 13.
Alexander fil. Caſſandri, 15.
Alexander Severus, 349 - 351.
Alinda, 162. 338.
Allectus, 397, & ſeq.
Amaſia Strabonis patria, 281. *fundata a Mercurio*, 308
Amaſtris, 170, 346.
Amiſus, 174.
Ammon Aphyten protegit, 113.
Amorium, 316.
Amphitrite, 242.
Amun quid ſignificet? 114.
Anazarbus, 377, 386.
Anchiale urbs, 353.
Ancyra, 282, 286, 300.
Annia Hetruſcilla, 371.
Annius Verus, 288.
Annus novus ſacer, 249, 256 & ſeq.
Antigonia, 116.
Antinous, 277 & ſeq.
Antiochia Cariæ, 215, 370.
Colonia, 367, 394.
Syriæ, 371.
Antiochus I. rex Syriæ, 21, 22,
Antiochus XIII. ultimus rex Syriæ, 25.
Antipater filius Caſſandri, 16.
Antonia filia Claudii, 234.
Antoninus Pius, 280 - 283.
Antonius, & *Cleopatra*, 213.
Apamea, 105. *Colonia*, 360.

Digitized by Google

Aphrodiſia, 111, 217, 316, 317, 320, 384.
Aphyte, 113.
Apollo Archagetes, 134. *Branchides*, 383. *Didymeus*, ibid. *Lycogenes*, 142.
Apollonia fundata ab Alexandro, 104.
Apollonius Aphrodiſienſis, 217.
Apollonius Tyaneus philoſophus, 311.
Arca urbs, 287.
Archelaus I. 11.
Archæanactidæ, 64.
Ardoates rex Armeniæ, 44.
Aretas rex, 210.
Argivi, 118.
Ariadna, 146.
Ariarathes, *I.* 44. *II. III. IV.* ibid. *V.* 45. *VI.* 46. *VII.* 47. *VIII. IX.* 48.
Arideus rex, 14.
Arion citharœdus, 350 & ſeq.
Armenia, 264.
Arſaces I. quando fundaverit regnum Parthicum? 36. *Secundus*, ibid.
Arſinoe ſoror, & uxor Ptolemæi Philadelphi, 27.
Artabanus VII. rex Parthiæ, 38.
Artabanus ultimus rex Parthiæ, 42. 43.
Artavasdes rex Armeniæ, 39.
Artaxerxes rex Perſarum, 43.
Aſeatæ populus Achaiæ, 116.
Aſia urbs, 105.
Aſopus oppidum, 334.
Atarnea oppidum, 107.
Athenæ, 92 - 100.
Athenienſes beneficiis culti a Demetrio, & Antigono, 98.
Athenæus unde fuerit oriundus? 266.
Atratina familia, 204.
Attes, 384. *fundator Attudæ*, 110.
Attalea, 107, 303.
Attalus rex Pergami hæredem ſcribit P. R. 32.
Attuda urbs, 109. 110. 384.
Auguſta oppidum Ciliciæ, 324.
Auguſtus, 214 - 221.
Aurora, 88.
Azane urbs, 228.

B.

Bacchus Indicus barbatus, 159.
Bagæ urbs, 337.
Balbinus, 356.
Balneum ex lacte aſinarum, 242.
Barium urbs, 119.
Bas rex Bithyniæ, 52.
Bellerophon, 81, 135.
Berenice, & Ptolemæus, 26.
Berytus urbs, 121.
Billæus fluvius Tianorum, 286.
Bithynia, 248. 284.
Bithynium, 308.
Bizya urbs, 363.
Blayndus colonia Macedonum, 120.
Botiras rex Bithyniæ, 51.
Britannicus ante Tiberius Claudius Germanicus dictus, 234.
Briula urbs, 122, 285.

Bru-

Digitized by Google

Brutus, *& Sulla*, 209.
Bruttia cognomen Criſpinæ in numis, 304 & ſeq.
Bruzus oppidum, 310.
Bucephalus equus, 20.
Byzas heros, 84.
Byzantium urbs, 84, 304.
Bytrotum urbs, 123.

C.

Cabera urbs Ponti, 175.
Cabiri, 289.
Cadi oppidum, 376.
Cæcilia familia, 199.
Cælina urbs, 140.
Cæſarea colonia, 226. *Libani*, 287. *juncta Cibyratis*, 320, 324. *Cappadociæ*, 337. *Paleſtinæ*, 338 & ſeq.
Cajus & Lucius Cæſs. 222 & ſeqq.
Caligula, 229, 230.
Calippus dux Græcorum, 96.
Capricornus quid denotet? 9.
Carauſius, 395 & ſeq.
Caſſander rex Macedoniæ, 16. *crudelis in ſtirpem Alexandri*, ibidem. *tam ipſe*, *quam filii miſere interierunt*, ibid.
Caracalla, 320 - 332.
Cares populi Achaiæ, 117.
Carrhæ urbs, 141, 307, 328.
Cauſia quid ſit? 12.
Cephalenia, 88.
Cephalus, ibidem.
Ceſtia familia, 200.
Chabactus, 178.
Charillus rex Lacedæmoniorum captus a feminis, 6.
Chimæra, 81, 82.
Chryſorhoas fluvius Hierapolis, 136.
Cibyratæ juncti Cæſareæ, 320. 324.
Cilbiani, 253.
Claſſis Africana, 298.
Claudia familia, 202.
Claudia Antonia, *& Claudia Octavia filiæ Claudii*, 234.
Claudia Derbe urbs, 243.
Claudius, 230.
Claudius Gothicus, 393 - 395.
Clazomene, 215 & ſeq.
Cleopatra, 30. *& Antonius*, 213.
Cnidus, 142, 332.
Cnoſſus urbs, 2. 143 & ſeqq.
Colonia, *vide Antiochia*, *Agrippina*, *Apamea*, *Carrhæ*, *Cæſarea*, *Deultum*, *Dertoſa*, *Hippo*, *Laodicea*, *Lilybæum*, *Parlais*, *Rheſæna*, *Tianum*, *Troas*.
Colonia Agrippina, 391 & ſeq.
Colophon urbs, 388.
Comana Ponti, 176.
Commodus, 296 & ſeq.
Conſulares numi, 199 - 209.
Contentio Neptuni & Minervæ, 97.
Coraceſium urbs, 387.
Coralium in numo Aphrodiſiæ, 113.
Corinthus, 81, 82, 241.
Cornelia Paula, 348 & ſeq.
Cornelia Supera, 389 & ſeq.

Cornelius Saloninus, 388.
Corſymus fluvius Aphrodiſiæ, 112.
Cörydala, 358.
Cotyaeum urbs, 233, 238.
Crannon oppidum, 82, 147.
Crannonii quomodo impetraverint aquam, 148. *eorum ſigillum*, 148.
Crannonius Theſſalus, 82, 147.
Crauſida equa, 82.
Cretenſes coluerunt Homerum, 72.
Cretia Flaviopolis oppidum, 381.
Criſpina, 303 & ſeq.
Currus æneus, 148.
Cyme Amazon, 89.
urbs, 89.
Cyprus, 245.
Cyrene urbs, 149.
Cyzicus heros, 7.
Cyzicus urbs, 7, 275, 367, 394. *primum Neocora*, 8. *iterum*, 9. *mari potens*, ibid. *olim Dindyma*, 8. *a re monetaria celebris*, 10.

D.

Daldis urbs, 124.
Decius Imp. 369 & ſeq.
Deioneus, 88.
Demetrias ſacra quæ urbs? 124.
Dertoſa colonia, 211.
Deſcriptio animalculi in numo Cyrenes, 150 & ſeqq.
Diadumenianus, 341 - 345. *ejus pulcritudo*, 342.
Diana Boretene, 129. *Leucophryne*, 131. *Pergæa*, 387.
Didymio-Mileſii, 383.
Diocæſarea, 364.
Docimium urbs, 293.
Domitia, 258, 259.
Domitianus, 250, 251 & ſeqq.
Dorylæum urbs, 353, 369.
Druſus, & *Nero Cæſ.* 226.
Duo ſoli corvi in Crannone, 147.
Dydalſus rex Bithyniæ, 51.

E.

Elæuſa Ciliciæ inſula, 126.
Elagabalus, 345.
Eleutheropolis, 322.
Endymion, 214.
Enna oppidum, 200.
Epheſus, 212, 218, 242, 244, 324, 360.
Ephyra urbs, 147.
Epicurus philoſophus, 76, 77.
Epochæ Ægææ, 341, 343. *Amaſiæ*, 308, 313. *Anazarbi*, 386. *Gadarorum*, 294. *regum Bithyniæ*, 55. *Gazæ*, 296, 310. *Flaviopolis*, 340. *Neocæſareæ*, 315, 335. *quando cœperit?* 336. *regum Sauromatarum*, 63, 64. *victoriæ Actiacæ*, 227 & ſeq.
Eretria urbs, 221.
Erichthonius, 97.
Erythræ oppidum, 350.
Eucarpe urbs, 127.

Eume-

Eumelus rex Sauromatæ, 64.
Eumenes Cardianus, 44. *Frater Attali*, 236. *Pergamenus*, 32, 197.
Eumenia urbs, 236.
Eupolemus Eleus, 78, 79.
Eupolemus dux Caſſandri, 80.

F.

Familiæ Romanæ; vide: Atratina, Cæcilia, Claudia, Pupia, Scribonia, Sempronia; Incertæ, 207 & ſeq.
Fauſtina major, 284.
minor, 288.
Feſta deæ Fortunæ annua, 101.
Flaviopolis urbs, 340, 381.
Fundatio Athenarum, 97.

G.

Gadara urbs, 294.
Galatia, 267.
Galatæ Græcos adoriuntur, 96.
Galba, 245, 246.
Gallienus, 381 - 386.
Gallus Imp. 375 & ſeq.
Gaza urbs, 296, 310.
Gaziura Ponti, 175.
Genealogia Alei, 5.
Germanicus, & Agrippina, 228.
Germa urbs, 138.
Geta, 335 - 338.
Gnidus, 142, 332.
Gnoſſus, 2, 143 & ſeq.
Gordiani Africani, 355.
Gordianus Pius, 357 - 359.
Gorgias Leontinus orator, 73.

H.

Hadrianus, 271 - 275.
Hadrianopolis, 357.
Harpaſa urbs, 352.
Hector, 80.
Heraclea Joniæ, 214, 318.
Ponti, 338, 356.
Hetruſcilla, 370 - 372.
Hibera Ilergavonia, 212.
Hiera urbs, 138.
Hierapolis, 131, 133, & ſeq.
Hieropolis, 137.
Hippo, 389.
Hippurius fluvius Blayndenſium, 120, 121.
Homerus, 72, 237.
Hyacinthus, 90.
Hyllus fluvius, 360.
Hypæpa, 194.
Hypius, 287.
Hypſelis urbs, 27.
Hyrcani Lydiæ, 194.
Hyrgaleæ urbs ignota, 317.

I.

Iacchus. 278.
Ida mater Herophilæ, 329.
Ilergavonia, 212.
Ilium urbs, 80.
Imperium Romanum, 209.

Ionia, 288.
Inſcriptio pulcerrima in numo Severi, 314. *in alio Caracallæ*, 330.
Julia Gordus, 139.
Julia & Livia, 222.
Julia filia Titi, 251. *Pia*, 316 & ſeqq. *Mammæa*, 351 & ſeq. *Mæſa*, 346 - 348. *Sæmias*, 345.
Julia Laodicea Syriæ ad mare, 389 & ſeqq.
Julius Cæſar, 211.
Juno, 222.
Juppiter Ceraunius, 309. *Labradenſis*, 236. *Laraſius*, 193. *Pandemus*, 187. *Philalethes*, 216, 223, 232.

L.

Labyrinthi diverſi, 2, 144, 145.
ΛΑΙΡΒΗΝΟC, *quid ſignificet?* 133.
Lacedæmonii, 157, 158, 343.
Lampas aurea, quæ in annum arſit, 94.
Lampſacus urbs, 161.
Laodicea, 216, 220, 223, 232, 237, 259.
Laodicea colonia, 361, & ſeq.
Laodicea Ponti, 177.
Lapis de cælo lapſus, 103.
Laſerpitium ſeu ſilphium, 149.
Leo quid denotet? 13, 14.
Leontium urbs, 73.
Leucon rex Sauromata, 64.
Lilybæum colonia, 204.
Lindus urbs, 162.
Livia, 220. *cum Julia filia*, 222. *matre Tiberii*, 228.
Lucius cæſar, 222, 225.
Lucius Verus, 289 & ſeq.
Lucilla, 295.
Luna Lucifera, 341 & ſeq.
Lunus deus, 183.
Lyſander, 103. *obſidet Aphyten*, 113.

M.

Mæonia, 163.
Mæra uxor Tegeatæ, 4.
Macedones, 293.
Macrianus junior, 392, & ſeq.
Macrinus, 338 - 341.
Magneſia ad Mæandrum, 347, 351.
Magneſia ad Sipylum, 86, 229.
Magydus urbs, 239.
Mantinea, 115.
Marcus Aurelius, 284 & ſeqq.
Marciana, 270.
Marcianopolis. Ibidem, 345, 351, 359.
Mars Γυναικοθοινας *ita a feminis dictus*, 6.
Maſſaniſſa, 157, 158.
Matidia, 271.
Maximus, 354.
Maximinus, 353 & ſeq.
Meduſa, 379.
Megara oppidum, 312.
Melus inſula, 164.
Mercurius cultus Athenis, 98.
Meſſalina uxor Claudii, 244.

Digitized by Google

Meſſalina uxor Neronis, 245.
Meſſenii populus Achaiæ, 117.
Methymna urbs, 350.
Miletus, 383.
Minerva Alea, 5, 6.
Minos, 2, 145.
Mithradates, *I.* 37. *II.* 39. *rex Ponti*, 59. *Cappadociæ*, 44, 46.
Mors Antonii, & Cleopatræ, 213.
Moſtene, 306.
Municipium quid ſit? 202. *& plura de colonia*, ibid.
Mus jaculus, 151 & ſeqq.
Mytilene, 380.

N.

Naucratis urbs, 265.
Neocæſarea, 314, 335.
Neptuno quæ ſacra facta? 298.
Nero, & Druſus Cæſs. 226.
Nero, 236 & ſeqq.
Nerva, 263.
Nicaſipolis ſaltatrix Lariſſæa mater Aridæi, & Theſſalonices, 16.
Nicæa urbs, 377, 393.
Nicolaus ſanctus Ep. 119.
Nicomedia urbs, 254.
Nicomedes I. 52. *II. & III.* 53, 54.
Nicopolis Seleucidis, 299, 310.
Nicopolis ad Iſtrum, 345.
Nummus ſingularis Hadriani, 271 & ſeq.
Nyſa urbs, 358.

O.

Oaxus oppidum, 181.
Octavia filia Claudii, 234.
Octavia uxor Neronis, 241.
Ophrynium, 81.
Origo Bithynorum, 51, 52.
Oroagrea urbs ignota, 166.
Orodes rex Parthiæ, 39.
Orra urbs, 167.
Orthoſia oppidum, 165.
Otacilia, 368.
Otho, ejus numi ænei rariſſimi, 246 & ſeq.

P.

Pæriſades rex Sauromatarum, 64.
Pæſus, 168.
Pan, 76. 77.
Panthea poſt mortem nominata Druſilla, 230.
Panticapæum urbs Boſpori, 63.
Papias magiſtratus Hierapolis, 224.
Parlais colonia, 319.
Paſiphae, 2.
Patræ oppidum, 231.
Pelasgus, 83.
Pelinna urbs, 169.
Pellene oppidum, 323.
Peluſium Ægypti, 274.
Peplum quid ſit? 99.
Perga oppidum, 387.
Pergamus heros, 83.
Pergamus urbs, 84, 219, 269.

Peria-

Digitized by Google

Perinthus oppidum, 269 & ſeq. 312. 336.
Perſes rex Macedoniæ, 17.
Pertinax Imp. 306.
Peſcenius, 307.
Pharus Ægypti, 300.
Pharſalus oppidum, 195.
Philadelphia urbs, 196, 373.
Philetærus, 31.
Philippus fil. Caſſandri, 16. *rex Syriæ*, 24.
Philippi ambo Impp. 361 - 369.
Philippopolis urbs, 288, 326, 348.
Philopœmenes, 4.
Philotas conſul, 227.
Phocæa urbs, 284.
Phraates I. 37. *II.* 38. *III.* 39.
Pindeniſſus urbs, 235.
Plautilla, 332, & ſeq.
Plotina, 269.
Pluſias conſul, 227.
Polydorus, 87.
Pompejus magnus, 210.
Pondus aliquorum numorum Ægyptiacorum, 29.
Pontus, 171, 284.
Poppæa Sabina, 242.
Poſtumus, 391 & ſeq.
Praſiæ urbs, 170.
Priapatius Arſaces, 37.
Procuratoris titulus ante in numis non viſus, 248.
Proſerpina dicta KOPH, 108.
Pruſias urbs ubi ſita? 287.
Pruſias rex Bithyniæ I. 52, 53. *Tutor*, 52. *Pruſias II*, 52, 53.
Pruſa urbs, 249. *diverſa a Pruſiade*, 297.
Prymneſia oppidum, 227.
Ptolemæus, & Berenice, 26.
Ptolemæus Philadelphus, 27. 28.
Ptolemæus galea tectus, 31.
Puella ſacerdos, 6.
Pupia familia, 203.
Pupienus, 356.
Pylæmenes rex Paphlagoniæ, 57.
Pytionia inſula, 170.

Q.

Quintus Herennius, 373, & ſeq.

R.

Rex Antigonus, 98. *Alannus*, 70. *reges Bithyniæ*, 51. *Cappadociæ*, 43. *rex Demetrius*, 98. *reges Ægypti*, 26. *cum galea*, 31. *reges Edeſſæ*, 70. *Macedoniæ*, 10. *Paphlagoniæ*, 57. *Parthiæ*, 33. *Pergami*, 31. *Ponti*, 59. *Sauromatarum*, 60, & ſeqq. *Syriæ*, 19. *Tegeæ*, 3.
Rhaucus urbs, 179.
Rheſaina colonia, 370, 374.
Romani primum fœdus cum exteris principibus ineunt, 28.

Digitized by Google

S.

Sabina, 276.
Sacerdos ſummus Aſiæ, 236.
Sagalaſſus, 343.
Saittæ urbs, 303, 360.
Salonina, 387.
Saloninus, 388.
Saluſtia Barbia, 352. *ejus caput cum cognominibus, ex quo conſequitur non fuiſſe aliam aliquam hujus nominis imperatricem, ut nonnulli volunt*, ibid.
Samoſata urbs, 272.
Sandrocotta, 20.
Sardanapalus, *ejus ſepulcrum*, 373.
Sardes urbs, 183, 239.
Satyrus I. & II. reges Sauromatarum, 64.
Sauromatæ quibus armis uſi? 61, 62.
Saxus urbs, 181.
Scribonia familia, 214.
Scribonia tertia uxor Auguſti, ibid.
Sebaſte Galatiæ, 184.
Sebenytæ populus Ægypti, 273.
Seleucia, 21, 25, 309.
Seleucus rex Sauromata, 64.
Seleucus I. rex Syriæ, 18, 20. *IV.* 23. *VI.* 24.
Sepulcrum Jovis, 2. *Sardanapali*, 373.
Sempronia familia, 204.
Septimius Severus, 308 & ſeqq.
Sibylla Herophile, 329.
Sicyon urbs dicta Demetrias, 124.
Side oppidum, 349.
Signa Zodiaci, 378.
Silphium, 149.
Silvanus cultus a Pergamenis, 219.
Sinda urbs, 162.
Sinope Ponti, 177.
Sipylus heros, 86.
Smyrna, 225, 230, 237, 251, 261, 295, 330, 354, 380.
Socrates, 78.
Spartacus I. II. III. IV. reges Sauromatarum, 64.
Stratonicea urbs, 185 & ſeq.
Sulla, & *Brutus*, 209.
Sulpitius Antoninus, 378.
Syedra urbs, 385.
Synnarchia Antiochenſium, 215.
Synnada urbs, 186.
Syria, 289.

T.

Tabala urbs, 188.
Tabæ urbs, ibid.
Tarentini, 190.
Tarſus oppidum, 332. 340, 356, 372, 373, 388.
Tavium urbs, 309.
Tauri victimæ Neptuni, 298.
Taurus Marathonius, 95.
Teatini, 190.
Tectoſagi, 252.
Tegea, 4.
Tegeates, 4.
Temenothyra urbs, 368.
Templum Palladis Aleæ, 5. *Veneris*, 142. *Veneris Paphiæ*, 5.

Digitized by Google

Teridates, 39.
Thaſus inſula, 128.
Theodorus paſtor pater Heraphiles, 329.
Theſeus, 95.
Thyatira urbs, 129.
Thygatira filia Seleuci, 130.
Tiberius, 226.
Tios urbs, 286.
Titnæus fluv. 292.
Titiana uxor Pertinacis, 307.
Titus, 249, 250.
Tomi Ponti, 354.
Trajanus, 264 & ſeqq. *Selinunte in Pamphylia moritur*, 385.
Tralles urbs, 192, 271, 281.
Tranquillina, 359 - 361.
Trebonianus Gallus, 375 & ſeq.
Tripolis, 22.
Triumviri, 212.
Troas colonia, 328 & ſeq. 369. 375.
Trocmi, 309.
Tropæum Athenienſium, 95.
Tyana, 311. *colonia*, 327.

V.

Valerianus, 378 - 383.
Valerianus junior, 388.
Velia oppidum, 208.
Venus urbi Aphrodiſiæ nomen dat. 112.
Venus multum a Galba culta, 246.
Venus, 222. *Cypria*, 246. *Lucina*, 316, 320. *Cnidia*, 142, 332. *Paphia, ejusque templum*, 5.
Veſpaſianus, 247 - 249.
Veſpaſianus junior, 261.
Vitellius, cujus Græci numi rariſſimi, 247.
Vologeſes, 42.
Voluſianus, 377.

Z.

Zecchino *unde nominis origo*, 10.
Zela Ponti, 266. *vide præfationem ſub finem.*
Zipœtes rex Bithyniæ, 52.

Digitized by Google

Tab. I. pag. 14.



2
A
Æ
4
E
ΚΥ ΖΙΚΟϹ
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ
Æ
D
ϹΤΡΑ ΤΑΡ. ΠΑΥ ΚΟΥ. ΚΥΖΙ ΚΗΝΩΝ. Β ΝΕΟΚΟ ΡΩΝ
7
B
ΚΥ ΖΙ
Æ
9
C
Β Α Φ Ι
Æ
11
A
ΑΛΕΞΑΝ ΔΡΟΥ
AR


2
B ½
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΛΕΞΑΝΔΡ
Æ
B
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ
Æ
B A
Π E
5
C ½
B A
EP
Æ
7
A
A
B A
NK
Æ
9
C
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΕΥΚ
Æ

Digitized by Google



P. Khell Num.

Digitized by Google

Digitized by Google



P. Khell. Num.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab: V. pag: 49



N. Heyn Num.

Digitized by Google



F. Khell Num.


Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


2
B
ΠΕΡΓΑΜΟΣ
ΚΕΦΑΛΛΙΩΝ
ΕΠΙΣΤΡΑΚΛ
Æ
B
BYZAN ΤΙΩΝ
Æ
ΠΙΜΑΡΚΟΥ ΤΟ
.B.
BYZAN ΤΙΩΝ
D
6
ΦΑΥΣΤΙΝΗΣ
ΣΟ
BYZAN ΤΙΩΝ
Æ
8
B
ΑΙΝΙΟ
Æ
10
B
ΚΥΜΗ
ΚΥΜ ΑΙΩΝ
Æ

N. Meyni Num.

Digitized by Google


2
B
ΜΥΣΩΝ
Α ΒΑΙΤΩΝ
Æ
4
B
Æ
B
Α
Ο
Ε
Æ
9
C
Æ
Ε
11
A
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
Θ
Ε
Α
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
Æ


2
D
Æ
4
3/4
Æ
6
E
Æ
OMONOIA
8
B
Æ
ATAP
10
C
ΔΗΜΟC
Æ


2
C
ΔΑ ΑΤΤΟΥ
Æ
4
B
ΔΗΜΟC
ΑΤΤΟΥΔΕΩΝ
Æ
6
C
ΙC ΡΑΒΟΥΛΗ
ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ
Æ
8
C
9
ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ
ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ
11
D
ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ
ΚΟΡCΥ



Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google


2
C
3
C
ΒΗΡΥΤΙΩΝ
ΙΠΠΟΥΡΙΟΥ
6
B
8
D
Æ
10
C
Æ

Digitized by Google



Digitized by Google


Digitized by Google



Hum T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google


2
D
AR
4
B
K PA
NNO
Æ
B ½
K P A
Æ

Digitized by Google


1
B
Æ
KY
PA
Æ B
2
K
Y
H
PA

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google


2
D 1/2
ORRA
ΓOR
Æ
4
B
ORRA
Æ
6
C
ΠAIΣ
ÆR
8
A
ΠP
AΣ
Æ
10
C
T M
AM AΣ
TPE ΩΣ
Æ

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google


2
B ½
Æ
C 4
CAPΔIANΩNBNEΩKOPΩN
ЄPMOC
Æ
CAPΔIA NΩN·B·NЄ
6
D
CTPA TONЄIKIA
Æ
ЄΠIK... CTPATONIKЄΩN
8
A
NNAC NΩ
AΔЄ
Æ
ΘYATЄ ΙΡΑ
10
C
KAHTOC IЄPACYN
TABAΛ
ЄPMOC

Haym T.II.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Haym T.II.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


SVLLA COS
MAGNVS IMP
ΑΡΧ ΙΕΡ ΕΥΣΓ ΡΑΜ ΓΛΑΥ ΚΩΝ
ΚΑΙ ΣΑΡ
ΓΛΑΥΚΩΝ ΙΕΡΕΥΣ
ΚΤΙΣΤ
ΓΡΑΜ ΜΑΤΕΥΣ

Haym T.II.

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google



Haym T.H.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


2
C ½
OCTAVIANE RONISAVG
CANDIDO
IIVIR COR
Æ
4
D ½
CEBACTOC
Æ
6
D ½
CEBACTOC ΓΑΛΒΑC
Æ
8
D
LA
Æ
10
A
ΚΑΙΣΑΡΣΕΒΑΣΤ
Æ
ΥΝΙΑ

Haym T. II.



Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google


3
6
8
10
12
E½
D½
C½
C
C
D½
Æ
Æ
Æ
Æ
ÆR
ΠΕΡΓΑ
IMPCAESAR AVGVSTVS
HADRIANVS AVG·P·P·REN

Haym T. II.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


2
E ½
ΛΑΙΛΙΟC
ΟΥC
ΥΠΑΤ·Β·
ΟΜ·ΟΝΟΙΑ
Æ
E ½
PIVS P P TR P
COS IIII
Æ
Æ
5
D
CIACTHCMH ΤΡΟΠΟΛΟ
ΑΜΑ
ΕΡΝΕ
ΑΝ·ΤΡΑΙΑΝ
Æ
7
E ½
CΕΘΡΟ
ΤΗC
9
C ½
ΑΔΡΑΝΤω ΝΕΙΝΟCCΕΒΕΥCΕΒ
ΗΑΥΡΗΛΙΟCΚΑΙCΕΒΕΥCΕΥΙΟCΥΠΑΤΟ
S C
Æ
ΕΠΙΑΝΤωΝΙΝΟCΠΡCΕΒΑΝΤΙΒΚΙΠΟΜ
E
Æ

Haym T. II.



Digitized by Google

Digitized by Google


ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ
ΔΟΚΙΜΕ ΩΝ
ΛΟΥΚΙΛΛΑ ΣΕΒΑΣΤΗ
ΙΕΡΟ ΠΟΛΕΙΤΩΝ
ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ
VOTISFELICIBVS

Haym T. II.

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google


2
B
IMPCAES P ESCNII
PIETA TIAVG
E
ΑΥΚΑ CΕΠΤ CΕΥΗΡΟC Π·C
ΒΕΙΘΥ ΝΙΕΩΝ
ΑΔΡΙΑΝΩΝ
Æ
D
7
D½
8
E
ΤΗCCΕΛΕΥΚΙΔΟC
ΝCΙΚΟ
ΠΟΛCΙ
ΤΩΝ
Æ
E
11
E
12
D
ΠΕΡΙΝΘΙ
ΝΕΩΚΟ
ΜΕΓΑ ΡΕΩΝ
Æ
E
ΑΔΡCΕΥΑΝΤΑΜΑCΙΑCΜΗΤΝΕΠΡ
ΕΤ·CΗ
Æ


Haym T. II.



Haym T. II

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google


Æ
BIZYHN
ΩN
E ½
ΑΔΡΙΑ·ΔΙΟΚΕCΑΡΕΩΝ ΜΗΤ
ΚΕΝΝΑ
ΤΩ
Æ
ΓΕΡΜΗΝ
4
F
Æ
6
ΜΑΡΚΩΤΑΚΙΛ CΕΒΗΡΑ CΕΒ
ΜΕΙΚΟΜΑΧΟC ΑΡΧΙ
ΤΗΜΕΝΟΘΥ
ΡΕVCΙΝ
Æ
8
DE CIVS
A
COLA VTRO
Æ

Digitized by Google


ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ
ΜΕΑΝΔΡΟϹ
Æ
3
ΕΡΕΝΝΙΑΕΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑϹΕΒ
D
ΔΗΜΑΡΧΕΞΟΥϹΙΑϹ
S C
Æ
5
ΑΝΝΙΑΝΑΙΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑΝϹΕ
D ½
ΤΑΡϹΟΥΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟϹ
Æ
7
ΑΥΚΕΤΡΟΥϹΚΔΕΚΙΟϹϹΕΒ
C
ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝΝΕΩΚΟΡΩΝ
Æ
9
ΑΥΤΚΑΙΓΑΜΕϹΚΥΤΡΔΕΚΙΟϹϹΕΒ
D ½
ϹΕΠΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝΙΗΡ
Æ

Haym T. II.

Digitized by Google



Haym T. II.

Digitized by Google

Digitized by Google


G
Æ
ΑΔ
ΔΕΟΝ
IB
3
E
Æ
ΔΙΑΥ
ΜΕΙΩΜ
ΕΙΛΗCΙ
ΩΝ
5
E
CIΕΩΝ
Æ
ΔΕΩΝ
7
E
8
C
Æ
ΕΤΒΟC
E
Æ

Haym T. II.

Digitized by Google


2
ΓΑΙΑCΑΡΤΕΜΙΔΟCΑCΥΛΟΥ
4
ΑΥΚΠΛΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΥC
E
Æ
ΤΑΡCΜΗΤΡΟΠΟΛΑΜΚ
6
D ½
Æ
ΙΟΥΛΙΕΩΝ
8
IMPCMCASSLATPOSTVMVSPFAVG
E
Æ
FELICITAS
C
C ½
Æ
IOVICONSERVATORI

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

Jucundiſſima mihi obvenit occaſio rei numariæ limites proferendi, trium ſupra viginti numos urbium ſine capite regis, vel imperatoris percuſſos, neque hactenus ab ullo, quod ſciam, deſcriptos tibi ſiſto, lector antiquarie, atque hos inter aliquot, quorum urbes nunquam adhuc in moneta aliqua legebantur, depromti ſunt cum ex Ilgneriano, tum meo potiſſimum muſeo præter eos, quos ad conjecturas firmandas, & explicationem inluſtrandam depictos liberaliſſime ſubpedi-

Digitized by Google

tavit incomparabilis Marchio Antonius Savorgnanus.

Opuſculum hoc adpendiculæ alterius ad Gesneri cælatas tabellas nomine alteri huic Haymii tomo adjeci, ut editionem primi quam maxime æquaret, id tamen diverſi hic eſt, prior illa C. Chriſtiani ita, ut ipſe in præfatione ſingulari ex modeſtia indicat, conparata erat, ut ab Haymii opere ſeparari poſſet, id quod mea hæc non patitur, quæ enim adnotationes ad Haymium nimis longas effeciſſent, ut de numo, quem pro Carrhis Meſopotamiæ Carthææ reſtituo, tum de Ponticis, huc trajeci. Adduntur etiam ad calcem numi ignoti exemplo nobiliſſimi mei diſcipuli.

Acuebant laborem meum plurimum duo: primum quidem, quia optabam, ut quam citiſſime fieri poſſet, felicitatem meam, qua urbes aliquas

atque

Digitized by Google

atque has inter Carthæam, & quosdam Cnoſſiorum numos ex tenebris primus protraxi, eruditis ſignificarem; alterum erat indicium mihi a Cl. Barthelemy regiæ Pariſiis gazæ præfecto factum, cum ſingulari liberalitate mihi librum: *Recueil de Medailles des Rois, qui n'ont point encore été publiées, ou qui ſont peu connues*, qui eodem, quo C. Criſtiani, anno Pariſiis prodiverat, miſiſſet, ſcilicet eosdem, qui ex muſeo D. Pellerin, hunc enim ſub anonymo latere, pene certus ſum, reges ediderant, jam in urbium monetis deſudare, metuebam nempe, ne in tanto numero, milleſimum enim ſuperaturos numos adnunciabatur, mihi inventionis gloria præriperetur.

Hucuſque perducta præfatio autumno anni ſuperioris, quo editio, ſi per me ſtetiſſet, perfecta fuiſſet, conveniebat; verum tres tomi Pariſiis ita

abſoluti fuerant, ut lapſa hieme iam exemplum Viennæ viderim, quibus oculis, quo animo, optime conjicies lector benevole, erepta erat Carthæa cum Ponticis, atque aliis quibusdam, ut adeo id ſolum ſolatii fuerit, me cum eruditis illis viris eodem tempore eadem cogitaſſe, & præterea, cum Galli autores, ut vix aliter in tanto numero fieri poterat, perbreves ſint, atque plerumque numi indicio contenti, mihi ſignorum explicationem, obſervationesque alias ſingulares relictas fuiſſe, ſed de his ad finem adpendiculæ pluribus; ſi fatis meis condolueris, ſi de gemino ſolatio etiam fueris gratulatus, te amabo, Vale.

Digitized by Google

ADRAMYTTENORUM.

Caput Apollinis laureatum)(ΑΔΡΑΜΥ - - ΤΗΝΩΝ. *Adramyttenorum.* Cornu copiæ inter pileos Dioſcurorum. *Ex muſeo meo: Tab. I. N.* 1.

Numi Adramyttei Myſiæ minoris oppidi (ita enim ſcribendum eſſe nomen volentibus, & invitis grammaticis numiſmata conprobant) tam rari ſunt, ut imperiales ſeu a Vaillantio, ſeu ab Harduino indicatos, vel poſtea a Theupoli editos in digitis adnumeres: ſine imperatoris capite vero alium productum hactenus non noverim. Typus ipſe averſæ partis id ſingulare habet, quod vel tacentibus geographis, & hiſtoricis quemadmodum Phœnicis urbes, ſitum ſuum ad mare, quem in ſignis imperialium numorum fruſtra quæſiveris, Dioſcurorum religione, & conſecutam inde per conmercia opulentiam luculenter indicet.

Et

Digitized by Google

Et ſane magnis emporiis ſe conparare potuiſſe Adramytteum ex Strabone deducitur, qui, cum docuiſſet, totam maris oram a Lecto ad Canas, conprehenſo Elaitico, ſinum Adramyttenum dictum fuiſſe, ſubjicit *Lib. XIII. pag.* 606. Ἰδίως μέν τοι φασὶ τοῦτον Ἀδραμυττηνὸν τὸν κλειόμενον ὑπὸ ταύτης τε τῆς ἄκρας, ἐφ' ᾗ τὰ Γάργαρα, καὶ τῆς Πυρρᾶς ἄκρας. *Proprie autem Adramyttenum ſinum dicunt, qui promontorio, cui inſident Gargara, & alio Pyrrha clauditur;* neve quis dimenſionem deſideret, ſequitur ejuſdem adcuratiſſimi geographi verbis: Πλάτος δὲ τοῦ στόματός ἐστιν ἀπὸ τῆς ἄκρας ἐπὶ τὴν ἄκραν δίαρμα ἑκατὸν καὶ εἴκοσι σταδίων. Latitudo oris inter utrumque promontorium trajectu ſtadiorum CXX. eſt emetienda. Urbis antiquitas ſatis inde liquet, quod a Lydis conditam adfirmat idem *Ibid. pag.* 613. non ſine præclaro argumento: Καὶ νῦν πύλαι Λύδιαι καλοῦνται ἐν Ἀδραμυττίῳ, Λυδῶν, ὡς φασὶ τὴν πόλιν ἐκτικότων. *Quia etiamnum Adramyttei portæ aliquæ Lydiæ nominantur, a Lydis nempe, ut fama eſt, oppidi conditoribus.* Stephanus etiam ex Ariſtotelis politicis Adramyten Crœſi fratrem conditorem prodit.

Id non adſequor, unde Strabo hauſerit, Athenienſium coloniam fuiſſe, neque duce, neque Olympiade deſignata; illud vero mihi prope certum, poſterioribus rei publicæ temporibus id evenire debuiſſe, quamvis enim victo Mardonio Græci eam oram obtinuiſſent, non arbitror tamen ita Athenienſibus frequentatum fuiſſe Adramytteum, ut colonia hujus populi dici potuerit, neque enim in animum inducere poſſum, Delios inſula ſua Olympiadis LXXXIX. anno II. ab Athenienſibus, teſte Thucydide, & Diodoro Siculo pulſos, illuc aut conmigrare voluiſſe,

Digitized by Google

luiſſe, aut Athenienſes ipſos id paſſuros fuiſſe, poſtremi rationem reddo ex Diodoro *L. XII. pag.* 121.

Etſi enim Thucydides *L. VIII. initio*, eos ob veteris cujuſdam piaculi maculam velut indignos, qui deo cohabitarent, ſubmotos ſcribit, diverſam adfert Siculus: Ἀθηναῖοι τοῖς Δηλίοις ἐγκαλῦντες, ὅτι λάθρα πρὸς Λακεδαιμονίους συντίθενται συμμαχίαν, ἐξέβαλον αὐτοὺς ἐκ τῆς νήσου. *Athenienſes Delios adcuſatos clancularia cum Spartanis initæ ſocietatis inſula expulerunt.* Adcedit, ex iis, quæ apud utrumque hiſtoricum ſubjiciuntur, confici, Adramytteum Perſis tum rurſus paruiſſe, ita enim Diodorus: Τοῖς δὲ ἐκπεσοῦσι Δηλίοις Φαρνάκης ὁ σατράπης ἔδωκεν οἰκεῖν πόλιν Ἀτραμύττιον. Deliis vero ejectis Pharnaces ſatrapa Atramyttium incolendam dedit.

Ut mari late nomen ſuum indidit, ita nec terra arctis limitibus oppidi noſtri potentia erat circumſcripta, nec ſuo ipſum ſplendore carebat; hoc ſatis oſtendit cum Strabonis laudati teſtimonium, quo illud urbibus ἀξιολόγοις *commemoratione dignis* adnumerat *pag.* 614. portu enim, & navium ſtatione inluſtrem iam dixerat *pag.* 606. tum Ὁμόνοια cum Epheſiis inita, ut diſcimus ex numo Caracallæ maximæ formæ in muſeo Theupoli; illud vero paullo ſuperius *pag.* 612. idem conprobat, ubi, cum campi Thebes mentionem feciſſet, de ſua ætate ſcribens: Ἔχουσι δὲ, ait, νῦν Ἀδραμυττηνοὶ τὸ πλέον. *Hodie vero Adramytteni majorem partem obtinent.* Late hunc agrum patuiſſe liquet, quia præter Thebam, & Lyrneſſum tum quidem deſertas, quarum illa LX, hæc XXC ſtadiis Adramytteo diſtabat, Cillam etiam, & Chryſam conprehenderat.

Digitized by Google

Sua ſponte hic ſe dat occaſio de antica numi parte aliquid diſſerendi, Smnithei Apollinis caput ſatis cum ea Myſiæ parte, atque ſitu urbis conſentit; non de illo ad Alexandream coloniam, atque ad Hamaxitum ſito templo loquor, in quo opera Scopæ Parii ſignum Apollinis pede murem prementis proſtabat, vicinior Adramytteo altera eſt Chryſa, de qua ſuperius, atque magis domeſticus Apollo, de quo idem geographus *pag.* 605. Τοῖς δ'Ομήρου μᾶλλον ἔπεσι συμφωνεῖ τὰ ἐν τῷ Θήβης πεδίῳ, καὶ τῇ αὐτόθι Χρύσῃ ἱδρυμένῃ πόλει δεικνύμενα ἴχνη. *Homeri verſibus magis conſentiunt veſtigia, quæ in Thebes campo, atque ibi poſita Chryſa oſtenduntur*, de hac *pag.* 612. ita noſter: ἡ δὲ Χρύσα ἐπὶ θαλάττῃ πολίχνιον - - - - - ἐνταῦθα δὲ ἦν καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Σμινθέως Απόλλωνος. *Chryſa oppidum fuit ad mare ſitum - - - - - ibi Sminthei Apollinis erat delubrum.* Ceterum ſi quis Cilleum Apollinem ex vicinia mavelit, non repugnabo, quia ipſe de hoc loquens Strabo loco indicato: Αδηλον, εἴτε τὸν αὐτὸν τῷ Σμινθεῖ, εἴδ' ἕτερον. *Incertum, idemne ſit cum Sminthеo, an alius ab eo.*

Duo ad extremum monenda cenſui, primum: ſcriptorem muſei Theupoli turpi admodum lapſu numum Commodi in averſa ita inſcriptum: ΑΔΡΑΜ. ΜΗΤΡ. ΝΕΟΚ. ΠΡ. ΠΟΝΤ. ΕΤ. ΡΠΘ. Adramytteo noſtro adtribuiſſe, quis enim unquam Pontum ad Myſiam uſque extendit? Liquet ſane, initium epigraphes ita dividundum eſſe: ΑΔΡ. ΑΜ. nempe *Hadriana*, *Amaſia*, *Metropolis*, *Æditua*, *Prima Ponti*, *Anno CLXXXIX.* qui ipſe numus Frœlichii conjecturam ex numo Hadriani captam *Quat. Tent. pag.* 174. contra Vaillantium rurſus conprobat, æram Amaſeæ ab anno V. C. 744, aut ut in *Notit. Elem. pag.* 43. anno 745.

circi-

circiter inchoandam eſſe, etenim ſi initio Vaillantii 743. adjicias numi numerum, 189, annum Amaſenum in autumno 932 finientem obtinebis, quo M. Aurelius adhuc vivebat; ubi Frœlichiano exordio 744 cum anno Commodi primo 933 quam optime congruit.

Alterum eſt, mirari me ſatis non poſſe, Stephani præcepta de orthographia nominis Adramyttei tam male cum numis conſentire, dum habet: *ἀλλὰ καὶ δ' ἑνος* T, *ὅταν ἔχη δίφθογγον, καὶ διὰ δυο τῶ* I *μόνως. Enim vero cum ſimplici* T *ſcribi, dum diphthongum, cum duobus, dum* I *ſolum habet.* Numi ſiquidem omnes ante meum editi inſcriptionem præferunt: ΑΔΡΑΜΥΤΤΗΝΩΝ, quod gentile conſentiente ipſo grammatico non niſi a recto *Ἀδραμυττεῖον* derivari poteſt; nec præſidium eſt a numo, quem exhibeo, præterquam enim quod ſcimus, veteres in publicis monumentis multum adcuratos fuiſſe, ex dimenſione ſpatii ſatis tuto conjicitur, oram numi non cepiſſe literam T, quæ Y conſequebatur.

AEGIENSIUM.

I. ΑΙΓΙΕΩΝ *Ægienſium* Caput bacchantis hedera coronatum.)(ΘΕΟΞΙΟΣ. ΚΛΗΤΑΙΟΣ *Theoxius Cletæus.* Aquila ſtans. *Tab. I. N. 2.*

II. De epigraphe agam inferius; caput barbatum pileo aliquo tectum)(ΑΙΓΙΟΝ. Caput muliebre turritum. *Tab. I. N. 3.*

Non mediocrem apud antiquarios gratiam me conſecuturum ſpero duobus Ægienſium numis exhibitis, idque eo magis, quod horum primus unici hactenus editi æneï lectionem corrigit, alter novam forſan eruditionem adfert. Unicus, cujus memini, æneus (neque enim moror argenteos ſingulos a Cl. Sigefr. Bayero *T. V. Comm. Petrop. pag.* 361. & ab Inl. Muſellio *Tab. I. N.* 5. propoſitos, aut alterum Harduini metalli incerti) indicatur a diligentiſſimo Gesnero ex obſervationibus Begeri, verum erravit ſcalptarum iconum conlector, dum eum muſeo Brandeburgico adtribuit, neque enim quidquid libello hoc titulo: *Obſervationes, & conjecturæ in numiſmata quædam antiqua &c. Coloniæ Brandeburgicæ* CIↃIↃXCI. continetur, Begeri eſt, duas præterea Inl. Spanhemii epiſtolas conplectitur, atque priorem longiuſculam, in qua inluſtriſſimus autor in hæc verba: *Quæ utique egregie illuſtrat* . . . *inſignis ac rarus admodum cimeliarchii Gallorum regii, cujus ectypum forte inter ſchedas meas opportune reperio.*

Deſcriptum deinde numum, atque cælatum etiam ſiſtit, ut a Gesnero depictus fuerat: antica ſcilicet caput Jovis laureatum præfert, cum eadem, quæ in præſente eſt, epigraphe; poſtica eundem Jovem inberbem puerili ætate, divaricatis cruribus ſtantem, dextra fulmen, ſiniſtra aquilam gerentem exhibet, inſcriptionem ita legit: ΘΕΟΞΙΟΣ. ΚΡΗΤΑΙΟΣ, quæ ex minus conſervato numo hauſta lectio mirum quantum virum eruditiſſimum torſit; ad Doricam dialectum aliasque literarum mutationes confugiendum erat, ut *deum deorum* ex ΘΕΟΣ & ΣΙΟΣ; *Jovem creſcentem* ab ἀέξειν & ἄξειν; aut ab ὀξύνειν *iratum, ultorem* extunderet.

Nec

Digitized by Google

Nec minus laboravit, ut adpoſitum ΚΡΗΤΑΙΟΣ cum Ægienſi moneta conciliaret; hac omni moleſtia illum liberaſſet elegans hic muſei mei numulus, in quo certiſſime inſcriptum eſt, ΚΛΗΤΑΙΟΣ, quam lectionem error Cl. Arrigonii etiam confirmat, qui ex ſuo muſeo *Tab. I. N. 7.* geminum Spanhemiano numum protulit, in quo: ΘΕΟΞΙΟΣ. ΚΑΝΤΑΙΟΣ. ſibi videre videbatur; norunt experti, Λ facile cum Α, Η cum Ν permutari poſſe in numo minus integro, ut adeo quæ Jovis habebantur cognomina, unius, aut duorum urbis archontum ſint nomina, in quod poſtremum inclinaret numus Hadriani: ΑΡΙCΤΟΔΑΜΟC. Α. inſcriptus, niſi ex Muſelliano ſuſpicio Bayeri confirmaretur per nimiam his in rebus lubidinem Harduinum Α. ex conſueto Achæorum monogrammate abſtraxiſſe.

Quod ſigna utriusque partis adtinet, Spanhemii numo meus multum præſtat, ut enim de pulcerrima cælatura nihil conmemorem, unum Jovis cultum, etſi ſub diverſis ſignis ille nos docuit, quem ipſum in præſentis parte averſa ſignata aquila ſatis declarat, hanc enim ſeu Jovi Homagyrio adſtituas, ſeu Jovi puero in manum tradas, ſeu ad utrumque referas, tantundem eſt; De alia apud Ægienſes religione numi antica nos conmonefacit, Liberi nempe; ejus ad theatrum ædem fuiſſe, ſcribit Pauſanias *in Achaic. c. 23.* Διονύσου δὲ πρὸς τῷ θεάτρῳ πεποίηταί σφισιν ἱερόν. Bacchæ caput ſignatum eſſe, primum quidem indicavi, a fluentibus capillis potiſſimum perſuaſus, nequaquam vero repugnavero, ſi quis pro Baccho ipſo pronunciandum cenſet, cum laudatus autor continuo ſubjiciat:

Καὶ ἄγαλμα ἐκ ἔχον πω γένεια. *Signum* (eo in templo proſtans) *ore fuiſſe impubere.*

II.

Ectypon alterius eodem in Achaico oppido percuſſæ monetæ cum aliis pluribus debeo Inluſtriſſimi Marchionis Antonii Savorgnani benevolentiæ, qua ex ditiſſimo ſuo gazophylacio quidquid ad antiquariæ rei limites proferendos facere poteſt, identidem mihi ſubpeditat. Anticæ partis lectionem huc diſtuli; Erat, qui a dextra exorſus BEΛINHMIO adjecto Σ. Jovis cognomen arbitrabatur, verum ab iſtiusmodi conjectura me cum recens veſtigium operæ ab Inl. Spanhemio in ΘΕΟΞΙΟΣ perditæ, tum alia non pauca abſtinuerunt: atque primum illud: in omnibus his cognominibus vel loci, ubi cultus erat, vel radicis alicujus Græcæ indicium elucere, quorum neutrum hocce in vocabulo deprehenditur: deinde, ut nihil dicam, caput parum admodum Jovem ſpirare, pro Σ ſane ſufficiens fuiſſet ſpatium, cujus tamen forte extriti ne minima ſuſpicio indicatur: denique vix unquam obſervabitur, ſcalptores monetarios eodem in numo a diverſo latere anticæ & poſticæ epigraphes initium duxiſſe.

Quare, cum in poſtica parte abſque dubio lectio ab ſiniſtra, ſeu ab humero, more fere ſolito, incipienda ſit, etiam adverſæ partis inſcriptionem HMIOBEΛIN legendam cenſui, cui in averſa AIΓION. ita reſponderet, ut *ſemiobolum Ægienſem* denique haberemus. AIΓION ἐλληνικῶς hic adhibitum, perſuaſit civitatis mos, cujus nomen quemadmodum numis inſcriptum non vidi, ita gentile AI-

ΓI-

ΓΙΕΩΝ uſitatum fuiſſe obſervavimus ſuperius; fateor, magis me hæſiſſe ad inſolentem inflexionem: Ημιόβελιν, nempe an dialecto mihi ignotæ, an monetarii cælatoris lapſui tribuerem dubitavi, verum mox erexit an mum ΑΣ-ΣΑΡΙΝ. ΗΜΙΣΥ., quod inter Chiorum numos muſei Theupoli reperi, præſertim cum ab Inl. Savorgnano edoctus eſſem, nequaquam typographi errore O omiſſum, ſed eandem omnino epigraphen numum ipſum præferre.

Bis eadem in vocale, diverſis in urbibus, σφάλμα cælatorum tam ſimile accidiſſe, quia tam facile non perſuadebitur, morem Græcorum pene arguerem fuiſſe, quædam diminutiva, ut dicimus, ita ſaltem in vulgari ſermone proferendi, quo factum fuerit, ut in eadem urbe Chio, quod infra mox oſtendam, & ΗΜΙΑΣΣΑΡΙΟΝ, & ΑΣ-ΣΑΡΙΝ. ΗΜΙΣΥ. in ære publico videamus, etſi in tribus monetis: ΑΣΣΑΡΙΟΝ inſcriptis nuſpiam O deſideretur.

His ita conſtitutis nihil antiquius habui, quam ut a patrono nobiliſſimo Savorgnano peterem, velit, non ſolum Ægienſem ſemiobolum ad libram Norinbergenſem exigere, verum etiam obolum Chium muſei Theupoli, tum omnes aſſariorum ſpecies ſeu in laudata, ſeu in propria gaza adſervatas eadem bilance expendere, expenſorumque numorum pondera ad me transmittere; ad aſſaria uſque mea induſtria ſe extendit, quia cum viderem obolum Chium molis ejuſdem cum numo: **ΑΣΣΑΡΙΑ ΤΡΙΑ.** inſcripto in Theupoliano indicari, ſuſpicari cœpi, forſan nec pondus admodum variare, poſſeque hac ratione cum oboli, tum ſemioboli certiorem aliquam rationem inveniri,

ad

ad quod etiam magis incitabar, quia neminem ſciebam, qui hoc modo in pecunia Græca ænea, eaque minima verſatus, de re numaria bene fuiſſet meritus.

Dum hæc Venetiis agerentur, ipſe quotquot Viennæ, aut in vicinia ejuſcemodi numos tractare poteram, diligenter non ſolum expendi, ſed ſcriptores etiam de valore, & partibus pecuniæ Græcæ æneæ, ſeu qui in theſauro Grævii conlecti, ſeu qui ſingularibus libris ſunt editi, non parvo labore pervolvi, atque utinam fructu majore; cujus cauſa potiſſimum, quia fere omnes ſuperiore ſeculo modum aliquem diſſerendi tam varia rerum multitudine confuſum adſumſerant, ut apta hic mihi videatur noſtri Cevæ *in ſilvis* carmine: *Somnia. v.* 60, *& ſeqq.* comparatio:

Qualia murorum in limbis deſcripta videmus:
In quibus interdum gryphi de vertice natum
Conſpicimus florem, cui ſtans in culmine Siren
Ædiculam manibus geſtat, quam tænia longa
Adligat, atque banc adprenſam grus ſuſtinet ungue,
Cui roſtrum in frutices & baccas, criſtaque in uvas
Deſinit.

Nempe conſtipantur veterum autorum teſtimonia, quin ſæpe advertatur, quo tempore, quave in regione ſcripſerint; multus hinc inde quidem eſt de obolis ſermo, verum an de argenteis, an de æneis, hæſitabis frequentiſſime, quia autor in emendationem alicujus veteris lectionis excurrens, quod inſtituere cœpit, deſerit nimia eruditione diſtractus. Obolos æneos velut ſe indignos alii aut negligunt

Digitized by Google

gunt omnino, aut indicaſſe ſunt contenti. Non major eſt de *aſſariis* adcuratio: hujus pecuniæ nomen a Romanis ad Græcos perveniſſe, fuiſſeque numos librales, & quæ iſtiusmodi ſunt alia, qua in re, qui mihi fidem non habet, vadum tentet vel in ſolo Sperlingio *de numis non cuſis.* Labes hæc præter nimiam eruditionis febrem inde potiſſimum promanavit, quod nemo ad ipſa vetera monumenta adſidens ponderibus & libra armatus, ut conqueritur Celeb. Eiſenſchmidius, negotium tractaverit.

Adeſt interea Venetiis epiſtola, qua me duplici beneficio, quorum alterum omnino ſingulare, ſibi obſtrinxit XVir ornatiſſimus, cum enim pro Re Publica legatione fungeretur ad aulam Gallicam Inl. Thiepoli, inde poteſtatem ſibi fieri petiit amicus inconparabilis, ut ſacræ hujus monetæ arcæ hero abſente recluderentur. Hæſi ad ponderum indicatorum diſcrimen non parum, vidique inſulæ Chio idem eveniſſe, quod de Romana re publica Frœlichius in libello: *Animadverſ. in quosdam numos veteres urbium.* Florentiæ CIↃIↃCCLI recuſo demonſtravit *pag.* 57. *&* *ſeqq.* ſcilicet monetam per gradus quosdam, eosque minimos diminutam eſſe.

Placet hic tabellam ponderum inventorum mea induſtria paratam, alios forſan in uſus, ut ad palæographiam numiſmaticam ex ponderibus deducendam aliquando ſervituram objicere, ex qua demum conſecutiones aliquas deducam; in columnas diviſa eſt, quarum prima Græcos numeros continet, quibus deinde proportionem diminutionis arithmeticam conficiam: altera Aſſariorum numerum exhibet: tertia & quarta pondus libra antiquaria, quam Norinbergenſem

 habeo,

Digitized by Google

habeo, expenſum: quintam in illorum gratiam adjeci, qui drachmis evolvendis minus ſunt adſueti, redegi has nempe ad grana, ejuſdem tamen libræ, etſi minutiis neglectis: in ſexta muſea adſcripſi, ex quibus hæc cimelia depromta ſunt.

	ΧΙΩΝ ΑΣΣΑΡΙΑ.ΤΡΙΑ	Drach.	Gran.	Reduct. ad Grana.	Muſea.
α	- - - - - -	4 S.	--5	275	olim Apoſt. Zeno
β	- - - - - -	4 S.	—	270	Cæſ. Vindob.
γ	- - - - - -	4 —	21	261 }	Theupoli.
δ	- - - - - -	4 —	18	258 }	
ε	- - - - - -	4 —	—	240	Cl. Ilgneri.
ϛ	- - - - - -	3 —	–8	181	Granellian.
ζ	- - - - - -	2 S.	18	168	Theupoli.
η	- - - - - -	1 S.	29 1/5	119	Savorgnan.
ϑ	- - - - - -	1 S.	20	110	Granellian.
	ΑΣΣΑΡΙΑ.ΔΥΟ.				
α	- - - - - -	2 S.	2 4/5	152	Savorgnan.
β	- - - - - -	2 —	16	136 }	Theupoli.
γ	- - - - - -	2 —	15	135 }	
δ	- - - - - -	1 —	13	–73	olim Apoſt. Zeno
ε	- - - - - -	1 —	12	–72 }	Savorgnan.
ϛ	- - - - - -	1 —	10 1/5	–70 }	
	ΑΣΣΑΡΙΟΝ.				
α	- - - - - -	1 S.	–9 1/5	–99 }	Savorgnan.
β	- - - - - -	— S.	18	–48 }	
γ	- - - - - -	— S.	17	–47 }	

Digitized by Google

		Drach.	Gran.	Reduct.	Muſea.
α	ΑΣΣΑΡΙΝ. ΗΜΙΣΤ	2 —	— 5	125	Theupoli.
β	ΗΜΙΣΤ. ΑΣΣΑΡΙΟΝ	1 S.	$19\frac{2}{5}$	109	Savorgnan.
γ	ΗΜ - - - - ΑΡΙΟΝ	— —	23	23	Theupoli.
	ΟΒΟΛΟΣ. ΧΙΩΝ	4 —	29	240	Theupoli.
	ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. ΑΙΓΙΟΝ.	1 S.	$19\frac{3}{5}$	190	Savorgnan.
	Ægienſis primo loco propoſitus.	— S.	25	55	Meus.

SCHEMA DIMINUTIONIS.

ASSARII CHII.

	Drachm.	Gran.	Reduct.
Aſſarium antiquiſſimum fuiſſe. Conprobat ΑΣΣΑΡΙΝ. ΗΜΙΣΤ *Theupoli.* α - - - - -	4 - -	- 10 -	- 250
Aſſarium - - - - - - - Conprobat ΗΜΙΣΤ. ΑΣΣΑΡΙΟΝ. *Savorgnan.* β - -	3 - -	- 19 -	- - 218
Aſſarium - - - - - - - Conprobat ΑΣΣΑΡΙΟΝ Savorgnan. α, item ΑΣΣΑΡΙΑ. ΤΡΙΑ. olim *Apoſt. Zeno.* α & *Cæſar.* β	1 S.	- 9 -	- - 99
Aſſarium - - - - - - - Conprobant ΑΣΣΑΡΙΑ. ΤΡΙΑ. *Theupoli.* γ, δ	1 —	- 28 -	- - 88

	Drachm.	Gran.	Reduct.
Aſſarium - - - - - - - - Conprobat ΑΣΣΑΡΙΑ ΔΥΟ. *Savorgnan.* α	I —	- 16 -	- - 76
Aſſarium - - - - - - - Conprobant ΑΣΣΑΡΙΑ ΔΥΟ. *Theupoli.* β, γ	I - -	- 7 -	- - 67
Aſſarium - - - - - - - - Conprobant ΑΣΣΑΡΙΑ. ΤΡΙΑ. *Theupoli.* ζ	S - -	- 26 -	- - 56
Aſſarium - - - - - - - - Conprobant ΑΣΣΑΡΙΟΝ. *Savorgnan.* β, γ. & ΗΜ - - - - - - ΑΡΙΟΝ *Theupoli.* γ.	S - -	- 17 -	- - 47
Aſſarium - - - - - - - Conprobant ΑΣΣΑΡΙΑ. ΤΡΙΑ. *Savorgnan.* η & *Granelli.* ϑ.	S - -	- 10 -	- - 40
Aſſarium - - - - - - - Conprobant ΑΣΣΑΡΙΑ. ΔΥΟ. olim *Apoſt. Zeno.* δ, & *Savorgnan.* ε, ϛ.	S - -	- 6 -	- - 36

Majus quidem Aſſariorum diſcrimen ex prima *tabella* erui potuiſſet, verum, quia aliquid adfrictui, & ſitui, ſeu majori, minorive conſervationi tribuendum ſciebam, nequaquam granorum minutias perſecutus ſum, ſed ea intervalla ſelegi, in quæ vix temporis edacitati aliquod jus eſſe poteſt. Per minora ergo ponderum decrementa adſumtis ſemidrachmis diminutio obſervata eſt in proportione arith-

Digitized by Google

arithmetica, ut 8. ad 6. ut 6. ad 3. ut 3 ad $2\frac{1}{2}$: ut $2\frac{1}{2}$ ad 2: ut 2 ad $1\frac{1}{2}$: ut $1\frac{1}{2}$ ad 1.

Hinc porro conſequitur primum: Obolum apud Chios ejuſdem valoris fuiſſe, atque numum inſcriptum: ΑΣΣΑΡΙΑ. ΤΡΙΑ, ſiquidem hic tantundem fere adpendit, ac hujuſmodi moneta γ muſei Theupoli; quare obolum tria aſſaria conprehendiſſe. Erit, cui mirum videbitur, in eadem urbe valoris ejuſdem pecuniam diverſis nominibus inſignitam fuiſſe, atque adeo arbitrabitur, Chios ante obolis uſos, his aſſaria tria ſubſtituiſſe. Utut ſit, quia videmus, aſſaria lentis decrementis inminuta, idem cenſeri debebit de obolis, quo fiet, ut noſter 4 *drachm.* 29 *gr.* quam certiſſimo ea temporis confinia adtigerit, quo hæc mutandæ monetæ ratio Chiis placuit.

Conſequitur ſecundo: Quia drachmæ, oboli &c. nomina Græcis tam in Aſia, quam Europa erant communia, aſſariorum etiam uſum alibi, quam apud Chios obtinuiſſe, etſi eorum pondus in diverſis urbibus variaverit aliquantum; unde conficitur: obolum Ægium eo, quo noſter ſemiobolus cuſus eſt, tempore fere 4 drachmas adpendiſſe, quare eum antiquioribus quidem non eſſe adcenſendum, quia tum habitis rationibus *Tabellæ* aſſarium Ægienſium drachmam & 16 grana non excedebat, ætate tamen præſtare numulo meo ΑΙΓΙΕΩΝ inſcripto, quia ſi hic pro hemiobelio, id quod fieri ſane debet, adſumatur, aſſarium tum ſolum erat granorum 37. Tales ſemioboli diminuti cenſeri etiam poterunt parvi illi, atque ſatis frequentes Chiorum numi, qui ſine ponderis nota magiſtratuum nomina adſcripta habent.

Digitized by Google

Conſequitur tertio: errare pleroſque omnes, qui aſſariorum nomen a Romanis ad Græcos perveniſſe exiſtimant; ita enim apud me ſtatuo, eam, quam vidimus, aſſarii diminutionem ex politicis rationibus illa in inſula non niſi lente, atque ſeculorum etiam intervallo eveniſſe, præſertim, cum hoſce numos certo conſecutæ fuerint parvæ illæ monetæ, de quibus illico, quæ, quia diverſorum virorum magiſtratu functorum nomina repræſentant, ſingulis probabilius annis reſpondent. Ex quo adſumto ſponte mihi fluere videtur, Græcos ante uſum *τῶν Ασσαρίων* habuiſſe, quam Romani ita Græcis innotuerint, ut ex illorum moribus aliquid in rem ſuam converterent.

Præterea velim, cur Græci, quorum lingua ditiſſima, ſolum nomen a Romanis mutuati fuiſſent, ſolum nomen ajo, cetera enim omnia diverſa: As Romanorum in duodecim partes, nempe uncias tribuebatur, nihil ſimile de aſſariis Græcorum novimus; As Romanæ pecuniæ velut caput erat, & numus communis maximus, rariores enim treſſes, quatruſſes &c. fuiſſe nemo dubitabit, ubi Græcorum æneos majores *Ασσάρια τρία* valuiſſe, *Ασσάριον* vero ultimum obtinuiſſe locum vidimus; Pondus antiquiſſimi aſſarii Chii ex præmiſſo laterculo confeci fuiſſe ſolum 4 drachmarum ſeu unciæ ſemis, poſteriores vero etiam aſſes, qualem unum corneliæ familiæ SVLA inſcriptum poſſideo, unciam ſemis 2 drachmis, granis 20 ſuperat.

An forſan, tum ad Græcos, & in Chium uſque hoc monetæ nomen pervenerit, cum Romani treſſes flaviſſent? aſt præter ponderis enorme diſcrimen inter hos & Chiorum numum *Ασσάρια Τρία* inſcriptum etiam vetutiſſimi, quam

quam nanciſci poteram commatis, liquet, grandes has æris moles primis rei publicæ initiis flatas eſſe, quibus, cui mari Chius innatet, Romani ignoraverint, Chii vero, quid circa Tiberim ageretur, parum ſoliciti fuerint.

Fateor Romanæ hiſtoriæ ſcriptores Græcos, dum de pecunia loquuntur, perpetuo aſſes per Ἀσσάρια deſignare, exiſtimo tamen, probabilius multo eſſe, hos ad peregrinum *Aſſis* vocabulum indicandum uſitato iam in Hellade, quod ſono proxime adcedebat, uti maluiſſe, quam ut novum aliquod procuderent, cur enim alias tam circumſpecte ſcripſiſſet Halicarnaſſeus, *L. IX. Ant. Rom. pag.* 561. *edit. Oxon.* de mulcta Menenii agens: ἦν δὲ ἀσσάριον χάλκεον νόμισμα βάρος λιτραῖον. *As autem numus erat æneus libralis.* Velim, an Romanos rem novam docere voluerit, an potius Græcis lectoribus errandi periculum tollere, ne nempe mulctam, quam *nimiam*, & *gravem* adſerit, aſſariis ſemiuncialibus definitam fuiſſe putarent, ignorare nempe non poterat homo in Caria natus Chiorum, & aliarum urbium aſſaria.

Totus fui hactenus in epigraphe anticæ partis, quæ me in rationes pecuniarias volentem ita abſtraxit, ut ὀβολοστάτης pene fierem; Philoſophi vultus eadem numi parte ſignatus an legislatoris, an herois alius ſit divinare nolo. Corona turrita quam apte Genio ejus oppidi conveniat, notum eſt ſatis, quippe quod præter alia decora concilii Achaici conſtans ſedes erat ad Pauſaniæ ætatem, teſte eodem *L. VII. c. 24. pag.* 585. Ες δὲ Αἴγιον καὶ ἐφ' ἡμῶν ἔτι συνέδριον τῶν Ἀχαιῶν ἀθροίζεται, quam gloriam poſt Helicen aquis hauſtam omni jure ſibi conparavit, cum, ut idem

ad-

adfirmat c. 7. *pag.* 538: πόλεων ἐν Ἀχαίᾳ τῶν ἄλλων δόξῃ προεῖχεν ἐκ παλαιοῦ, καὶ ἴσχυσεν ἐν τῷ τότε. *Jam tum, & quidem inde a priſcis temporibus dignitate, & potentia oppidis Achaicis aliis præſtabat.*

ALEATARUM.

Caput Minervæ galeatum)(ΑΘ - - ΝΑΣ. ΑΛΕΑΣ. *Minervæ Aleæ.* Bubo cippo inſidens. T*ab. I. N.* 4.

Vota mea prævenit numuli hujus miſſa pictura idem Sereniſſimæ Rei publicæ Venetæ ſenator, & XVir, cum enim ſciret, me in Haymii tomo II. interpretando, edendoque verſari, legiſſetque ad numum Tegeatarum Aleo regi tributum, ipſo fere commentarii initio, Haymium perlibenter ſimilem numum, quem in adverſariis eruditiſſimi Maſſonii extra Angliam alicubi adſervari repererat, utpote ad exhibitam Tegeæ monetam inluſtrandam percommodum, depictum daturum fuiſſe, ſi ejus videndi copiam habuiſſet, cum, inquam, hæc legiſſet, ſuam hanc ſymbolam ad Haymii defectum ſubplendum benevole contribuerat.

Fateor quidem ſimilem monetam in muſeo Cl. Arigoni *Tab. III. N.* 39 exhiberi, quia tamen in conlectione Gesneri abeſt, atque in Arigoniana per errorem Athenienſibus numis inſeritur, hic ſane locum meretur. Per errorem, inquiebam, Athenienſibus adjunctam fuiſſe, quem vel ipſa dialectus Dorica, qua Arcades utebantur, dedocere debuiſſet, quod A. Dorum more pro H poſitum (in præſente numo quidem extritum) ita nomen ΑΘΑΝΑΣ.
in

in Arigoniano numo, quemadmodum in Maſſoniano ſubivit. Ut Athenienſibus cum hac noctua nihil poterat eſſe negotii, ita nec eam Tegeatarum ex officina, quo propendiſſe videtur Haymius, provolaſſe exiſtimo; Antiquæ ad Stymphalum Aleæ numum vindicandum, quæ perſuadent, argumenta ſubjicio, eruditorum arbitrio diſcutienda:

Quia magiſtratus cujuſque urbis plurimum intererat, ut ſua ab aliena pecunia dignoſceretur, exiſtimo, ubi gentile gignendi caſu, atque multitudinis numero inflexum abeſt, monetarios per adjecta deorum ab loco petita cognomina diſcrimen hoc obtinere voluiſſe, ea quidem cautela præterea adhibita, ut ſi idem numen aliis etiam in oppidis colebatur, civium adjecto nomine diſcrimen fieret; exemplo rem palam facio, quia & in Corcyra, & Seleuciæ Pieriæ Jovis Caſii religioſus cultus vigebat, utriusque populi nomen ſuis in monetis eſt conſignatum, triti ſunt Seleucienſium numi, in quibus præter ΖΕΥΣ. ΚΑCΙΟC. additum CΕΛΕΥΚΕΩΝ legitur.

Hinc ſic arguo: nemo antiquariorum numos inſcriptos ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΠΕΡΓΑΙΑΣ. alteri oppido adtribuet, quam Pergæ Pamphyliæ, quare etiam præſens numiſma epigraphe. ΑΘΑΝΑΣ. ΑΛΕΑΣ inſigne nuſpiam alibi quam Aleæ Arcadiæ oppido percuſſum fuiſſe ſtatuendum eſt.

Aſt inquies, Pauſanias *L. VIII. c. 4. pag.* 606. Minervæ Aleæ cultum Tegeæ potiſſimum floruiſſe, nos docet, dum ait: Ἀλεὸς δὲ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἀλέᾳ τὸ ἱερὸν ᾠκοδόμησεν ἐν Τεγέᾳ τὸ ἀρχαῖον. *Aleus vetuſtum illud Aleæ Minervæ fanum Tegeæ ædificavit.* Adſentior; quin & alterius Man-

tineæ ſtructi meminit *Ibidem c. 9. pag.* 617. Σέβουσι δὲ καὶ Ἀθηνᾶν Ἀλέαν, καὶ ἱερὸν, καὶ ἄγαλμα Ἀθηνᾶς ἐστιν Ἀλέας αὐτοῖς. *Minervam præterea Aleam venerantur, cui etiam templum & ſignum dedicaverunt;* neque tamen ab ſententia deturbari me patior. Aſt unde hæc confidentia? Viden:

Non per Joniam ſolum, ſed reliquam Aſiam Diana Polymaſte colebatur teſtibus & hiſtoricis, & numis Colophoniorum, Magnetum, Metropolitarum, aliis, nemo tamen rei numariæ peritus in dubium vocavit unquam, eas monetas, quæ ſeu ΑΡΤΕΜΙΣ. ΕΦΕΣΙΑ, ſeu ΕΦΕΣΙΩΝ inſcriptæ ſolum ſunt, ejuſdem urbis officinæ alicui adſcribendas eſſe; Quod inde confirmatur etiam, quia, ut ſupra indicaveram, urbes eidem Multimammiæ devotæ nequaquam patriæ ſuæ conſignandæ negligentes erant, ita videbis paſſim numos cum Epheſiæ Dianæ notiſſimo typo, qui titulos præferunt: ΑΡΤΕΜΙΣ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΑ: ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΑΡΤΕΜΙΣ. Eccur iam numum, in quo ΑΘΑΝΑ. ΑΛΕΑ. ſolum inſcripta legitur, Aleæ negabimus, etſi eadem epigraphe in alio aliquo cum gentili ΤΕΓΕΑΤΑΝ conpareret, cujuſmodi tamen monetam hactenus erutam neſcimus.

Erit Tegeatarum patronus, qui in duobus adhuc adhæreſcat, quorum illud primum: templum Tegeæ ſtructum a Pauſania dici ἀρχαῖον *vetuſtum*, exiſtimandum igitur, veterem illam religionem hinc in urbes alias propagatam fuiſſe, ut fere Epheſo in Aſiam illa Polymaſtes. Deinde inter conplura ea oppida, ex quibus ad condendam Megalopolin coloni communi Arcadum ſenatus conſulto abſtra-

cti erant, fuiſſe Aleam, quæ tamen omnia aut ad vicos redacta, aut deſerta omnino, ſuis in ruinis nominis umbram aliquam conſervabant.

Nullo negotio hæc diluam: qua in ſententia Tegeatarum templum *ὀρχαῖον vetuſtum* dixerit Pauſanias, ſe ipſum inferius explicat. *c.* 45. *pag.* 693. ubi: Τεγεάταις δὲ, ait, Ἀθηνᾶς τῆς Ἀλέας τὸ ἱερὸν τὸ ἀρχαῖον ἐποίησεν Ἀλεὸς, χρόνῳ δὲ ὕστερον κατασκευάσαντο οἱ Τεγεάται τῇ θεῷ ναὸν μέγαντε, καὶ θέας ἄξιον. *Aleæ Minervæ vetuſtum templum Tegeatis quidem ædificavit Aleus: interjecto dein tempore aliud ipſi cives deæ erexerunt magnum illud & ſpectantium adprobatione dignum.* En, ut, vetuſtum illud, atque ſubito incendio conſumtum, ita enim proſequitur autor, cum ad novum hoc Olympiade XCVI ſtructum referat, quod ſua ætate univerſa in Peloponeſo ornatu erat celeberrimum, ne minimum vetuſtiori illi Aleatarum ædi decerpitur.

Hanc ea in urbe fuiſſe, ex ipſa, qua Pauſanias utitur, ſcribendi ratione conficio, cum primum Tegetarum templi meminit, non *Minervæ* tantum, aut qualicunque conſecratum fuiſſe, ſed Ἀθηνᾷ τῇ Ἀλέᾳ Minervæ *Aleæ* diſertis verbis indicat; velim unde hoc cognomen omni reliqua Græcia ad id tempus ignotum? an forſan a conditore Aleo? verum cedo exemplum, ubi ſignum alicujus numinis a dedicante nomen tulerit; ego quidem nullius memini, quod ſi forſan unum aliquod proferretur, ſexcentis aliis oſtendam, hæc, ſi non ab eventu aliquo, ſemper a loco petita fuiſſe.

Digitized by Google

Ut argumentum ſtringat, illud præterea amplius demonſtrandum ſupereſſe videtur, Aleam oppidum, etſi ex hactenus diſputatis ſatis id liqueat, ante Tegeatarum templum, vetus illud, de quo mox, conditum fuiſſe, quia, quamvis conditorem Pauſanias indicat, tempus tamen tacet, ita ille *c.* 23. *pag.* 642. de Alea: Ἀλεὸν δὲ τὸν Ἀφείδαντος γενέσθαι σφίσιν ἀποφαίνουσιν οἰκιστήν. *Aleum Aphidantis filium cives Aleatæ conditorem produnt.*

Cum ex hoc, tum alio Pauſaniæ loco id eruo: Mos erat priſcis regibus, atque inter primas curas, ubi parentibus ſubceſſerunt, regiam aliquam ſuo de nomine condere, idque ideo potiſſimum, quia remotis illis temporibus pluribus fratribus deſerta fere paternæ ditionis portio obtingebat. Exempla nequaquam extera, ſed ipſa ex Arcadia, atque ex eodem autore induco: inter Arcadis poſteros Clitor Clitora, Stymphalus Stymphalum, Cepheus dialecto Dorica Caphyam ſtruxit, Pſophidis conditor Pſophis, Herææ Heræus, Alipherus Alipheræ &c. conmemorantur. Ad locum Pauſaniæ venio, is poſtquam pagina ſuperius indicata templi ab Aleo Tegeæ ædificati mentionem feciſſet, mox ſubjicit: καὶ αὐτῷ κατεσκεύαστο αὐτόθι ἡ βασιλεία, quem locum fere cum Amaſæo ita interpretor: *atque ibidem ei exſtructa eſt regia.*

Scio, Græcis pro regis aula deſignanda *βασίλειον* uſitatum eſſe, ſcio notionem *regni* vocabulo *βασιλεία* tribui, verum ex adjunctis, ipſoque Pauſania conjicio, quemadmodum vulgo ſub *βασίλειον* ſubauditur *δῶμα*, ita hic ſub *βασιλεία* ſubintelligi debere *οἰκία*. Poſtquam Pauſanias, quæ magnifica Tegeæ eſſent, conplura retuliſſet, ſubjungit

git *c.* 53. *pag.* 708. Ἐθεασάμην δὲ καὶ ἄλλα ἐν Τεγέᾳ τοσάδε· Ἀλέυ οἰκίαν κ. τ. λ. *vidi & alia huiuſmodi Tegeæ, ut Alei domum &c.* De regno in ampliorem ſtatum poſito, aut regia urbe ſermonem hic eſſe non poſſe, περιστάσεις luculenter conprobant. Narrat Pauſanias *c.* 4. *pag.* 605. Aleum ſe inter hæreditatis paternæ ditionem continuiſſe. Ἀλεὸς δὲ ἔσχε τὴν πατρώαν λῆξιν; Et quæ tandem patri obtigerat? docet id *pag.* 604. Ἀφείδας δὲ Τεγέαν, καὶ τὴν προσεχῆ ταύτῃ ἔλαχεν. *Aphidas Tegeam, & quæ adjacent, ſortitus eſt.*

Tum igitur iam regnum, iam Tegea regia ſedes conſtituta, quare illud: Καὶ αὐτῷ κατεσκεύαστο αὐτόθι ἡ βασιλεία de ſtructo palatio intelligendum, id quod cum mentio facta templi ædificati, tum phraſis κατεσκεύαστο, quæ ædificiis potius adhibetur, præſertim conſtructione, ut dicimus, paſſiva, conſuadet.

Ecquid hinc efficietur? Aleum ſcilicet aliquamdiu ſedem regiam Aleæ, nempe in urbe ab ſe condita, fixiſſe, eo ſaltem temporis intervallo, quo Minervæ ibidem dedicatum ſignum aliqua, ut ita loquar uſucapione Aleæ cognomen mereri poterat; tum vero ſeu triſti patris memoria motum, ſeu loci ſitu invitatum aulam regiam Tegeam transferre conſtituiſſe, neque tamen aliter, quam Palladio ſuo aliquantum ante præmiſſo. Τῇ δὲ Ἀθηνᾷ τῇ Ἀλέᾳ τὸ ἱερὸν ᾠκοδόμησεν ἐν Τεγέᾳ τὸ ἀρχαῖον, καὶ αὐτῷ κατεσκεύαστο αὐτόθι ἡ βασιλεία. *Minervæ Aleæ templum vetus Tegeæ ædificavit, ipſique ibidem aula regia conſtructa eſt.*

Digitized by Google

Ad poſtremum venio: Non diffiteor in Pauſania, ubi frequentatam colonis Megalopolin narrat *c. 27. pag.* 655. legi: Τῶν δὲ ἄλλων τῶν καταλεγμένων πόλεων, αἱ μὲν ἐς ἅπαν εἰσὶν ἐφ᾽ ἡμῶν ἔρημοι, τὰς δὲ ἔχουσι οἱ Μεγαλοπολῖται κώμας. *Aliæ vero, quas recenſui, urbes* (quas inter erat Alea) *partim hodie omnino deſertæ ſunt, partim in vicos redactæ a Megalopolitis tenentur.* Aſt quando tandem Megalopolis condita? Eodem, quo ad Leuctra pugnatum eſt, anno, ſcilicet Olympiadis CII. anno altero, ſeu A. X. 371. Eccur numus noſter ante hanc non adeo remotam epocham ſignari non poterat? etſi fateor, difficile eſſe, de numi ætate, quem manu non contrectavi, aliquid pronunciare. Liberalis ero, fingamus, numum poſteriores aliquos natales indicare, dabo id, verum ad duo velim diligenter adverti animum. Primum eſt, quæ de deſertis omnino urbibus ſcribit, Pauſanias, conmemorare ἐφ᾽ ἡμῶν *de ſua ætate;* quantum cedo! intervallum ad Antonini Pii tempora intereſt?

Alterum eſt, ſi vel nulla ſubpeterent teſtimonia, nequaquam cogitandum eſſe, cives omnes convulſis tectis Megalopolin convolaſſe, aut iis, qui reſtiterant, priſca civitatis jura, atque adeo etiam cudendæ monetæ ablata eſſe, non enim ſeditionis alicujus, aut alterius criminis, ſed communis ſecuritatis cauſa, exemplo Argivorum inducti, hanc conmigrationem ſuſcepere Arcades. Dixi, etſi nulla ſuppeterent teſtimonia, unum, ne longior ſim, de Aliphera oppido adferam.

De hac ita Pauſanias: Ἐστι δὲ Ἀλίφηρα πόλισμα οὐ μέγα· ἐξελείφθη γὰρ ὑπὸ οἰκητόρων πολλῶν ὑπὸ τὸν συνοικισμὸν τῶν Ἀρκάδων

δων ἐς μεγάλην πόλιν. Eſt vero Alipbera urbs non magna, quod multitudinis bona pars eo tempore diſceſſit, quo Arcadum conſilio coloniæ Megalopolin deductæ ſunt. Proſequitur deinde ejus deſcriptionem: templa ſcilicet ibidem eſſe duo, Æſculapii, & Minervæ, deæ ipſius ex ære ſignum Hypatodori opus, ſpectatu dignum cum magnitudinis, tum artificii cauſa. Addit, celebrari ibidem, etſi cui deo neſciret, nundinas, πανήγυριν ſeu ſacrum conventum. Ecquid, quæro, huic oppido ad eum ſplendorem deeſt, ut propria etiam moneta uteretur? ubi illud rurſus inculco, hunc Alipheræ ſtatum fuiſſe vivente Pauſania.

Inſpiciamus iam Aleam noſtram, an huic aliquid concedat; Idem autor *c.* 23. *pag.* 642. in hæc verba: *Θεῶν δὲ ἱερὰ αὐτόθι Ἀρτέμιδός ἐστιν Ἐφεσίας, καὶ Ἀθηνᾶς Ἀλέας, καὶ Διονύσου ναὸς καὶ ἄγαλμα. Deorum vero templa ibidem ſunt Dianæ Epheſiæ, & Minervæ Aleæ, Bacchi etiam delubrum cum ſigno:* tum narrat, Libero annis ſingulis feſtum *Scierium* dictum agi, quo ut Spartæ ad Orthiam pueri, ita hic feminæ flagellabantur. Paria habemus omnia; novum pondus a ſitu, & quæ hunc conſequebantur, adcedat.

Paullo ſuperius ſcripſerat Pauſanias: *Μετὰ δὲ Στυμφαλόν ἐστιν Ἀλέα, poſt Stymphalum vero jacet Alea, συνεδρίου μὲν τοῦ Ἀργολικοῦ μετέχουσα καὶ αὐτή, Argolico conventui etiam hæc ſe adplicuerat*; Præmiſerat nempe de Stymphalo: *Στυμφάλιοι δὲ τελαγμένοι μὲν οὐ μετὰ Ἀρκάδων ἔτι εἰσίν, ἀλλ' ἐς τὸ Ἀργολικὸν συντελοῦσιν μεταστάντες ἐς αὐτὸ ἐθελονταί Stymphalii quidem Arcadibus iam non amplius ſunt contributi, ſed Argolicæ rei publicæ diſceſſione ſpontanea ſe adjecerunt.* Hoc exemplum, cujus epocham nuſpiam inveni, cum vicinos

Digitized by Google

Aleatas ſecutos fuiſſe exiſtimo, eo ſaltem tempore ita ambo oppida floruiſſe, ut pecuniam etiam ſuis in officinis ferierint, negari vix poterit; Non commemoro numum Stymphaliorum eumque argenteum a Goltzio vulgatum, illud ἐθελοντάι, ſpontaneam illam ſeceſſionem urgeo.

Ut defectio hæc fieret, magiſtratu opus erat, qui id in commune conſuleret, atque ejuſmodi quidem, quem ceteræ corporis Arcadici urbes ab hoc pſephiſmate inpedire non poterant, quare ſupremo eo, & ſui juris, neque enim rerum novarum ſtudioſam, atque tumultuantem plebeculam ſuum in conventum recepiſſent Argivi, neque id Arcades paſſi fuiſſent; novimus autem omnes, non hodie ſolum, ſed olim ſupremæ ejuſmodi poteſtatis ſanctiſſimum indicium monetam haberi conſueviſſe; Oppidula ſi fuiſſent, vile, & abjectum corpus Argolicum æſtimari debebit, quod hæc ſuum in gremium admiſerat. Denique arbitror, ſi vel ante, Arcadibus contributi propria moneta gaviſi non fuiſſent, eos & ſeceſſionem feciſſe propterea, & eo jure illico a conventu Argolico cohoneſtatos fuiſſe.

ALENORUM SEU ALIENORUM.

Caput juvenile nudum. IЄPA. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Sacer Senatus.*)(ЄΠΙ. ΔΑΜΑ. Γ. ΑΛΗΝΩΝ. *Sub Dama Tertium Alenorum.* Bacchus ſeminudus ſ. pede decuſſato ſtans, d. demiſſa botrum, ſ. columnæ innixus amphoram gerit. *Tab. I. N. 5.*

Pa-

Parum propitia fata habuit urbs, ex cujus officina elegans hic, & bene conſervatus muſei mei numus prodiverat, quod ejus ne minimum veſtigium apud geographos & hiſtoricos reperitur. Aleii, Ἀλήϊε, campi in Cilicia meminit Strabo, Stephanus etiam urbis Halarum, quæ campo nomen dederit, verum ab Ἀλαὶ derivari Ἀλαῖος docet numus: ΑΛΑΙΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ inſcriptus apud Spanhemium *Tom.* I. *pag.* 266; ſciebam quidem hinc non abſterritum fuiſſe Harduinum, quo minus Gordiani III. numum hac epigraphe: ΑΛΗΙΝΩΝ (ſi tamen bene lecta eſt) iisdem his Ciliciæ Alis, vel Halis adtribuerit, me vero non hoc ſolum, ſed antica numi pars ſemper alio avocabat.

Videbam, legebamque ſanctum Romani Senatus Genium, ex non mediocri numiſmatum uſu noveram, hanc devotionem urbibus Joniæ, Lydiæ, Phrygiæ ita eſſe propriam, ut non facile in alterius alicujus provinciæ monetis, minime vero Ciliciæ hanc epigraphen legere me meminerim, ipſa cælatura in Lydiam, vel Phrygiam invitabat etiam. Tabulam in hoc naufragio ſubpeditavit aliquam Vaillantius, qui tres Gordiani Pii numos refert, atque hos inter unum ſuo ex muſeo, quos ut Phrygiæ Pacatianæ adtribuit, ita tamen omnes ΑΛΗΝΩΝ ſunt inſcripti, id quod me ſuperius de Harduini lectione, & conjectura hæſitare fecerat.

Obturbabat nihilominus numi mei lectio tam certa, ut non mei ſolum, ſed aliorum etiam oculi aliud quam ΑΛΗΝΩΝ legere non potuerint, idque ea etiam cautela adhibita, qua exemplum gypſeum ex modulo cereo

nitidiſſimum formari feci. Hac in fluctuatione duo me erexerunt potiſſimum; atque primum erat ipſum, cui ſuperſtruxit Vaillantius, fundamentum ſcilicet notitiæ eccleſiaſticæ Hieroclis, ſubſcriptionesque conciliorum, in quibus tamen gentile hujus urbis miris modis variatur: apud Hieroclem ὁ Αλινων vel Αληνων inter epiſcopos Phrygiæ Pacatianæ, ſeu Capatianæ recenſetur, id quod inſcriptioni præſentis monetæ bene conſentit.

Aſt diverſa in ſubſcriptionibus eſt forma: *Act. VI Conc. Chalced.* Nunechius epiſcopus Laodiceæ ſubſcripſit loco Γαίȣ πόλεως Αλιάνων *Caii urbis Alianorum.* In Conſtantinopolitano II. *Conl. VIII.* legimus Glaucum miſericordia Dei epiſcopum Alianorum, & ne de provincia quis dubitet, adjicitur: *provinciæ Phrygiæ Pacatianæ.* An forſan dialectus Dorica hoc in oppido iam ab ætate mei numi continuabatur? id enim cum ſuſpicarer, nomen ΔΑΜΑ pro Δαμȣ, ut in numo ſcalptum eſt, reliqui, neque cum aliis *Damiſiam* legi. *Act. VII. oecum. VII.* ſeu Nicæni II. reperitur: Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Αλέων. *Leo indignus epiſcopus Aleenſium* inter antiſtites Acmoniæ, & Trapezopolis. An qui *Act. I.* pſeudoſynodi Photianæ adnotatur Γεώργιος Αλέȣς *Georgius Alei* huc etiam faciat, divinare nolo, cum in illo epiſcoporum catalogo nullum provinciarum diſcrimen ſervetur.

Erit, qui ex his teſtimoniis, nomen urbis in recto multitudinis numeri ΑΛΙΟΙ fuiſſe, eruet, ſcalptoremque mei numi lapſus condemnabit, velim tamen lentius iſta; Καδοι *Cadi* Phrygiæ ejuſdem urbs, cujus gentile Stephanus Καδηνος format, nulla ætate nomen ſuum mutavit, etſi

Digitized by Google

ſi inſertum, forſan ob euphoniam O. in numorum epigraphe ΚΑΔΟΗΝΩΝ conſpiciamus, an non ob ſimilem cauſam litera I. in ΑΛΗΝΩΝ inſinuare ſe potuerit? ſed ſinamus hæc grammaticis. Geographicam meam conjecturam non parum confirmat cum numiſma a Cl. Arigonio inter numos Deæ Romæ & Senatus *Tab. VII. N.* 5. exhibitum, atque ſigno averſæ partis a præſente diverſum, in cujus antica typus, & epigraphe ſimilis, in poſtica vero ante ΑΛΙΗΝΩΝ veſtigia extriti magiſtratus obſervantur, tum illud Gordiani apud Vaillantium, ex quo, ut ex noſtro Bacchi cultum inter cives viguiſſe liquet. De ſitu ceterum ipſo id unum conjicere licet, quod Laodiceno metropolitæ ſubjectus erat Alenus epiſcopus, urbem in Laodiceæ vicinia poſitam fuiſſe.

AMISENORUM.

Caput juvenile galeatum)(ΑΜΙΣΟΥ. ΙΒ. *Amiſi an. XII.* Pharetra recta, in area luna creſcens cum aſtro, & monogrammata. *Tab. I. N.* 6.

Hæſitaveram, an hunc muſei mei numum, etſi in Geſneri conpilatione aberat, in lucem darem, utpote qui a Golztiano inter numos Aſiæ *Tab. II. & III. N.* 6. relato ſolis monogrammatis, atque epochæ nota, etiam binario inferiore, differebat, verum ubi Cl. Nonnii conmentarium, atque ea, quæ Haymius *T. II.* de Ponticis urbibus ſcripſerat, inſpexi, ita obiter, jejune, ne dicam, negligenter pertractata vidi omnia, ut operæ pretium me facturum exiſtimarem, ſi ab aliis prætermiſſa, oblata hac occa-

 ſione

Digitized by Google

ſione, ſubplerem, lapſus corrigerem, conjecturisque minus firmis probabiles magis ſubſtituerem, quo in negotio, ſi rem aliquibus adtigiſſe non videbor, certus tamen ſum, viam me ad pleniorem Ponticæ monetæ inluſtrationem conplanaſſe.

Nonnius, qui, quod inter primos rei numariæ ſcriptores, eam, quam in præfatione petit, veniam meretur, id nempe ſolum *pag.* 310. habet: *Minerva eſt galea tecta, ab averſa parte pharetræ videtur ſpecies cum loris, ut ab humeris dependeat.* Altum de IΔ anni nempe XIV. notis ſilentium; ad magiſtratus aliquod nomen forſan retulerit hos characteres Cl. Nonnius, qua in ſententia ſi quis hodie adhuc foret, errorem luculenter dedocet noſter. Nec Haymius, qui ignorare numum non poterat, Nonnii oſcitantiam, ut alibi perſtringit, etſi ad hoc illum invitare debebat numus Amaſtreos epocha inſignis; Eadem diſſimulatione uſus eſt Harduinus, niſi quis velit, eum huic epochæ idem æræ initium ſtatuiſſe, a quo per numos imperiales annorum notæ fluunt, ſcilicet ab anno V. C. IↃCCXXI, quo Sratonis tyrannidem excuſſit, ſed de hoc inferius, ſignorum explicatio prius ad limam revocanda.

Minervæ caput in antica vidit Nonnius, ego cum in præſente, idque non meis ſolum, ſed aliorum etiam pictorum oculis, tum in tribus aliis, quos Cl. Ilgnerus inter ſua cimelia adſervat, denique in meo Sinopenſi, ſuo loco producendo, nequaquam Palladis, ſed generoſi cujuſdam juvenis vultum intueor; de Sinopenſi mentionem injeci, quia typus hic in aliis craſſiuſculis Ponticarum urbium monetis obſervatur etiam, ad quod caute advertit Haymius,

apud

Digitized by Google

apud quem ad numum Gaziurorum nihil aliud leges, quam *Teſta con elmo*, ad alterum Chabacti: *Teſta galeata*, nempe: caput galeatum, ubi etiam ſubjicit: La teſta galeata nella I. med. non credo, che appartenghi a Pallade ma piutoſto a qualche perſona, que non ſaprei dire, qual foſſe. *Caput galeatum numi I. non tam Palladis, quam alterius, neſcio cujus, herois potius exiſtimo.*

Heroem hunc me apud Pauſaniam inveniſſe exiſtimo; refert de Amiſi fundatione Strabo: Φησὶ δὲ αὐτὴν Θεόπομπος πρώτους Μιλησίους κτίσαι. *Theopompus narrat, eam primum a Mileſiis conditam.* Quia novimus, colonias deductas fere deos patrios, atque heroum ſuorum, aut conditorum memoriam & ſigna etiam exteras in oras avexiſſe, ipſorum Mileſiorum incunabula inveſtigemus. De his ita Pauſanias *L. VII. pag.* 524. Μιλήσιοι δὲ αὐτοὶ τοιάδε τὰ ἀρχαιότατα σφίσιν εἶναι λέγουσιν. *Mileſii vero ipſi de ſuis originibus hæc commemorant:* narrat deinde horum ore, regionem olim ab Anacte rege indigena Anactoriam dictam, tum ſubjicit: Μιλήτου δὲ κατάραντος στόλῳ Κρητῶν, ἥτε γῆ τὸ ὄνομα μετέβαλεν ἀπὸ τοῦ Μιλήτου, καὶ ἡ πόλις. *Cretenſium vero claſſe Mileto duce ad eam oram adpulſa, urbi & agro ab eodem nomen immutatum.*

Transmigrationis cauſam, ex qua tempus conjicere poſſumus, idem indicat, dum ſcribit: Μίνω τὸν Εὐρώπης φεύγοντες. *Europæ filium Minoem fugientes*; Errat hic quidem Pauſanias, qui in eundem Europæ filium cum aliis pluribus ea omnia contulit, quæ in duos, de quibus iam hiſtoricis, chronologis, & mythologis ſatis convenit, vel in tres Minoes diſtribui debebant, certum enim videtur, fugam

Digitized by Google

Cretenſium eum Minois I. regis juſtiſſimi ingenio non convenire, congruere vero aptius multo in turbatam domeſtica etiam labe Minois II. aulam adeoque annis, qui circa 1231. A. X. fluxerunt. Laudatus Pauſanias proſequitur, quietis eos ſedibus Mileti perfruitos, dum a migrantibus Ionibus exturbarentur, verba ſcriptoris ſubjicio: Τότε δὲ ὡς ἐκράτησαν τῶν ἀρχαίων Μιλησίων οἱ Ἴωνες, τὸ μὲν γένος πᾶν τὸ ἄρσεν ἀπέκτειναν, πλὴν ὅσοι τῆς πόλεως ἁλισκομένης ἐκδιδράσκουσι. *Expugnata vero ab Ionibus Mileto mares omnes præter eos, qui capta urbe ſalutem in pedibus quæſiverant, ſunt interfecti*

Migratio hæc Ionum ad annum A. X. 1054. defigitur; intra ducentos hos & amplius annos ſane Cretenſis hæc colonia, atque conditoris Mileti nomen & promerita ita confirmari poterant, ut nova in Pontum deducta Amiſo fundatæ primi ſui conditoris imagines, & ſigna inferret, in publica etiam moneta, vel tum iam ſignata, vel aliquando feriunda. Intercepta hoc tempore fluctuans epocha remota nimis vix videri alicui poterit, cum & Euſebius Mileti fundationem in annum A. X. 1275. promoverit, & Melus, aliæque urbes interim ſtructæ fuerint.

Ceterum ſaltem a fugitivis illis, qui internecioni ſuperfuerant, maris alioquin peritiſſimis juxta illud: Ο Κρὴς ἀγνοεῖ τὴν θάλασσαν prima Amiſi fundamenta jacta eſſe, ut nemo facile negaverit, ita confiteri etiam neceſſe erit, eos primi conditoris imaginem in numis ſignaviſſe, ne enim extra Pontum exeam, teſtatur Strabo de Sinopenſibus *L. XII. pag.* 546. ubi de Autolyci ſtatua a Lucullo ſublata agit, eum, quia conditorem habitum, divinis ibidem honori-

Digitized by Google

ribus cultum, ὃν ἐκεῖνοι οἰκιστὴν ἐνόμιζον, καὶ ἔτιμων ὡς Θεόν. Partem vero religionis non minimam fuiſſe eam devotionis conteſtationem, qua numinum effigies in ære cælaverant, quotidianus numorum uſus ſatis docet, in quibus a libero populo percuſſis aut vultus τοῦ Κτιστοῦ, aut dei, deæve alicujus denique objicitur; age iam, etſi Miletus hic non exhibetur, deum ſub hac galea latentem prode, ſodes! quisquis aliter ſentis.

Quæ hactenus ſtabilivi, novo argumento partis averſæ typus confirmat, pharetra, quam conſpicimus, Cretenſem Mileſiorum originem luculenter teſtatur; quis ignorat, ſagittarum torquendarum peritiam ita inſulæ hujus incolis fuiſſe propriam, ut omni in exercitu hoc armorum genere miles Creticus valuerit plurimum, profecto vel tacentibus hiſtoricis id conficerent Gnoſſiorum numi inferius a me producendi, cujus urbis cives ita hoc bellicum inſtrumentum ſuum feciſſe videntur, ut monetarii illud omiſſo etiam urbis nomine ſignum ſufficiens Gnoſſiæ pecuniæ arbitrati fuerint. Ut hæc in conperto ſunt, unicum tamen exemplum proferam, ex quo ſimul liquebit, iſtiusmodi, nec aliis pharetris uſos fuiſſe.

Narrat Pauſanias *L. IV. pag.* 326. in Spartanorum Iram obſidentium exercitu ſagittarios Cretenſes fuiſſe, μετεπέμψαντο γὰρ ἔκ τε Λύκτου, καὶ ἑτέρων πόλεων μισθωτούς, *ſtipendiis enim cum ex Lycto, tum urbibus aliis conducti erant*, horum vero ſeptem Ariſtomenem induciarum fiducia longius ab Ira abſentem ſtructis inſidiis cepiſſe, addit deinde: συλλαβόντες δὲ τοῖς ἱμᾶσι, οὓς εἶχον ἐπὶ ταῖς φαρέτραις, δέουσιν, ἑσπέρα γὰρ ἐπῄει. *captum vero ob ingruentem noctem pha-*

re-

Digitized by Google

retrarum loris ligaſſe. Quare longiora ſane ea, ut in numo repræſentantur, eſſe oportuit.

Objectioni hic ſatisfaciendum eſt alicui, ex qua tamen ipſa hactenus dictis non leve momentum, niſi omnia me fallant, adcreſcet; Satis conveniet aliquibus cum Cretenſe duce, atque ejuſdem gentis pharetra: aſt Miletum eum fuiſſe negabunt, freti Ephori apud Strabonem *L. XIV. pag.* 635. teſtimonio in hæc verba: *φησί δ'Εφορος τὸ πρῶτον κτίσμα εἶναι Κρητικῶν ὑπὲρ θαλάττης τετειχισμένον, ὅπου νῦν ἡ παλαιὰ Μίλητος ἐςὶ, Σαρπηδόνος ἐκ Μιλήτου τῆς Κρητικῆς ἀγαγόντος οἰκήτορας, καὶ θεμένου τοὔνομα τῇ πόλει τῆς ἐκεῖ πόλεως ἐπόνυμον. Ephorus narrat: Mileti prima fundamenta a Cretenſibus ad mare fuiſſe jacta, ubi vetus iam Miletus conſidet, idque duce Sarpedone, qui cum ex Cretica Mileto colonos adduxiſſet, urbi idem, quod Cretenſi erat, nomen impoſuerat.*

Novi, Ephori adcurationem ab ipſo Polybio celebrari, a Strabone vero hunc autorem iam fabellarum dicam ferre, iam laudari etiam; nec multum etiam laborarem, Sarpedoniſne, an Mileti caput in Amiſeno numo repræſentetur, niſi bona Polybii & ipſius etiam Strabonis venia exiſtimarem, propriam Mileſiorum confeſſionem a Pauſania indicatam adcurato etiam in aliis ſcriptori anteferendam eſſe, præſertim cum περιςάσεις idem ſuadeant. Lego ex Nicandro apud Antonium Liberalem *c.* 30. *βουλῇ Σαρπηδόνος conſulente id Sarpedone*, itinere in Cariam ſuſcepto Miletum ſuo de nomine condidiſſe. An non ſuaſor Sarpedon pro ipſo conditore obtrudi potuit? Aſt nimis adfirmate Ephorus edicit, ex Mileto Cretica ductam fuiſſe

ſe coloniam; ita ſane, aſt id ipſum quam maxime in rem meam.

Omitto quærere, an non conſequi cum novis colonis Sarpedon poterat, ubi Mileto tam feliciter omnia eveniſſe intellexerat; ita ſane hodie examen hominum aliis ex regionibus in Auſtriam penetrat. Hac ratione utrumque ſcriptorem conciliatum haberemus, verum alia magis adliciunt: an non cedo! probabilius multo, quia a Mileto noſtro ante ejuſdem nominis urbs in Creta condita, qui ob id ipſum Minois indignationem incurrerat, illum novæ in Aſia ſtructæ idem nomen duplice titulo inpoſuiſſe: vel certo eorum aliquos, qui Ionum gladios ex Carica illa colonia effugerant, patria repetita ducis ſui memoriam jactis fundamentis ipſa in inſula conſervaſſe? primum illud profecto commodiorem fugæ cauſam ſubgerit, quam Minois, quos Nicander retulit, amores. Alterutrum ex numis conficiam denique,

Exhibuit nobis Venetus nobiliſſimus Arigonius ſuo ex muſeo *Tab. XVI. N. inter urbes* 154. numum, qui in antica maſculum item inberbe, galeatum caput, in poſtica pharetram Creticam rectam ita repræſentat, ut epigraphe ipſa etiam mediam velut numi faſciam, quemadmodum in Amiſeno, aliisque Ponticis inpleat, in qua quidem ſcriba aut pictor, ſicut alias alibi, lapſi fuerint ΜΙΛΕΣΕΙΩΝ effingendo, niſi quis monetam ad ea tempora referat, qua nullus literæ H, aut cum E promiſcuus uſus erat. Numum, quia liber non in omnium eſt manibus, *Tab. I. N. 7.* reſtituendum minore quidem, ſed quam habuerit, forma curavi.

Ita iam exiſtimo, etſi ob numos tam apud Haymium, quam laudatum Arigonium ΛΑΟΔΙΚΕ inſcriptos, atque conſuetis Ponticarum typis inſignes Laodicea aliqua, quam quidem geographi omnes ignorabant, in Ponto condenda ſit, quia tamen certam in Creta Miletum tenemus: quippe cujus Homerus in Catalogo *V.* 145. ita meminit:

> ΟΙ Κνωσσόντ᾽ ἔχον, Γόρτυνάτε τειχιόεσσαν,
> Λύκτον, Μίλητόν τε.
> *Qui Cnoſſum, murisque bonam Gortyna tenebant,*
> *Lyctum, Miletumque.*

Quia, inquam, certam hujus nominis urbem in Creta tenemus, pro Arigonii numo nequaquam Ponticam officinam quærendam, ſed Cretico huic oppido eundem eſſe adſcribendum, in quo cum ſigna ſint eadem, quæ in Amiſeno, probabili conſecutione deducitur, & hanc Cretenſem, & illam Lelegum incunabula ſua ad eundem conditorem retuliſſe, ſeu deinde prius, ſeu tardius Cretica iſta fundata fuerit.

Dixeram ſuperius, parum mea intereſſe, Sarpedonis, an Mileti caput in Amiſeno vetuſto magis ære agnoſcatur, quia caput Palladis, pro quo temere pronuntiatum erat, everſum ibam, indulgentior etiam ero, triumphet Ephorus contra Nicandrum, & ipſam Mileſiorum confeſſionem, deduxerit coloniam ad Lelegas Sarpedon, arbitror, non alia ſacra, non Lares ex Cretica Mileto deportaſſe alios, quam qui in inſula, qui ea in urbe præcipue colebantur; Cretenſis Mileti conditorem fuiſſe Miletum, ut nomen ipſum ſubfragatur, ita, qui inficietur, ſcio nemi-

neminem, conditoribus divinos etiam honores habitos; paullo ante, ubi de ſtatua Autolyci, didicimus, quare ſi nihil foret præterea, in monetis coloniarum primum ex Carica Mileto deductarum, cujusmodi Amiſus, aliud caput, quam Mileti noſtri, nec ſuperſtes ipſe Sarpedon procudi voluiſſet unquam, id quod demonſtrandum potiſſimum adſumſi.

Aſt graviora ſunt alia, quæ nobis forſan viam ad reliqua averſæ partis ſigna explicanda etiam ſternent. Quis Mileſios Cretenſes conditoris ſui tam incurios exiſtimabit, ſi Mileti ipſam infantiam alia quædam ejuſdem inſulæ civitas heroico cultu eſt proſecuta: Refert ex Nicandro Antoninus Liberalis loco ſuperius indicato: *Απόλλωνος καὶ Ακακαλλίδος τῆς Μίνω θυγατρὸς ἐγένετο παῖς ἐν Κρήτῃ Μίλητος· τοῦτον ἡ Ακακαλλὶς δείσασα Μίνω ἐξέβαλεν εἰς τὴν ὕλην, καὶ αὐτὸν ἐπιφοιτῶντες λύκοι, βουλῇ Απόλλωνος, ἐφύλαττον, καὶ ὤρεγον παρὰ μέρος γάλα. In Creta Miletus ex Apolline & Acacallide Minois filia eſt natus: eum a matre Minois metu in ſilva expoſitum lupi frequentantes non ſolum juſſu Apollinis cuſtodiverunt, ſed lacte præbito nutriverunt per vices etiam.*

Neve de alio, quam de noſtro, ſermonem eſſe, quis dubitet, ſubjicitur, eum, ut flagitium a Minoe intentatum evitaret, fuga in Cariam ſuſcepta, Miletum urbem condidiſſe; *εἰς Καρίαν ἀποδιδράσκει, καὶ πόλιν ἐνταυθοῖ κτίσας Μίλητον κ. τ. λ.* Inſpiciantur iam Cydoniatarum numi, & ſub imperatoribus etiam nobis puerum a lupa lactatum repræſentabunt, ejuſmodi numi in ſolo Vaillantio ſub Augusto, Claudio, Nerone, Domitiano &c. conſignantur. Ve-

rum liceat illis inhærere, in quibus caput imperatoris anticam partem non obſidebat, tum vero in poſtica aut lunam creſcentem ſolam, aut hanc cum aſtro ita intueor, ut idem ſignum in numo Amiſeno, aliisque nequaquam ab origine Mithradatum Perſica (quam Haymii conjecturam iam obelo fixi) peti debere exiſtimem, ſed id ipſum Cretam ſapere exiſtimem.

En ut argumentationem inſtruo: per Cl. Haymium numus Amaſtreos cum epocha, per me numi Pontici cum pharetra, & epocha item, Mithradates præcedunt, quia ergo tam in numo Pharnacis avi Mithradatis Eupatoris apud Vaillantium *Hiſt. Regg. Ponti pag.* 52. ex muſeo M. ducis Hetruriæ relato, quam in ipſius Mithradatis Eupatoris numis eadem aſtra ſe objiciunt, horum, aut religio, aut indicium anteriora aliqua tempora reſpicit, & forſan ipſam coloniarum originem.

Si Miletum Ionicam conſidero, aſtrum illud, quod in poſterioribus ejus numis cum leone per errorem Colchis adtributum eſt, ſane ad Dydimæum Apollinem referri poterit, utpote cujus templum iam ante exactos ab Ionibus Cretenſes teſte Pauſania *L. VII. c.* 2. *pag.* 525. conſtitutum erat; Aſt quomodo vicinam Dianam Epheſiam, de qua idem conmemorat, ad lunæ creſcentis ſignum adtrahemus? nunquam iſtiusmodi conbinationem probabili argumento ſtabilitam videre me memini.

Fateor, alicui dei Luni in mentem venire poſſe, qui Cabiris ſumma religione colebatur teſte Srabone *L. XII. pag.* 557. *Ἐτίμησαν δ᾽ οἱ βασιλεῖς τὸ ἱερὸν τοῦτο οὕτως εἰς ὑπερβολὴν,*

βολὴν, ὥςε τὸν βασιλικὸν καλέμενον ὅρκον τῦτον ἀπέφηναν τύχην βασιλέως, καὶ Μῆνα Φαρνάκου. *Uſque adeo id fanum reges venerati ſunt, ut jusjurandum, quod regium dicitur, his verbis conciperetur: per regis fortunam, & Lunum Pharnacis.* Verum quis non videt, iterum de regibus mentionem hic fieri, quibus Amiſenum meum numum antiquiorem exiſtimo, diſertis enim verbis Strabo templum ἱερὸν Φαρνάκυ καλέμενον, *quod Pharnacis dicebatur*, nominat.

Dicam, quod ſentio: mallem Tauricam Dianam adcerſere, ſcribit enim Pauſanias *L. III. c.* 16. *pag.* 249. διαμεμένηκεν ἔτι καὶ νῦν τηλικῦτο ὄνομα τῇ Ταυρικῇ θεῷ, ὥςε ἀμφισβητῦσι μὲν Καππάδοκες, καὶ οἱ τὸν Εὔξεινον οἰκῦντες τὸ ἄγαλμα εἶναι παρὰ σφίσιν. *In hanc diem tam celebre eſt Tauricæ Dianæ nomen, ut Cappadoces cum Ponticis, apud utram gentem ſignum ſit, inter ſe certent.* An enim tam humiles nobis Græcarum illarum urbium ejus temporis cives fingemus, qui, ſi etiam numi Amiſeni moles, & cælatura congruerent, victoris religiones illico ita amplexi fuiſſent, ut moneta ſuis in officinis cuſa turpem ſervitutem palam faterentur?

Majore contentione hæc diſputo, quia de Sinope apud Strabonem *L. XII. pag.* 545. lego: ἐδύλευσε Φαρνάκῃ πρῶτον, eam nonniſi ſub Pharnace (primo nempe) libertatem amiſiſſe; Eadem fata haud dubie tum experta fuerit Amiſus, de qua quidem nihil in hiſtoricis adnotatum invenio; Et hæc forſan infortunium ſuum, etiam epocha conſtituta, cujus annus XIII. tum fluebat, publico in ære ad Græci nominis perpetuum dedecus poſteris transmiſerit?

Digitized by Google

Omnes hos ſcopulos effugio, dum, quemadmodum caput, & pharetram, ita aſtra etiam Cretico ex fonte, atque ipſis ex numis haurio. Per ſolem ſeu aſtrum Apollinem deſignari, ut in vulgus notum eſt, ita nemo negaverit, a Cydoniatis monetariis illud quam aptiſſime ſuis numis inſertum, qui enim Apollinis filium a lupa lactatum ſuo in ære cælarunt, an non percommode patrem, cujus imperio ex Nicandri ſuperius laudati, ſententia a vorace hoc grege & cuſtoditus, & nutritus fuit, averſa numi parte conjunxerint? Quid quod in Mileſiorum numiſmate apud Arigonium medium item aſtrum præ vultu capitis galeati repræſentetur, & forſan lunæ cornua videremus etiam, ſi edacitatem temporis effugiſſet numus.

De lunæ ſigno priusquam agam, amicitiæ illud vinculum diſſimulare non poſſum, quod Cydoniatis perſuaſerit, ut fata Mileti ſua in pecunia ferirent. Omnes conveniunt, oppidi hujus conditorem Cydonem fuiſſe, quem etſi ex Arcadia adeerſat Pauſanias *L. VIII. c. 53. pag.* 707, fatetur tamen: Κρῆτες δὲ ὐχ ὁμολογῦντες τῷ Τεγεάτων λόγῳ Κύδωνα μὲν Ἀκακαλλίδος θυγατρὸς Μίνω, καὶ Ἑρμῦ. *Cretenſes vero a Tegeatarum narratione diſſentientes Cydonem Acacallidis, Minois filiæ, ex Mercurio filium adſerere.* Idem confirmat Alexander *L. I. Cretic.* a Scholiaſte Apollonii Rhodii *L. IV. Argonaut. V.* 1492. relatus Τῇ Ἀκακαλλίδι συνελθεῖν φησὶ, τὸν Ἑρμῆν, καὶ τὸν Ἀπόλλωνα· καὶ ἐκ μὲν Ἀπόλλωνος γενέσθαι Νάξον, ἐκ δὲ Ἑρμῦ Κύδωνα· ἀφ' ὗ ἡ πόλις Κυδωνία καλεῖται. *Mercurium, & Apollinem dicit cum Acacallide conſuetudinem habuiſſe: & ex Apolline quidem genitum Naxum, Cydonem verò ex Mercurio: a quo Cydonia oppidum nomen habet.* Similia ex eodem fonte leges agud Scholia-

liaſten Theocriti *Idyl. VII. ad v.* 12. Fratres igitur ex matre erant Cydon & Miletus, idque Cretenſium communi, & in priſcis monumentis fundata opinione.

Jam ad lunam; Britomarten, ſeu Dictynnam reſpicere pene certus ſum, ſi Cydoniatarum ſitum, denique univerſæ Cretæ religiones conſidero. Per lunam eam deſignatam docet nos Virgilius in Ciri, ubi v. 4. & 5. ita canit:

> *Alii, quo notior eſſes,*
> *Dictynnam dixere tuo de nomine lunam.*

Superſedeo hic pluribus de Britomarte, quæ de minus forſan aliquibus noto numine dicenda forent, ad numum Polyrheniorum, inferius exhibendum, differo, in conprobanda cum Cydoniatarum, tum Cretenſium omnium ejuſdem veneratione hic ſolum elaborandum. Strabo *L. X. pag.* 479. ubi Callimachum corrigit, qui Dicten montem Cydoniæ admovet, ita: Τῆς μέντοι Κυδωνίας ὄρος ἐστι Τίτυρος, vel ut alii legunt, τύρος, ἐν ᾧ ἱερόν ἐστι οὐ Δικταῖον, ἀλλὰ Δικτυνναῖον. *Mons Cydoniæ eſt Tityrus*, vel Tyrus, *inque eo templum non Dictæum, ſed Dictynnæum.* De eadem hac æde laudatus ante poeta *Hymn. in Dianam v.* 200.

> Ἀνεστήσαντο δὲ βωμούς
> Ἱερά τε ῥέζουσι.

> *ſtructis ariſque Cydones*
> *Sacra etiam faciunt.*

Ubi obſervandum, interpretum plures velle, Κυδῶνας hic univerſim pro Cretenſibus eſſe poſitos, hos etiam αὐτόχθονας indigenas agnoſcit Strabo *L. X. pag.* 475; ut tem-

templa alia, de quibus idem, præteream, luculentus eſt Diodori locus *L. V. pag.* 236. Θυσίαις τε, καὶ νάων κατασκευαῖς τετιμῆσθαι παρὰ τοῖς Κρῆσι τὴν θεὸν ταύτην. *Deam hanc apud Cretenſes ſacrificiis, & templorum ſubſtructionibus cultam eſſe.* Pauſanias vero *L. II. c.* 30. *pag.* 181. Σέβουσι δὲ οὐ Κρῆτες μόνον. *Eam non Cretenſes ſolum venerantur. L. III. c.* 14. *pag.* 240. *velut* κατ' ἐξοχὴν *Cretenſium Britomartim* eandem nominat, per ejus nomen publicum jusjurandum conceptum eſſe a civibus Cydonia multum diſſitis, alibi oſtendam.

Ut omnia exhauriam: in eo etiam adhæreſcere poſſet aliquis, cur idem χαραγμα a pluribus, & forſan omnibus Ponti urbibus adhibitum, an has inter conventus aliquis, ut inter Ætolos, & Achæos coaluit? id ipſum ſuſpicabar primum, verum cum ejuſmodi ſocietatis apud ſcriptores ne veſtigium quidem reperirem, in coloniarum deductarum progenie conquieſcendum eſt, de quarum in retinendis metropoleos ſignis conſuetudine, ne dicam, conſtantia antiquarii convicti ſumus. Certiſſimam vero hanc in rem fidem ſuam interponit Strabo *L. XIV. pag.* 635. de decoribus Mileti loquens: μέγιστον δὲ τὸ πλῆθος τῶν ἀποίκων· ὅ τε γὰρ Εὔξεινος πόντος ὑπὸ τούτων συνῴκισται ΠΑΣ. *Maximum vero coloniarum deductarum multitudo, etenim Euxinum Pontum OMNEM incolis Mileſii frequentaverunt.*

Ut quam pauciſſima ſingillatim dicam, Sinopen, cujus numum cum pharetra ſuo loco proferam, eorundem coloniam Strabo cum aliis adſerit *L. XII. pag.* 545. Ἔκτισαν μὲν οὖν αὐτὴν Μιλήσιοι. *Hanc Mileſii condiderunt.* A Sinopen-

nopenſibus propagatæ ſunt Trapezus, Ceraſus, & Cotyora teſte Xenophonte *L.V. de expeditione Cyri pag.* 355. Sinopenſes ibi oratores pro Cotyoritis in hunc modum loquentes inducit: Κοτυωρῖται δὲ οὗτοι εἰσὶ μὲν ἡμέτεροι ἄποικοι, καὶ τὴν χώραν ἡμεῖς αὐτοῖς ταύτην παραδεδώκαμεν βαρβάρους ἀφελόμενοι, διὸ καὶ δασμὸν ἡμῖν φέρουσιν οὗτοι τεταγμένον, καὶ Κερασούντιοι, καὶ Τραπεζούντιοι ὡσαύτως. *Cotyoratæ vero hi a nobis in coloniam deducti ſunt, qui eis etiam agrum hunc barbaris ademtum tradidimus, atque propterea quoque nobis vectigal conſtitutum, ut Ceraſuntii & Trapezuntii pendunt.*

Id hic obiter quæro, an cum mos in Ponto ſub annum A. X. 401, quo Xenophon reliquos de CCIↃↃ Græcorum a Cyri junioris exercitu per has regiones reduxit, cum, inquam, mos obtinuerit, ut deductæ coloniæ matri urbi tributum penderent, an non probabilius ſit, eas multo leviorem etiam illam obſequii conteſtationem præſtitiſſe, qua idem in ſignanda moneta typarium retinebant? aſt alio typo Trapezuntinum numum nobis repræſentat Goltzius; cedo! quam diverſa alia in Amiſenis & Sinopenſibus conſpicimus? neque tamen ante Sinopenſem meum cum pharetra, ejus urbis productus eſt aliquis; Quamdiu eodem inſtrumento inſignis Laodicenus Arigonii numus latuit? Ceterum quod ad diverſas illas, ſeu metallum & cælaturam, ſeu imagines ſpectes, ejuſdem urbis Ponticæ monetas adtinet, atque illas præcipue, quæ percuſſa ægide pluribus ſunt communes, ubi Sinopenſem proferam, adtingam aliqua, cum hic ſub manu nata materia ne cogitanti quidem ad plures iam paginas excurrerit, atque de epocha præſentis numi præterea dicenda ſint aliqua.

Digitized by Google

Cl. Haymio ætas numi Amaſtreos diſſuaſit, ne annis ibidem ſignatis initium in Mithradatis regno quæreret, gemina eſt mei numiſmatis conditio, quod cum ea, qua depictum eſt, diametro craſſitiem in margine captam, unius lineæ & ſemis cum tribus punctis conjungit, ipſaque cælatura antiquius aliquod tempus ſpirat, quare ut laudatus antiquarius initium æræ Amaſtreos ad Seleuci Syriæ regis poſt ſublatum Lyſimachum annos conſtituit, ita Amiſenæ etiam exordium ab anno Seleuc. 32. A. X. 281. ducendum exiſtimo, idque cum propterea, quod epochæ in numis Græcis ſignatæ exemplum ante Seleucidas, chronicarum harum notarum fere autores, nec videre, nec legere me memini: tum quod huic tempori aptiſſime congruit; rem ex Memnone apud Photium declarabo.

Narrat *c.* X. *pag.* 714. Τὲς Ηρακλεώτας πειθομένες τὴν ἀναίρεσιν Λυσιμάχε - - - - τάςτε γνώμας ἀναῤῥώνυθαι, πρὸς τὸν τῆς ἐλευθερίας ἀνδραγαθίζεθαι πόθον, ἣν δ' καὶ π' ἔτεσιν ὑπότε τῶν ἐμφυλίων τυράννων, καὶ μετ' ἐκείνες ὑπὸ Λυσιμάχε ἀφῄρηντο. *Heracleotas, audita Lyſimachi morte, animos confirmaſſe, atque maſculos omnes ſpiritus in deſiderium recuperandæ libertatis conlegiſſe, quam per LXXXIV annos tyranni domeſtici, & poſt eos Lyſimachus ereptam tenuerant.* Ad poſtrema potiſſimum verba adtentionem defigo, arbitrorque, nec alias Ponti urbes benigniorem expertas hunc principem.

Retulit idem: Εν τέτῳ δὲ Σέλευκος Αφροδίσιον πεμπει διοικητὴν εἴςτε τὰς ἐν Φρυγίᾳ πόλεις, καὶ τὰς ὑπερκειμένας τε̃ Πόντε. Ο δὲ διαπραξάμενος, ἃ ἐβέλετο, καὶ ἐπανιὼν τῶν μὲν ἄλλων ἐν ἐπαίνοις ἦν, Ηρακλεώτων δὲ κατηγόρει

ρει

ρει, μὴ εὐνοικῶς ἔχειν τοῖς τῦ Σελεύκυ πράγμασιν. *Sub hæc Seleucus procuratorem Aphrodiſium* (peſſime hic vertit Schottus: *in oppida Phrygiæ, quæ adjacent Ponto*, apte vero Cl. Gedoyn *Mem. de l'Acad. des Inſcr. T. XIV. pag.* 291. & dans celles, qui étoient le long du Pont) *& ad illa, quæ ultra Ponto adjacent, dimittit. Hic rebus, quarum cauſa venerat, confectis redux in aliarum quidem civitatum laude prolixus fuit, Heracleotas vero animi a Seleuco averſi adcuſabat.*

Eccur tam promtis in Seleucum ſtudiis fuiſſent urbes Ponticæ, niſi ante ab Lyſimacho obpreſſæ libertatem recepiſſent? exiſtimo enim, has, ſi liberæ fuiſſent, magis repugnaturas, quam Heracleotas ipſos, cum quia hi tot annorum adſuetudine jugum jam ferebant minus inique, tum quia alias finitimæ Ponti urbes, exemplo doctæ, æque triſtia ſibi fata ab Seleuco inpendere, prudenter metuere debebant.

Quare cum ipſi Heracleotæ Seleuco, quamvis ſibi ante gravius irato, vivo libertatem obtinuerint exulibus receptis, ut ſub finem ejus capitis teſtatur Memnon: Καὶ οἱ Ηρακλεῶται τὸν εἰρημένον τρόπον τῆς παλαιᾶς εὐγενείας τε, καὶ πολιτείας ἐπελαμβάνοντο. *Hoc igitur modo in antiquum nobilitatis, & gubernationis ſtatum ſe vindicarunt;* eundem favorem aliis poſt Lyſimachi obpreſſionem obtigiſſe, atque eam ob rem conſtitutam fuiſſe æram, dubitare non ſinit civitatum ejus temporis uſus.

Quouſque vero ſe hæc epocha porrexerit, numorum & hiſtoricorum teſtimonio deſtitutus adfirmare non auſim,

 id

Digitized by Google

id unum confirmationis loco adjicio, ex duplici æra Sinopenſi, altera V. C. 684, altera 709. a Frœlichio noſtro demonſtrata conjici, ut epochas mutabant facile, ita fere a libertatis recuperatæ gloria, aut beneficio pari easdem duxiſſe.

ARADIORUM.

I. Caput Solis radiatum.)(ΑΡΑΔΙΩΝ. ΕΟΤ. *Aradiorum.* anno CCCLXXV. Navigium aut calathus, ex quo ſpicæ duæ cum plantæ alicujus ramuſculo eminent. *Tab. I. N.* 8.

II. Caput muliebre turritum.)(ΑΡ in monogramma contractum; Navis cum propugnatore armato ad proram, in area clavæ, aut ſpicæ ſignum. *Tab. I. N.*9.

Moneta, quam primam indicavi, numophylacium Cl. Ilgneri ornat, & ſignis utriusque partis, & epocha ſpectabilis. Etſi Aradiorum antiquitas, urbis in inſula parvo freto a continente Phœnices diremta ſitus notus eſt omnibus, non pauca tamen ad eruditionis fines proferendos ejus occaſione me in lucem protracturum ſpero. Ab epocha, quæ hactenus fluctuat, exordiar: Non unam, ſed duas huic urbi epochas, & quidem eodem in numo ſignatas tribuerunt Begerus & Spanhemius *Theſ. Brand. T. I. pag.* 405. *& ſeqq.* nempe recentiorem unam, quam ille, quemadmodum Harduinus, cum Seleucidarum initium idem habuiſſe ſuſpicabatur: hic vero ad annum V. C. 494., vel 495 retulit: altera antiquior Illuſtriſſimo antiquario ad tempora Darii nothi adſcendere videbatur.

Neu-

Digitized by Google

Neutrum errorem erraſſent Viri eruditiſſimi, niſi uni fere numo conjecturas ſuas ſuperſtruxiſſent. Id antequam demonſtrem, placuit laterculum epocharum, quæ in numis ſine imperatoris capite editis ad meam notitiam pervenerunt, ſubjicere muſeis adſcriptis.

	Epochæ.		*Literæ infra vel ſupra eas poſitæ.*		*Muſea & Autores.*
	BMP.	142	ZN.	57	Theupoli.
	BNP.	152	q ΘC.	299	Theupoli. Begerus.
	ΘΞP	169			Spanheim apud Begerum ex muſeo Princ. Chigii.
I	POΔ.	174	ΦΞ CN - - - NϘP	560 250 - - -	
II	POE.	175	KN ΠC - - - M9	280 - - -	Frœlich *Annal.*
III	POE.	175	KN ΠC - - - P9	280 - - - 190	*Regum Syriæ.*

	Epochæ.		*Literæ infra vel ſupra eas poſitæ.*		*Muſea & Autores.*
IV	ΡΠΔ	184	ΒC Δ - - -	202	*Tab. XI.*
V	ΡΠϚ	186	AC ΔΥ - - - ΕωΜ	201 404 - - - 945	
	ΕϙΡ	195	ΑΣ	201	Vaillant *Hiſt. Reg. Syr. pag.* 344.
	Ζϙ Ρ	197	ΑΝ	51	Theupoli
	ΘΚC	229			Recueil de Med. de Rois &c. *pag.* 83.
	ΕΟΤ	375			Noſter *ex muſeo Ilgneriano.*

Hoc ſi præ oculis habuiſſent laudati duumviri, profecto nunquam ad Darii nothi tempora eluctari placuiſſet, ex ſolis enim a Frœlichio adductis liquet, literas tam ſuperiores, quam inferiores ad numeros, atque adeo ad epocham referri non poſſe, cum quod nonnunquam duæ jungantur decades, ut numo I. Nϙ. II. Mϙ. III. KN., tum quod, ſi numeri forent, annis alterius certæ epochæ creſcentibus, hos profecto augeri oporteret etiam, verum contrarium liquet ex numis I & II, ubi genuinæ epochæ characte-

racteres unitate ſolum diſcrepant, item numo IV, & V binario diverſis, ſeu ſuperiores, ſeu inferiores in iis notas conbines, nihil incrementi, diſtorta videbis omnia.

Duo hic ex me quæret lector benevolus, ecquid porro hæ notæ, literæve ſibi velint, deinde, quid ad Aradum faciant numi, quos Frœlichius Cl. Liebeum ſecutus, Cleopatræ trium regum Syriæ uxori, quatuor matri adtribuit. Quod primum adtinet, Davum me non Oedipum cum Frœlichio profiteor, id tamen ſuſpicor, aliquas harum ſparſarum, atque male depictarum literarum, præſertim exiſtimatum illud 9 caudula magis curva, literas eſſe Phœnicias, quam conjecturam plures aliquando producti numi, ut ſpero, confirmabunt.

De altero hoc habe: numos hos de induſtria produxi, ut de Frœlichii lapſu monerem, qua in re id ago, quod magiſter meus optimus ageret, ſi vixiſſet hactenus, qui enim ejus libros triverit, non uno in loco, ubi meliora doctus fuerat, ſincera facilitate ſententiam mutaſſe, obſervabit. Idem hic evenit, nihil enim cum Cleopatra, nihil cum æra Seleucidarum commune habere hoſce numos luculenter nos docuit autor anonymus libri: *Recueil de Medailles de Rois, qui n'ont point encore été publiées, ou qui ſont peu connués a Paris* 1762., nam *pag.* 83. plures ſimillimos cum aliis numerorum notis in claſſe urbium dum adſervari teſtatur, qui ob ſimilitudinem numorum Aradiorum ſub auguſtis cuſorum, ſeu bovem, ſeu caput & cælaturæ rationem ſpectemus, omnium conſenſu huic urbi adtribuendi ſunt, unum geminum cum Frœlichianis, atque integerrimum epocha CKΘ ſeu 229 inſignem conmemorat, cu-

jus

Digitized by Google

jus anni characteres ad æram Seleucidarum exacti, quia in tempus morte Cleopatræ 38 annis poſterius incidunt, liquidiſſime demonſtrant, Frœlichium veſtigiis Liebei, & paucorum numorum conſpirantibus numerorum notis deceptum, neque in his Seleucidarum, qua utebatur Cleopatra, ſed propriam Aradiorum æram percuſſam eſſe, de qua mox.

Parte laboris in refutando altero Begeri errore me iam liberavit Emin. Noriſius dum *Op. T. II. Diſſ. IV. de epoch. Syromac. col.* 454. *& ſeq.* oſtendit, Aradiorum epochæ initium, nec ultra annum V. C. 494. in anteriora tempora removeri, nec in poſteriora anno V. C. 496. rejici poſſe, ut adeo æræ exordium inter annos 494. & 496. fluctuet, etſi vir eruditiſſimus in annum 495. magis propendeat. Quam hic optarem, ut vel Ilgnerianus numus annum unitate majorem præferret, vel ut conſtaret, eundem poſt Auguſti menſis medium percuſum, tum enimvero pro anno 494 pronunciandum eſſe, me effecturum confiderem ex antica præſentis numiſmatis parte.

Ita nempe mecum: Solis, ſeu Phœbi caput præfert numiſma; quis antiquariorum ignorat, Orientem non raro hoc ſigno denotari? atque dum de Trajano res eſt, quam maxime, cujus honori plures hoc typo monetæ, & forſan ab ipſis Aradiis procuſi fuerint; ſingularis ſane, neque hactenus editus numus aureus in muſeo Perinl. de France adſervatur, in cujus averſa facie figura eadem cælata, qui numus, quia titulum Parthici etiam conſignatum habet, poſtremis duobus annis (ut iam Noriſius confecit) feriri debuit. Cedo! quid his imaginibus volebant aliud officioſarum civita-

vita-

Digitized by Google

vitatum monetarii, quam principi optimo factas per orientis provincias expeditiones gratulari, feliciores augurari alias?

Finge iam, Hadrianum ad finem vergente anno Aradiorum CCCLXXV (id quod fieri debet, ſi initium æræ cum Noriſio adfigitur anno V. C. 495.) nempe V. C. 870. 11. Auguſti adiviſſe imperium, an non Aradii, aliive cives principi inſultaſſe, dicendi erunt, qui Orientis ſigno numos procudiſſent, cum fluente eodem anno Juliano, Hadrianus retractis illico ex Armenia, Aſſyria, Meſopotamia copiis, tantis inpenſis, tanto ſanguine partas provincias abdicaverit? Sed quorſum hæc inquies? Viam ad epocham probabili conjectura ſtabiliendam conplanatam habebit is, cui numus noſtro geminus eo, quem optaveram, anno ſignatus obtigerit, etſi nullus Hadriani cum anno Aradiorum 375, aut Trajani cum notis 376. in lucem proferretur unquam.

Quæ in poſtica parte cælata objiciuntur, diſcutienda ſuperſunt; cum numi hujus urbis alii, tum altius quoddam verſus epigraphen roſtrum naviculam potius, quam calathum exhiberi mihi perſuadent. Ut fertilitatem alias ſpicæ indicant, ita moneo, ne quis agros in inſula quærat, ita enim nobis eam depingit Strabo *L. XIII. pag.* 753. Ἐϛὶ δὲ πέτρα περίκλυϛος ὅσον ἑπτὰ τὸν κύκλον ϛαδίων πλήρης κατοικίας· τοσαύτῃ δ᾽ εὐανδρίᾳ κέχρηται μέχρι καὶ νῦν, ὥϛε πολυορόφυς οἰκεῖσι τὰς οἰκίας. *Eſt autem ſaxum a mari circumfuſum ſeptem fere ſtadiorum ambitu: tanta tamen hominum multitudine hodie etiam frequentatur, ut domus plurium contignationum inhabitent.* In eandem ſententiam Mela *L. II. c.* 7. ubi de

 medi-

mediterranei inſulis agit, *Aradus etiam in Phœnice eſt parva, & quantum patet, tota oppidum.*

Scio quidem ex perfugio virorum potentiæ & auctoritatis ſummæ magnam objectæ continentis partem adceſſiſſe, ita enim indicato loco Strabo: ὥστ' ἐκ τούτου χώραν τε ἐκτήσαντο τῆς περαίας πολλὴν, ἧς τὴν πλείστην ἔχουσι καὶ νῦν. *Hinc factum ut magnam obpoſitæ regionis partem obtinuerint, cujus maximum tractum etiam nunc poſſident.* Verum, quia multum hæſito, an hic terrarum tractus, qui juxta recentiora itineraria in plano ſe ad XII. in longum, ad VI. leucas in latum extendit, adeo ferax fuerit, ut vel tantæ multitudini in ſcopulo habitanti annonam, quantum ſatis eſt, præberet, non tam ſoli ubertatem (niſi forſan Ægyptiorum more annos magis fertiles in ære conſignaſſent) quam conmercium celebrari hic arbitror.

Ipſa hæc mea conjectio difficilliorem reddit plantæ adſtitutæ explicationem, quæ univerſim in numis repræſentatæ non tam facile ad Cl. Linnæi ſyſtema redigi poſſunt, etenim urbs conmerciis florens unde demum cunque eas adportare poterat. Si quid tamen audendum eſt, eam ad rem unguentariam adhibitam, atque œnanthen eſſe exiſtimarem potius, quam vitem ſuis botris turgidam, cum horum ad ſpicas cælatas nulla proportio.

De œnanthe ita Plinius *L. XII. c.* 28. *Eſt autem vitis labruſcæ uva, colligitur, cum floret, id eſt, cum optime olet. - - - - atque in cados conditur.* De eadem loquens Dioſcorides *L. V. c.* 5. opinionem magis confirmat, ait enim: καλλίστη δὲ γίνεται ἐν Συρίᾳ, καὶ Κιλικίᾳ, καὶ Φοινίκῃ. *Optima*

vero

vero in Syria, Cilicia, & Phœnice provenit. Conmercio in Græciam utiliſſimam fuiſſe ex Athenæo conficio, qui œnanthinum unguentum conmemorans adjicit: *ἐν δὲ Ἑλλάδι ἐ γίνεται διὰ τὸ ἄοσμον. unguentum hoc in Græcia non conſit, quia inodora œnanthe.*

Si quis tamen fructus pro floribus ex ramuſculo pendulos ſibi videre videretur, myrobalanum indico ex laudato Plinio *c.* 21. ubi: *Troglodytis, & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Judæam ab Ægypto diſterminat, commune eſt, naſcens unguento, ut ipſo nomine adparet, quo item indicatur & glandem eſſe arboris, heliotropio - - - - ſimili folio, fructus magnitudine avellanæ nucis. Ex his in Arabia naſcens Syriaca adpellatur.* Nempe quia a Phœnicibus alias in regiones deportabatur, ut fabam *Cahue* ſeu Mochanam a Batavis ex America advectam, Hollandicum *Caffe* dicimus.

II.

Poſterior numulus ex modica mea penu protractus id fere præſtantiæ habet, quod in Gesneri conlectione abeſt, neque ſignorum explicatio operam adcuratiorem exigit. Caput turritum paucis forſan aliis oppidis meliore jure conpetere, ſupra ex Pomponio vidimus; Rem nauticam, a Sidoniis oriundos, diligentiſſime coluiſſe Aradios, præter ſacros ſcriptores teſtatur pro recentiore etiam ætate Strabo libro indicato *pag.* 754. *Προσέθεσαν δὲ τῇ εὐτυχίᾳ ταύτῃ καὶ πρόνοιαν, καὶ φιλοπονίαν πρὸς τὴν θαλαττουργίαν. Huic vero felicitati* (qua Seleucidarum tempore florebant) *& providentiam addiderunt, & rei navalis ſtudium.*

Ut navis iam in portu eſt, ita mox propugnatorem ex prora militem etiam ſalvum præſtabo.

Non illam ſolum, quæ lucris intenta eſt, nauticam, ſed bellicam etiam coluiſſe generoſos cives, ut alia omittam, ſatis declarat legatus Antiochi III. regis Syriæ ad Quintium Cos, qui dum vires ejus navales deprædicat apud Livium *L. XXXV. c.* 49. *dextrum*, ait, *cornu Sidonios, & Tyrios: ſiniſtrum Aradios, & ex Pamphylia Sidetas tenere, quas gentes nullæ unquam nec arte, nec virtute navali æquaſſent.* Fateor huic orationi non parum ex milite glorioſo inſperſum eſſe, neque tamen Quintius Aradiorum, aut aliorum claſſiarium ſociorum probatam virtutem, ſed legati mendacia, velut harum gentium claſſibus rex adjutus eſſet, exploſit.

An numus hic Geroſtrati poſtremi Aradiorum regis ætati, qui ſe Alexandro dedidit, ut ex Arriano *L. II. c.* 13. *pag.* 83. diſcimus, conveniat, pronunciare quidem non auſim, artificium tamen & cælatura antiquitatem ſpirat, & forſan ſi numum Philippi Arrhidæi fratris Alexandri M. hac in urbe, eodemque cum monogrammate, & navis typo percuſſum ad manus haberem, res decideretur; hujus principis numum conmemoro, quia, ut erudite monet Cl. Anonymus *Recueil de Medailles de Rois &c. pag.* 10., hi ſoli tuto ei adtribui poſſunt, cum Philippus II. nunquam eo uſque arma ſua protulerit. An, quod in area navi imminet, clava, an ariſta ſit, diſtinguere non potui, quidcunque demum fuerit, monetarii arbitrio poſitum ſignum exiſtimo.

HIFO-

Digitized by Google

HIPONIENSIUM.

Caput Jovis laureatum, & barbatum. ΔΙΟΣ. *Jovis*)(ΙΠΩΝΙΕΩΝ. *Hiponienſium.* Vas anſatum inferius convergens, aſtrum, & caduceus. *Tab. I. N.* 10.

Inde ab edita Cl. Goltzii Magna Græcia unicum hujus civitatis numum habuimus; tantam penuriam, neſcio, qua aut foſſionis ceſſatione, aut temporis iniquitate inductam mirifice recreare debet moneta ex eodem Ilgneriano muſeo, ut orthographiæ ratione, & ſignis alia, ita viridi æris cruſta eleganter conveſtita. Creſcit ejus pretium ex ipſo typo, qui vel tacentibus hiſtoricis ejus remotam originem prodit. Quando Hiponium condita fuerit, nuſquam adnotatum reperi; Gelonis Syracuſani tempore, atque adeo A. X. 491. iam floruiſſe ſuadet Duris apud Athenæum *L. XII. pag.* 541. *& ſeqq.* Δοῦρις δὲ ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν περὶ Ἀγαθοκλέα· καὶ πλησίον Ἱππωνίου πόλεως ἄλσος τι δείκνυσθαι κάλλει διαφέρον, καὶ καταρρυτον ὕδασιν, ἐν ᾧ καὶ τόπον τινὰ εἶναι καλούμενον Ἀμαλθείας κέρας, ὃ τὸν Γέλωνα κατασκευάσαι. *Duris L. X. hiſtoriæ Agathocleæ ſcribit, ad Hipponium oſtendi nemus peramæna pulcritudine excellens, aquis inriguum, in quo Gelo ædificatum ab ſe locum cornu Amalthea nominaverat.*

Conditores Locrenſes indicat Strabo *L. VI. pag.* 256. Ἱππώνιον Λοκρῶν κτίσμα. Sed quos illos; an qui ad Parnaſſum Phocidi incumbebant? an qui iam in Oenotriam deducti ad Zephyrium promontorium Magnam Græciam incoluerunt, Epizephyrii propterea dicti? Vicinia ſane pro

his pronuntiat; ſuadet id exemplum Crotoniatarum, quos Terinæ eodem in litore, etſi in obpoſito habitabant, conditores facit Plinius *L. III. c.* 5. *pag.* 185. *edit. Hard.* Addicit etiam ætas, nam eodem Strabone teſte *pag* 259. μικρὸν ὕςερον τῆς ἀπὸ Κρότωνος, καὶ Συρακοσίων κτίσεως ἀποικιϑέντες ὑπὸ Εὐάνϑους. *Colonia ab Evanthe non multum poſt Crotonem & Syracuſas conditas deducta*; quarum urbium fundationem ad annum A. X. 710. vulgo referimus, atque adeo tempus ſufficiens fundandæ ad ſinum Terinæum coloniæ intererat.

Quamvis ſatis apte hæc conſentiunt, dubium tamen mihi ſuboritur ex diverſis ſcriptorum ſententiis de ipſa Epizephyriorum origine, quod numi præſentis typus etiam auget; Notum eſt Græcam Locridem in tres gentes tributam fuiſſe: Opuntios, Epicnemidios, & Ozolas. Ab his poſtremis Tyrrhenum litus frequentatum eſſe, ſatis acriter diſputat Strabo loco indicato. Λοκρῶν ἄποικοι τῶν ἐν τῷ Κρισσαίῳ Κόλπῳ - - - - - - - - Εφορος δ' οὐκ εὖ, τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν ἀποίκους φήσας. *Locrorum in Criſſæo ſinu habitantium colonia.* - - - - - - - *Hallucinatur vero Ephorus, qui eos ex Opuntiorum agro veniſſe narrat.* Ejus opinionis non uno loco eſt Euſtathius ſcilicet in Dionyſii *v.* 364. & *Iliad. II. V.* 531. ubi: οἱ Εσπέριοι καὶ Ὀζόλαι ἐκαλοῦντο - - - - - οἰκοῦντε κατὰ Κρισσαῖ πεδίον, ὑφ' ὧν ὕςερον καὶ ἀποικία εἰς Ιταλίαν ἐςάλη. *Heſperii etiam Ozolæ dicebantur* - - - - - *juxta Criſſæum campum habitantes, a quibus poſtea colonia in Italiam miſſa eſt.*

☞ Pro Epicnemidiis faciunt poetæ Latini, Virgilius quidem *Æneid. L. III. v.* 399.

Hic

Hic & Narycii poſuerunt mœnia Locri.

Ovidius vero *Metam. L. XV. v.* 703.
Romechiumque legit, Caulonaque, Naryciamque.

Narycium urbem Plinius inter Epicnemidarum oppida recenſet *L. IV. c.* 7. *pag.* 198. *Narycion, Alope, Scarphia.* Ejuſdem ſententiæ eſt Diodorus Siculus *L. XVI. pag.* 437. Φάϋλλος δὲ ϛρατεύσας εἰς Λοκρὺς ἐπονομαζομένυς Ἐπικνημιδίυς τὰς μὲν ἄλλας πόλεις ἐχειρώσατο πάσας, μίαν δὲ τὴν ὀνομαζομένην Ἀρύκαν διὰ προδοσίας νυκτὸς παραλαβὼν κ. τ. λ. *Phayllus vero, cum exercitum adverſus Locros cognomine Epicnemidios duceret, urbes alias omnes vi ſubegit, unam vero Arycam dictam dum nocturna proditione obtinuiſſet &c.*

Idem *L. XIV. pag.* 301. de Ismenia Thebano loquens ejuſdem cum peculiari aliqua, quæ huc facit, obſervatione meminerat: Ϛρατοπεδεύοντος αὐτῦ εἰς Ἀρύκας τῆς Λοκρίδος, ἐξ ἧς φασι τὸν Αἴαντα γεγενῆσθαι κ. τ. λ. *Cum caſtra metatus eſſet ad Arycas Locridis, qua in urbe Ajacem ortum dicunt, &c.* Placuit hunc etiam locum adducere ob geminum Strabonis *L. IX. pag.* 425. Αἴας ὁ Λοκρὸς πατρίδος ὢν ὥς φασι Ἀρύκυ. *Ajax Locrus Aryca urbe natus.* Omnia enim hæc loca in mendo cubare, legendumque Ναρύκα, Νάρυκος bene monuit Cl. Salmaſius *Exercit. Plin. pag.* 48. etſi in eo labatur, quod Opuntiis eam urbem adſcribit, quam cum diſerta Diodori autoritas, tum vicinarum urbium Alopes, & Scarphiæ ſitus Epicnemidiis vendicat, de qua Scarphia Stephanus: πόλις Λοκρίδος τῶν Θερμοπυλῶν ἐγγύς.

Oppi-

Oppidum Locridis vicinum Thermopylis, quo ſane nemo unquam Opuntios extenderit.

Tertia opinio hos ipſos Opuntios, ut ſupra de Ephoro vidimus, Epizephyriorum conditores fuiſſe contendit, atque huic præ aliis adcedendum eſſe arbitror, quantumcunque a Strabone vapulet Ephorus; geographi ceterum adcuratiſſimi ſententiæ, quia nulla ratione ſubnixæ obpono Scymnum Chium centum & amplius annis ſuperiorem, is in ſua *περιηγήσει. v.* 311. ita:

Οι δὲ λεγόμενοι
Επιζεφύριοι πλησίον κεῖνται Λοκροί.
Et v. 315. Εισι δ'ἄποικοι τῶν Οπουντίων Λοκρῶν,
Ενιοι δὲ Λοκρῶν φασι τῶν ἐν Οζόλαις.

In proximo jacent
Epizephyrii, qui ſolent dici Locri.
Sed hi migrarunt ex Opuntiis Locris,
Quidam colonos aſt volunt ex Ozolis.

Videmus hic geographum Chium cum Ephoro aperte ſenſiſſe, etſi alteram quoque opinionem velut minus probabilem ſubjiciat; Quid enim cedo! aliud ſibi vult illud Ενιοι *Aliqui*? præcipue quia in exordio præmiſerat:

Τούτων δ'ὅσα μὲν εὔσημα τ' ἐςὶ, καὶ σαφῆ,
Επὶ κεφαλαίου συντέμνων ἐκθήσομαι,
Οσα δ'ἐςὶν αὐτῶν οὐ σαφῶς ἐγνωσμένα
Ο κατὰ μέρος ταῦτ' ἐξακριβώσει λόγος.

Hinc

Digitized by Google

Hinc certa, quæque luce ſe produnt ſua,
Priore ſemper proferam brevis loco;
Quæ vero dubia, & nota ſunt vulgo minus,
Sermone carmen ſubſequens ſeorſim dabit.

Quis hic non videt, Ozolas ad ἐ σαφῶς ἐνγνωσμένα ad minus certa referendos eſſe?

Ex quo ipſo ſic arguo: Ut res geſtæ, quæ centum annis propius ad tempus, quo evenerunt, controverſæ erant, difficilius poſteriore aliqua ætate evolvuntur, niſi monumentum, aut grave argumentum aliquod ſubpetias veniat, ita in dubio, quo verſamur, nudæ adſertioni Strabonis nihil eſſe deferendum, præſertim cum pro Scymni, & Ephori narratione rationes aliæ ſubpetant. Rem experiamur: Refert Pauſanias, *L. III. c:* 19. *pag.* 259. idque ex ſermone Crotoniatarum Locris vicinorum: Πολέμυ γὰρ Κροτωνιάταις συνεστηκότος πρὸς τὲς ἐν Ιταλίᾳ Λοκρὲς, τῶν Λοκρῶν κατὰ οἰκειότητα πρὸς Οπεντίες Αἴαντα τὸν Οἰλέως ἐς τὰς μάχας ἐπικαλεμένων. κ. τ. λ. *Cum bellum inter Crotoniatas, & Locros Italiæ exortum eſſet, bis ob antiquam cum Opuntiis adſinitatem Ajacem Oilei velut pugnæ auſpicio invocantibus &c.* Unde hæc neceſſitudo inter populos tanto intervallo ſejunctos, niſi quia eodem ſanguine prognati Opuntiorum erant κτίσμα? Profecto Pauſaniam συγγενείαν *cognationem* per οἰκειότητα nobis indicare voluiſſe, vel ex ipſo Cononis apud Photium *pag.* 431. errore, quo Ajacem Opuntiorum regem Epizephyriis cognatum ſcribit, conficitur, quamvis cetera rem geſtam nitidius, quam Pauſanias perſequatur, ita ille: Λοκροὶ μαχόμενοι, ἐπεὶ συγγενὴς αὐτοῖς Αἴας ἦν, ἐν τῇ παρατάξει χώραν κενὴ νέωσιν,

ὡς δῆθεν Αἴας ἐν ᾗ παραττάτοιτο. *Locri pugnantes, quod eis Ajax cognatus fuit, in ſtructa acie vacuum illi locum relinquere ſolent, velut ipſe eo in ordine conſiſteret;* narrat deinde in bello contra Crotoniatas, de quo Pauſanias, Autoleontem Crotoniatam per vacuum illud ſpatium inrumpere conantem a ſpectro in femore fuiſſe vulneratum.

Denique novimus, quam in retinendis ſuis etiam in publica moneta ſignis conſtantes, & religioſæ fuerint ex patria eductæ coloniæ; Conferatur iam numi noſtri averſa pars cum numo, quem Goltzius in ſua Græcia *Tab. XVIII. N.* 4. exhibet, ſimilem plemochoen in utroque conſpicimus, ita nominare placuit, quia in Athenæo *L. XI. pag.* 496. legi: ΠΛΗΜΟΧΟΗ σκεῦος κεραμεοῦν βεμβρακῶδες ἑδραῖον ἡσυχῆ, ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσιν - - - χρῶνται δὲ αὐτῷ ἐν Ελευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ - - - ἐν ᾗ δύο πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολὰς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι, ἀνατρέπουσί τε ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν. *Plemochoe vas fictile turbini puerorum luſibus deſtinato ſimile imo pede leniter, modiceque ſtabili fundatum, quod quidam cotyliſcum nominant - - - Eleuſine eo ultima myſteriorum die utuntur - - - - impletas enim plemochoas duas, atque ad orientem unam, alteram ad occaſum conſtitutas inter arcanarum precum recitationem evertunt.*

Idem vas ſe ſiſtit ad latus Palladis in numo Locrorum a Goltzio ibidem *N.* 10. repræſentato, quem quidem non ſatis firmo argumento ad Locros Epicnemidios in commentario refert Cl. Nonnius, etenim caput in primo Opuntiorum numo *N.* 3. geminum eſt alteri, quod in Locrorum ſecundo *N.* 8. conſpicitur, præterea ſimili Minervæ

ſtantis

Digitized by Google

ſtantis typo, in Italia effoſſus numus ſuperiore anno mihi Neapoli miſſus erat; Tam in hoc, quam in Hiponienſi noſtro áſtrum adeſt, quod in Opuntiorum duabus monetis apud laudatum antiquariæ rei parentem totam aream averſæ partis conluſtrat. Quare præter ſcriptorum teſtimonium ipſa numorum ſigna Hiponii origines ad tertium, ut ita loquar, gradum conmonſtrant.

Ad Hiponii propriam hiſtoriam iam tranſirem, niſi mihi aliquis in aurem ex Pauſania quædam inſuſurraret, quibus, quæ hactenus ſtabilivi, everti poſſe viderentur, ita nempe legitur *L. III. c. 3. pag.* 209. Πολύδωρος τὴν βασιλειαν παρέλαβεν ὁ Αλκαμένυς, καὶ ἀποικίαντε ἐς Ιταλίαν Λακεδαιμόνιοι τὴν ἐς Κρότωια ἔςειλαν, καὶ ἀκοικίαν ἐς Λοκρὺς τὺς πρὸς ἄκρᾳ Ζεφυρίῳ. *Regnante Polydoro Alcamenis filio Lacedæmonii colonias duas in Italiam deduxere, Crotonem nempe, & Locros ad Zephyrium promontorium.* Quidquid ergo pro Locris, & Opuntiis quidem diſſerui, conlabaſcit.

Ita cogitaverit, quem antiquariæ muſæ minus amaverint, mihi non ſolum nihil obturbat Pauſanias, ſed dicam lapſus hiſtorici illi etiam inpingere audeo; obturbat nihil: Crotonem, Locros nominat, conditæ itaque ambæ iam urbes erant, quis proinde Lacedæmoniis τῶν κτιςῶν gloriam permittere poterit? Sed etiam poſteriore aliquo tempore hanc transmigrationem eveniſſe, ipſe ſibi Pauſanias fidem abrogat, quod tempore regni Polydori Lacones ad hæc oppida traductos narrat. Rem, ut ſe tulit occaſio, adcuratius diſcutiamus.

Digitized by Google

Notiſſimum eſt, graviſſimis bellis Spartanos cum Meſſeniis conliſos fuiſſe, horum primum juxta chronologorum hodiernorum ſententiam cœpit anno A. X. 743. alterum ex Tyrtæi verſibus, qui intererat, recruduit anno 684, quare intervallum inter utriusque initium erat 59. annorum; quia primum in 20 annos productum fuit, a primi fine ad exordium alterius conficiuntur anni quieti 39. *Fini prioris* belli cum conlega Theopompo aderat Polydorus, cujus utpote junioris, regnum quousque in hæc quieta tempora excurrerit, nos deſtituunt hiſtorici; id certum, bellum alterum in regnum Anaxandri Eurycratis filii, & Polydori nepotis incidiſſe.

Nihil hic conmemorabo de vulgari ſententia, quæ Syracuſas, & Crotonem eodem tempore ab Archia & Myſcello conditas anno A. X. 710. adfigit, ut adeo harum fundatio, atque multo magis Locrorum ex Strabonis commentariis ſupra indicatis probabilius mortem Polydori conſecuta fuerit. Omitto, inquam, hoc, quia ob Hiponienſium numum nolo de Græcarum in Italia urbium originibus hic librum contexere, adjuncta ſolum ab ipſo Pauſania, certisque aliis ſcriptoribus ſubgeſta, ſi expendo, hallucinatum hic eſſe Pauſaniam dubitare non poſſum.

Narrat Pauſanias *L. IV. c.* 12. *pag.* 307. de pugna, bello primo iam finem ſpectante ad Ithomen conmiſſa: *Λακεδαιμονίες δὲ ἐλύπει μὲν καὶ τὸ γεγονὸς πλεῖσμα τεθνεόlων ἐν τῇ μάχῃ πολλῶν]ε, καὶ ἀξίε λόγε· παρίςαlο δὲ καὶ ἐς τὴν πᾶσαν ἐλπίδα τε͂ πολέμε σφίσιν ἀθύμως ἔχειν. Lacedæmonios accepta quidem clades vehementer perculit, quum tam multos, & eos quidem minime obſcuros viros amiſiſſent; Sed erat illud*

illud fere indignius, quod ſpes reliqua belli ex ſententia conficiundi erepta videbatur.

Scimus præterea, iam decimo belli anno uxoriam legationem in Spartanorum caſtra miſſam, quæ, ut maritorum abſentiam exprobrabat, ita Spartam viris ob ſtolidum jusjurandum exhauriendam tam liquidè demonſtrabat, ut junioribus libera, vagaque cum virginibus conſuetudo permiſſa fuerit.

Conſtat, natos ex hoc còngreſſu Parthenios dictos, quod infamia aliqua propterea notati, non æqua cum reliquis conditione habebantur, ſeditionem concitaſſe, quæ, quia Helotis ſibi adjunctis numero admodum valebant, πολλοὶ δ᾽ ἦσαν, ut Strabo *L. VI. pag.* 278. refert, graviſſimam rei publicæ perniciem minabatur, feliciter quidem ab Helotarum aliquibus conjuratio detecta fuerat, verum, ut idem *pag.* 280. τὸ μὲν ἀντεπιτίθεσθαι χαλεπὸν ἔγνωσαν· καὶ γὰρ πολλὲς εἶναι, καὶ πάντας ὁμόφρονας, ὡς ἂν ἀλλήλων ἀδελφὲς νομιζομένες. *Spartanis res videbatur difficilis, Parthenios vi adgredi, quod magno erant numero, atque velut fratres animorum conſenſione conligati;* quare ſuaſum eſt, ut alias ſedes quærerent.

Certa eſt hæc, duce Phalantho, Tarentum deducta colonia; arbitror, Parthenios juvenes 20 circiter annorum fuiſſe, atque adeo hanc migrationem circa undecimum annum a bello primo finito eveniſſe Id iam quæro, quando, & quidem regnante Polydoro, coloniæ illæ & Crotonem, & Locros deſtinatæ fuerint? Non puto ante Partheniorum abitum, cum, quia vidimus, Spartanorum nu-

merum infelicibus præliis, atque poſtremo præſertim ita inminutum, ut etiam filias proſtituere in animum induxerint: tum præterea, quia ſi id factum fuiſſet etiam, nequaquam conſecuta Partheniorum diſceſſione regionem in ſolitudinem vertere voluiſſent, quid quod nec hi ſolicite ab oraculo quæſiviſſent, quo profectio inſtituenda foret, ipſe ſanguinis nexus Crotonem nempe eos, & Locros invitaſſet, gentilibus conjungendos.

Eædem rationes evincunt, neque poſt facile unam aliquam, taceo, duas colonias a Spartanis dimitti potuiſſe, idque Polydoro, quem non naturali, ſed violenta morte mortuum ſcimus, vivo, cum intervallum 39. annorum in tres reges ita partiri oporteat, ut Anaxandro Eurycratis filio, Polydori nepoti aliquod adhuc ſpatium ante belli Meſſeniaci ſecundi initium detur. Nolo hæc ad vivum reſecare, indicaſſe ſatis eſt, præſertim cum velut ex inſidiis aliud argumentum ſubpeditet Juſtinus *L. XX. c.* 3., etſi ejus narratio primo obtutu Pauſaniæ coloniis favere videatur.

Ita ille: *Indignantes* (Crotoniatæ) *in obpugnatione Siris auxilium contra ſe a Locrenſibus latum, bellum bis intulerunt. Quo metu perterriti Locrenſes ad Spartanos decurrunt, auxilium ſupplices deprecantur. Illi longinqua militia gravati, auxilium a Caſtore, & Polluce petere eos jubent &c.* Plura hic, quibus ſatisfiat, peto: an Locrenſes contra cognatam urbem a communi matre auxilia conducere auſi fuiſſent? an non Sparta potius qualecunque inter filias diſſidium amicis pactis conponere ſtuduiſſet? An patrios deos contra ipſos ab ſe deductos colonos opem laturos arbitrari potuerint? Hæc omnia quum aperte abſurda ſunt, tantum abeſt, ut

ut Epizephyriorum Locrorum, atque adeo Hiponienſium ab Opuntiis deductas origines Pauſaniæ indicatus locus evertat, ut potius admiſſi per inprudentiam, & credulitatem erroris ſit coarguendus.

Hiponium ex diverticulo redeo, urbis rudem hiſtoriam pertexturus, non ſine aliqua numorum poſteriorum inluſtratione. Græca hæc colonia floruiſſe videtur uſque ad Olymp. XCIIX an I. ſeu annum A. X. 388.; Anteriori huic tempori numum noſtrum merito adtribuo, quippe in quo civium nomen cum uno ſolum Π, eoque vetuſtæ formæ inſcriptum eſt, quod in Goltzii moneta iam duplice litera, recentioreque charactere eſt exaratum. Quem indicavi annum, urbi fuiſſe funeſtiſſimum nos docet Diod. Sic: *L. XIV. pag.* 317. vel 451. edit Steph. *Διονύσιος*, ait, *ὁ τῶν Συρακοσίων δυνάςης πορευθεὶς εἰς Ιππώνιον μετὰ τῆς δυνάμεως τὲς μὲν κατοικέντας ἐν αὐτῇ μετῴκισεν εἰς τὰς Συρακέσας, τήντε πόλιν κατασκάψας, προσεμέρισε τὴν χώραν. Syracuſarum princeps Dionyſius* (ſenior nempe) *cum exercitu adverſus Hipponium profectus, incolis Syracuſas traductis, oppidoque everſo*, Locris, *agrum diſtribuit.*

Decem annis urbs in ruinis, cives in exilio jacuerant, uſque ad II. Olymp. C., A. D. 379., nam teſte eodem *L. XV. pag.* 344. vel 469. *Καρχηδόνιοι ςρατεύσαντες εἰς τὴν Ιταλίαν τοῖς μὲν Ιππωνιάταις ἐκπεπτωκόσιν ἐκ τῆς πατρίδος ἀποκατέςησαν τὴν πόλιν. Carthaginenſes bello in Italiam moto, Hipponiatis, qui patria exciderant, urbem reſtituerunt.* An fœderati Carthaginenſibus Hipponiatæ fuerint, atque propterea a Dionyſio exciſa urbs? An contra Siculum tyrannum hac expeditione aliquid moverint Pœni, de-

ſti-

Digitized by Google

ſtituunt nos hiſtorici; mihi ſane, etſi ad ſplendorem Hipponiatarum rei publicæ faceret plurimum, probari non poteſt, quod conpilatores Angli *L'Hiſt. Univerſ. T. XII. pag.* 69. ſuſpicantur, hunc ſolum in finem expeditionem eam ſuſceptam fuiſſe, quin aliquid præterea cum Dionyſio in Sicilia ſaltem, interceſſerit. Qui adcuratam Hiponii hiſtoriam ſcribendam ſuſciperet, multa hic diſcutienda mecum videret.

Poſt annum A. X. 356. in Bruttiorum poteſtatem, an ſalva ſua republica & legibus, Hiponiatas veniſſe dubitari non poteſt, cum Bruttiis ab Romanis oppidum ademtum fuiſſe, Βρεττίȣς δὲ κατέχοντας ἀφείλοντο Ρωμαῖοι, diſertis verbis adfirmet Strabo *L. VI. pag.* 256. Tempus ſub Olymp. CVI annum I. nobis indicat Diodorus *L. XVI. pag.* 418, vel 518. Επὶ δὲ τȣ́των κατὰ μὲν τὴν Ιταλίαν ἠθροίσθη περὶ τὴν Λευκανίαν πλῆθος ἀνθρώπων πανταχόθεν μιγάδων, πλείςων δὲ δȣ́λων δραπετῶν - - - - - τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι προτερȣ̃ντες τῶν ἐγχωρίων εἰς αὔξησιν ἀξιολογωτέραν κατέςησαν. *Hac ætate multitudo quædam hominum promiſcua, ex ſervis fugitivis fere conpoſita, confluxit - - - - - hi bellicis expeditionibus vicinis multo ſuperiores, ad inſigne potentiæ augmentum ſe provexerunt.*

Intervallo decem & ſex annorum Agathocli Syracuſano regi Hiponium paruiſſe *Diod. Eclogæ ex L.* XXI *pag.* 863. conficiunt, ubi: Αγαθοκλῆς συναθροίσας δυνάμεις εἰς Ιταλίαν διαπέρασεν. *Agathocles conlecto exercitu in Italiam trajecit.* cumque narraſſet claſſem Leptinis, qui oram maritimam depopulari debebat, peſſime a tempeſtate adflictam, ſubjicit: Ο δὲ Αγαθοκλῆς πολιορκήσας

Digitized by Google

κήσας τὴν Ἱππωνιάτων πόλιν, καὶ διὰ μηχανῶν πετροβόλων τῆς πόλεως ἐκυρίευσε, καὶ ταύτην εἷλε. Agathocles vero Hipponiatarum urbe obſeſſa petrobolarum machinarum ope oppidum in poteſtatem redactum cepit. Quod de præſidio Siculo a Bruttiis, jure jurando violato, conciſo, velut illico conſecutum fuiſſet, additur, criſin meretur; anno minimum urbem obtinuiſſe Agathoclem ex Strabone liquet, qui *L. indicato pag. 256*: Ἔχει δ' ἐπίνειον, ὃ κατασκεύασε ποτὲ Ἀγαθοκλῆς ὁ τύραννος τῶν Σικελιωτῶν κρατήσας τῆς πόλεως. *Habet etiam navale, quod olim Agathocles Siculorum tyrannus ea urbe potitus ædificavit.*

Bruttiis anno V. C. 482, A. X. 272 ab Romanis debellatis in horum ſocietatem, aut poteſtatem venit Hiponium; ſumma ſemper erga populum Romanum fide fuiſſe cum alia declarant, tum deducta teſte Livio *L. XXXV. c. 40* ſub annum V. C. 562, A. X. 139. colonia *Valentiæ* nomine adjecto; prudens de altero Vibonis tacui, quod urbi tum primum ab Romanis inditum exiſtimabant aliqui, ut præclare notat Salmaſius *Exercit. Plin. pag. 49.* Latinis nempe ut ſemper ἕσπερος *Veſper*, & οἶνος *Vinum* erat, ita dum in eorum notitiam venit Ἵπων vel Ἵππων, Romano ore *Vibo* erat. Ad priſtinum ſplendorem reductæ jam ante urbi, aliæ adceſſiones identidem factæ fuerint, cum ſub triumviratu Cæſaris ab Appiano *de bel. civil. L. IV. pag. 590, & ſeq.* inter urbes Italiæ καὶ περιουσίᾳ, καὶ ἐδάφει, καὶ οἴκοις εἰς κάλλος διαφερούσας - - - καὶ περιφανεστάτας *tam opibus, quam agri bonitate, ædificiorumque pulcritudine præcellentes - - - atque inluſtriſſimas recenſeatur.*

K Etiam

Etiam poſteriore hac ætate antiqua in monetis ſigna retinere ſtuduerunt, ejus oppidi monetarii: Pro uno cornu copiæ, quod in Hipponienſi numo Goltzius *Tab. XXV. N. 7* repræſentaverat, duo in meo Valentiæ ſemiſſe ſe ſiſtunt, neque aſtrum deſideratur. Jovis ſimile caput, quod in Locrorum Epizephyriorum, & Bruttiorum ære conſpicitur, tam in præſente rariſſimo Hipponiatarum numo, quam *in* Valentino, quem adſervo, aſſe eſt cælatum; Aliud femineum, quod in Opuntiorum numis Protogeniæ Opuntis fluvii filiæ perquam commode exiſtimavit Begerus, monilibus item ornatum, & in Hipponienſi apud Goltzium, & in ſemiſſe Valentino ſuperius indicato obſervatur.

CARTHÆENSIUM.

Promiſeram *adnotatione 91.* ad duos Haymii numos Carrhis Meſopotamiæ adſcriptos *Tom. II. pag. 141* pluribus me acturum, ubi meos ſimiles produxero, fidem hic libero, eccos:

I. Caput barbatum & laureatum.)(ΚΑΡ. Animal dimidium inter radios circumfuſos. *Tab. I. N. 11.*

II. Caput Apollinis laureatum.)(ΚΑΡΘΑ. Anterior pars animalis, ut in ſuperiore. *Tab. I. N. 12.*

His tres alios ex muſeo Inluſtriſſimi Marchionis Savorgnani ſingulari in me benignitate adcurate depictos, ſubjicio, explicationi mirifice ſervituros.

III.

Digitized by Google

III. Caput idem.)(ΚΑΡΘΑΙΕ. Animal eodem modo truncatum. *Tab.* I. *N.* 13.

IV. Caput, ut in ſuperiore.)(ΚΑΡΘΑΙ. Botrus & aſtrum. *Tab.* I. *N.* 14.

V. Caput muliebri fere ſimilius.)(Epigraphe eadem, literis inter aſtri radios, quod totam aream obſidet, ſparſis. *Tab.* I. *N.* 15.

Quia Frœlichius optimus magiſter meus, enormi inter Carrhenorum κόμμα diſcrimine obſervato, monetas primæ meæ ſimiles Carali Sardiniæ adſcribebat etiam propterea, quod hi numi ex Italia adportabantur; idem forulum in meo numophylacio non ſolum primus, ſed alter etiam, quem gravi, fateor, negligentia, typo ſolum obiter inſpecto, illuc conjeceram, tam diu obtinuit, dum interpretando in memoratos Haymii numos incurriſſem: Tum enim vero ille primum ad limam revocatus, cum nihil præter ΚΑΡ (quod conſultis deinde aliis muſeis, nusquam aliter exaratum deprehendi) legerem, mirari obcœpi, qui factum ſit, ut Haymius in utroque ſuo duo P. vidiſſet. Quare II loco poſitum numiſma, quod plures literas eminus adſpectum objiciebat, ſubpetias accepi, ſed quam ſtupui, quam lætatus ſum, ubi certo ΚΑΡΘΑ legebam.

Primus is velut paſſus erat ad inluſtrem detectionem, videbam enim, Haymii duplicem caninam literam penitus everſam. Cum hoc nominis initio urbs nulla mihi ſubiret illico, conſultus Stephanus Carthæam quidem objecit, verum eum inde derivatum gentile Καρθαιεύς eſſe debebat, in

 ani-

animum inducere non potui, monetarios alicujus oppidi Græci tam negligentes fuiſſe, ut diphthongo AI ſoluta, ſolam vocalem A., dubiæ lectioni occaſionem præbituram, ſignaverint, quid enim vetaret, ut hæcce epigraphe pro recto caſu urbis accepta, in avia conjectionum aliquem abduceret.

Præjudicium de Carali conceptum, ipſa numi *facies*, quæ Siculam officinam non refugiebat, denique hærens usque de diviſa diphthongo ſcrupulus eam mihi cogitationem ſubgeſſit: Forſan aliquam a Pœnis ipſa in Sicilia conditam Carthaginem, in qua numus flatus eſſet. Profecto, ſi Thermas, Aleſam, Lilybæum, Drepanum, teſtibus certis ſcriptoribus ſtruxerunt Carthaginienſes, cur non aliam aliquam, quæ ſuæ metropolis nomen ferret? ita novimus, patriæ amore ipſis Syriæ fluviis Macedonica a Macedonibus inpoſita fuiſſe nomina: Siciliæ id ſane majore veri ſimilitudine congruit, quam Armeniæ, in qua tamen ipſa, ſi ſatis ſibi conſtat Plutarchus in Lucullo, Carthago aliqua ab Hannibale quodam fundata fuit.

Sciebam, Carthaginis nomen apud Græcos Καρχηδόνα fuiſſe, aſt ſuſpicabar, fieri potuiſſe, ut a Siculis, per bella jam Romanæ linguæ adſuetis, numus procuderetur, qui Græcis literis ΚΑΡΘΑ Latini Carthaginis nominis initium proderet, ſcilicet ut Punice Lilybæi & Melitæ numos inſcriptos habemus, atque Græce item ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ: vel ut in Poſidoniæ medii temporis numis uſitatum Romanis nomen *Pæſtum* ΠΑΙS inſcriptum legimus: atque forſan Pœnos ipſos, ut Romanis viciniorem, quam putarent, Carthaginem oſtenderent, conditæ in

Sicilia

Sicilia urbi notius Latinis auribus nomen inpoſuiſſe; Ita ſomniantis animum erexit conmentarius de Carthagine Sicula Cl. Auguſtini Inveges, quem in theſauro Italiæ Grævii *Sicil. T. XII* forte adnotatum reperi.

Verum, quia lecta illa pertractatio non ſatis firmo pede conſiſtere mihi videbatur, ad ſacram antiquitatis aram Inl. Marchionem R. P. Venetæ X Virum, Savorgnanum nempe meum confugiendum, quærendumque eſſe duxi, an ſuo in theſauro ejuscemodi numi urbis Carthææ (ad quam iterum mentem transtuli) nomine pluribus ſyllabis indicato ſignati conderentur; neque enim niſi divinando alias cum Harduino, & quibusdam hodiernis antiquariis, quod peſſime me habet, turpiter prolabimur, dum deguſtato monogrammate, aut duabus ſyllabis, præcocem ſententiam pronunciamus; Id mihi ſemper conſtitutum, etſi conjectio aliqua fieri nonnunquam utiliter poſſit, ſemini ulteriorum detectionum ſervitura, nunquam melius monumenta quam ex monumentis conprobari.

Non diu dilatæ ſunt auxiliares, quas ſperabam, copiæ a Viro harum literarum amantiſſimo, confirmabat omni humanitate conditis literis, in nullo ſuorum, qui primas literas ſolum habent, duplex P., quod Haymius ſibi videre viſus eſt, conſpici: adeſſe, qui, ut meus, epigraphen: ΚΑΡΘΑ. præferrent: alios, qui ultra diphthongum integram E etiam adjectum haberent, atque horum tria exempla, ſuperius indicata, lineari pictura deſcripta mihi ita communicavit, ut confirmationem luculentam adjiceret, ſubmiſſis duobus Ceæ inſulæ depictis numiſmatibus, ex quibus de certa ΚΑΡΘΑΙΕΩΝ lectione, etſi præter meum

numum alter viſus eſſet nullus, minime dubitari poterat, cum toti inſulæ hoc, in aliis monetis nunquam obſervatum ſignum commune fuerit, ectypa ſubjicio:

CEORUM.

I. Caput, quod pro Apollinis haberi poteſt.)(ΚΕΙ. *Ceorum.* Animal dimidium inter radios. *Tab.* II. *N.* 1.

II. Caput diadematum ſenile.)(ΚΕΙΩΝ. typus idem. *Tab. II. N.* 2.

Ut hæc ad benevolentiam abundabant, ita ſatis non erant magnificentiæ Viri ſplendidiſſimi, etenim exiguo poſt tempore numum ipſum, qualem II loco repræſentavi, in muſeum meum ſuo dono inmigrare voluit, in quo eo majore merito triumpho, quod paucis abhinc annis id genus numi aut non viſi antehac, aut rariſſimi eſſe debebant, quippe cum Cl. Barthelemy *T. XXVIII de l'Academie des Inſcript.* (quem ultimum hactenus habemus) *pag.* 579. itineris ſui Italici anno cIↄ Iↄ CC LV. ſuſcepti rationes deſcribens, *pag.* 598. recenſet inter res præclare geſtas, & itineris fructus numos urbium ſingulares ab ſe in Galliam deportatos, *dont les noms n'avoient pas encore paru a nos yeux ſur ces ſortes des monumens*, atque hos inter monetam Ceæ inſulæ.

Evitaveram feliciter lectionis dubiæ charybdim, verum Scylla aliud minitabatur naufragium, ad ſignorum explicationem animum adhibui. Quia animal repræſentatum lupum

lupum putabam, de Apolline Lycæo, aut Lycio circumſpexi, atque illum quidem Sicyone, hunc Argis cultum reperi, ſed quomodo hæ religiones in Cycladum aliquam inductæ ſint, tum de illo etiam, an radii Apollini proprii unquam a ſcalptoribus animali deo ſacro circumfuſi fuerint, hærebam admodum. De templo quidem huic numini Carthææ ſtructo certum me reddebat Athenæus *L. X. pag.* 456. *Λέγεται δὲ ἐν τῇ Καρθέᾳ,* ſic, *διατρίβοντα αὐτὸν* (*Σιμωνίδην*) *διδάσκειν τοὺς χορούς. εἶναι δὲ τὸ χορηγεῖον ἄνω πρὸς Ἀπόλλωνος ἱερῷ μακρὰν τῆς θαλάσσης. Fertur, cum Carthææ degeret* (Simonides) *choros canendi, ducendique rationem docuiſſe, ſcholam vero procul a mari in ſuperiore urbis parte ad Apollinis ædem ſitam fuiſſe,* neque aliquid præterea.

Ad hæc non parum adverterunt animum duo Carthæorum poſteriores numi ſcilicet IV, & V. videbam in his negotium omne in aſtro potiſſimum verſari, cum hic animalis imago abſit. Memini me in Pauſania *L. II. pag.* 141. legere de Phliaſiis: *Ἀνάκειται δὲ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς αἶξ χαλκῆ τὰ πολλὰ ἐπίχρυσος· παρὰ Φλιασίοις, τιμὰς ἐπὶ τῶν δὲ εἴληφε· τὸ ἄστρον, ἣν ὀνομάζουσι αἶγα, ἀνατέλλουσα τὰς ἀμπέλους λυμαίνεται συνεχῶς, ἵνα δὲ ἄχαρι μηδὲν ἀπ' αὐτῆς γένηται, οἵδε τὴν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς χαλκῆν αἶγα ἄλλοις τε τιμῶσι, καὶ χρυσῷ τὸ ἄγαλμα ἐπικοσμοῦντες. Ipſo in foro conſtituta eſt ex ære capra magna ſui parte inaurata, cui ob eam cauſam a Phliaſiis honos eſt habitus, quia ſidus, quod capram nominant, ortu ſuo vitibus perniciem adferre conſuevit; ne ergo noceat, forenſem illam cum aliis honoribus colunt, tum auro exornant etiam.*

Adeſ-

Adeſſet quidem in numo botrus, forſan exornatio illa Phliaſiorum etiam in additis aureis radiis conſiſtebat; adtamen nec in tribus prioribus Carthææ, nec in aliis Ceæ inſulæ monetis ex truncato animali aliquid caprinæ familiæ eruere poteram. Quid quod nec cum inſulæ ſterilitate congruere videbatur, de qua Ælianus *L. XVI. de animal. c.* 32, cum de paucitate ovium ex Æſchylidis libris de re ruſtica retuliſſet, cauſam reddit: *τὸ δὲ αἴτιον, λεπτόγεών τε εἶναι τὴν Κίον ἰσχυρῶς, καὶ νομὰς οὐκ ἔχειν. Solum in Cia eſſe admodum macrum, neque inſulam paſcua habere.*

Priusquam a numo IV. abeam, illud adnotare liceat, nobis forſan iam pridem Carthæenſium numiſma cognitum fuiſſe, niſi Inl. Arigonius in numum minus integrum, aut nimis obiter lectum incidiſſet, eum enim, quem *Tab. IV. N.* 32. Harpaſæ adſcribit, Carthææ quam certiſſime cuſum arbitror, ſeu ſigna, ſeu epigraphes characteres ſpectes, in quibus vitio adfectum K., Θ vero pro Π habitum fuerit, cujuſmodi *σφάλματα* etiam alia non pauca eodem in libro deprehendi; pro aliis teſtis ſit canis, qui e regione indicati numi, blandientis more pedem offert, Amathunti adſcriptus, quem ſi quis conferat cum numo *Tab. XIX. N.* 192. propoſito, ex ipſis ſuis cimeliis tenetur Arigonius, numiſma Samæ Cephaleniæ urbi reſtituendum eſſe; Quid quod ipſa Salapia N. 191. conparato typo cum numo ΣΑΜΑΙΩΝ Haymii *T. II. edit. Ital. pag.* 73. *Latin. pag.* 88. controverſiam vix evadit. Velut per parentheſin hæc dicta ſunto ad editorum adcurationem acuendam. Rem omiſſam perſequor.

Videt

Digitized by Google

Videt lector, ab infauſtis illis duobus aſtris Apollini ſeu Lycæo, ſeu Lycio graviſſimum infortunium denunciatum eſſe, pejus erat, ab alia moneta ipſum mihi Apollinem pene ereptum eſſe: intulerat, dum hæc agerem, Vir amiciſſimus Ilgnerus ſuo theſauro numum, quem, etſi ejus epigraphe minus integra, ex E tamen ſuperſtite Ceæ inſulæ absque dubio adtribuendum exiſtimo, ipſum repræſento:

III. Caput corona radiata cinctum barbatum.)(- - E - Animal, quale ſuperius inter radios. *Tab. II. N.* 3.

Bacchum inberbem & barbatum, nunquam Apollinem in numis vidi, cui, ſi barba, & ſenilis vultus, qui etiam in primo Carthæorum, & Ceorum numo II. conſpicitur, abeſſet, radiata corona congrueret quidem, verum quis a toto muſarum choro non metueret peſſime, ſi Socratica hac perſona dehoneſtaret eum, cujus, ut canit Callimachus hymno *in Apol. v.* 37.

Οὔποτε - -
Θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.

Nunquam teneris ne tantillum quidem lanuginis increvit genis.

Fit, ut ipſa deſperatio filum nobis non nunquam ſubpeditet, quo ex difficultatum moleſtis ambagibus evolvamur, idem mihi feliciter evenit; Ad regem nempe aliquem, aut heroem animum adplicui, qui a Ceis religioſe cultus, aliquam forſan cum Apolline cognationem habuiſſet, hunc apud Diodorum Sic. reperi *L. IV. pag.* 195. vel 281. *Wechel:* ubi ita: Τὸν δὲ Αρισαῖον φασὶ μετὰ τὴν Ακταίονος τελευτὴν ἐλθεῖν εἰς τὸ χρηςήριον τοῦ πατρὸς, καὶ τὸν Απόλλωνα προειπεῖν αὐτῷ τὴν εἰς Κῶ νῆσον μετάβασιν ἐσομένην

ἀυλῆ, καὶ τὰς ἐσομένας παρὰ τοῖς Κείοις τιμάς. Ferunt poſt Actæonis interitum Ariſtæum ad patris oraculum veniſſe, atque ab Apolline de ſua in Ceam inſulam migratione, atque habendis ſibi a Ceis (labitur hic interpres, qui Coos ſubſtituit) *honoribus edoctum fuiſſe.*

Filium tenemus hic Apollinis, atque noſtra in inſula aris etiam cultum, quod ipſum Athenagoras, etſi in inſulæ nomine ſcriba erraverit, in legatione pro Chriſtianis aptiſſime confirmat: Χῖοι (Κεῖοι) Αριςέον τὸν ἀυλὸν καὶ Δία, καὶ Απόλλω νομίζοντες. *Chii* (Cei) *Ariſtæum eundem & pro Jove, & pro Apolline habentes &c.* Ita barbatus & ſenilis vultus in poſteriore numo Jovem, radiata corona Phœbum deſignabit. Ipſis aſtris jam aliqua lucula ex Diodoro adfulſit, verum quia nemo pluribus, & nitidius rem perſecutus eſt, quam Apollonius *L. II. Argonaut. a v.* 500. *ad* 530, ex illo aliqua, quæ ad explicationem ſignorum faciunt, ſubjiciam.

Occaſione Eteſiarum ortarum, narrat, Cyrenem nympham ab Apolline ex Theſſalia raptam, in Lybia ex eo filium genuiſſe Ariſtæum, qui a muſis eruditus, & in Theſſaliam reſtitutus, cum æſtas graviſſima fervente Sirio, non minorem famem incolis adtuliſſet, monitu Apollinis calamitatis hujus depulſor invocatus erat, verum

Λίπον δ' ὅγε πατρὸς ἐφετμῇ
Φθίην· ἐν δὲ Κέῳ κατενάσσατο λαὸν ἀγείρας
Παῤῥάσιον. - - - - - - - - - -
Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Δίος Ικμαίοιο,
Ιερὰ τ' ἔῤῥυξεν ἐν ὔρεσι ἀςέρι κείνῳ

Σει-

Σειρίῳ, αὐτῷτε Κρονίδῃ Διΐ· τοῖο δ' ἕκητι
Γαῖαν ἐπιψύχουσιν Ἐτήσιοι ἐκ Διὸς αὖραι
Ἤματα τεσσαράκοντα.

Liquit dein ipſe parentis
Imperio Phthiam, populo coluitque coacto
Parrhaſio Ceum. - - - - - - - -
Icmæoque Jovi ſtructis prægrandibus aris
Sacra cani fecit rutilo per celſa jugorum,
Sirius ut medio ſit junctus bonore tonanti;
Inde quater denis terram recreare diebus
Quæ ſolet aura, Jovis munus.

Neve religioſum hunc cultum ſemel ſolum ſuſceptum ex remotiſſima ætate ad noſtros numos pertrahi quis opinetur, proſequitur Apollonius:

Κέῳ δ' ἔτι νῦν ἱερῆες
Ἀντολέων προπάροιθε κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς.

Etiam nunc Ceus ad aras
Prævenit exortum ſtellæ libando ſacerdos.

Quidni ergo aſtronomis inter varia, quæ identidem adnuntiantur, phænomena, id quod nemo facile crediderit, Sirium etiam ſuum vetuſto in ære ſignatum fuiſſe gratulabimur? Quid quod ſuſpicio eſſe poterit probabilis, hac forma in veterum tabulis depictum etiam fuiſſe. Videmus præterea, cur in II. III. & IV. Carthæenſium numis Apollinis, I in Carthæenſium, II. & III. Ceorum Ariſtæi caput conpareat; in V. vero Carthææ ſignato Cyrenem cælatam eſſe, cogitari poterit, adeo ut planiſſima ſint omnia

L 2 præter

Digitized by Google

præter botrum numi IV., qui ob ſoli iniquitatem morabitur, neque enim facile monetarii plantarum fructus in numis jactabant, niſi aut abundantia, aut bonitate præcellerent, aſt præterquam quod Ælianus ſupra indicatus huic laudi obſtare videtur, per omnia Athenæi cellaria nuſquam vinum Ceum laudatum reperi.

Duabus viis etiam hoc expediam, utram volet, lector benevolus anplectetur. Primum, nequaquam tam infelicem hujus inſulæ terram reperio apud alios, quam eam Ælianus deſcripſit: Virgilius in invocatione *L. I. Georg. v.* 14. ita ad Ariſtæum:

Cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Benignius ibi ſolum fuiſſe, vel narratio Plinii *L. IV. c.* 12. *pag.* 210. conficit, ubi Ceam portionem ab Eubœa avulſam conmemorat. Recentior ſcriptor, qui inſulam ipſam perluſtravit Cl. Tournefort. *Relat. d'un voyage du Levant T. II. pag.* 18. aliam nobis multo Ziam depingit, ſcilicet eam bene cultam, agros fertiles, etſi parum frumenti feratur, multum hordei, vinumque ſufficiens reddere, bona ibidem educari pecora, plus etiam ſerici, ficuumque provenire.

Aſt illud: *Aſſès de vin*, ut Tournefortius loquitur, id mereri non videbitur aliquibus, ut propterea monetarii botrum in moneta cælaviſſent. En modum explicandi, qui mihi vel ideo probatur magis, quod eidem botro aſtrum Sirii in poſtica numi parte eſt conjunctum, exiſtimo nem-

Digitized by Google

nempe, voluiſſe Carthæenſes ipſam cauſam calamitatis, quam a canicula paſſi fuerant Ceæ incolæ, indicare, de qua Hyginus *Aſtron. Poet. L. I. N.* 4. *pag.* 363. *& ſeqq.*

Narrationem conpendio ſtringam, refert: Liberum patrem Icario filio vitis colendæ rationem ita credidiſſe, ut vellet ab eo cum artem, tum botrorum, vinique bonitatem homines doceri. Evenerat forte, ut, cum in Attica verſaretur, agricolæ inebriati, ratique venenum ſibi mixtum, impetu facto eum trucidarent; cædis reos, quia in Attica ſibi quietis eſſe non licebat, in Ceam trajeciſſe, verum & huc eos pœnam conſecutam, ſcilicet immanem ex orta canicula æſtum, quo non fruges ſolum, ſed incolæ ipſi morbis abſumebantur, dum ex oraculo Apollinis ſacra caniculæ faciunda, ab Ariſtæo inſtituerentur, quibus & Icarii cædes expiaretur, & Eteſiæ ab Jove inpetrarentur.

Ceterum quæ ſeu de Cea, vel Ceo inſula, ejuſque oppido Carthæa primum ex numis etiam inluſtrato, ſcire intereſt, ex veteribus Strabo nos docet, fuiſſe inſulam tetrapolin, quarum urbium duabus mari, teſte Plinio, hauſtis, ſuperabant Julis, & Carthæa, in hanc cives ex Pœeſſa, in illam ex Careſſo conmigraſſe dicuntur. Ex recentioribus ſitum inſulæ, urbiſque Carthææ mappula etiam adjecta, deſcripſit indicatus ſuperius Turnefortius. Id omittere non poſſum, vehementer me dubitare, an numus, quem Inl. Arigonius *Tab. XI. N.* 110. cum papilionis ſigno repræſentavit, Julidis hujus reapſe ſit, cur enim Carthæa communem toti inſulæ typum retinuiſſet ſola? an quia præcipua? Viderint hæc me feliciores, quibus plures hujus inſulæ numos inſpicere licuit.

Digitized by Google

CNOSSIORUM.

I. Caput, ut videtur, Dianæ prominente ad humeros pharetra.)(Pharetra ex loro ad angulum acutum pendula. ΘΑΡΣΥΔΙΚΑ - - *Tharſydica* - - *Tab. II. N.* 4.

Paradoxum aliquod numarium hic in medium profero, ſuæ monetam urbi meo ex numophylacio adſcribo, quin usquam urbis, aut civium nomen exhibeat; tam parum tamen hic de mea confidentia decedo, quam in conſequentis numi dubio indicio me contraham. Non parum me angebat veri reperiundi cupiditas; etſi nulla de ejuſcemodi oppido conſcientia, atque ſcriptorum ſilentium neminem illico abſterrere debet, fateor tamen, me iam tum, quod legebam, nomen magiſtratus ſuſpicatum fuiſſe, qua in opinione me magis confirmavit Ilgneri amiciſſimi numus geminus, in cujus poſtica nitide, ut in mea, ſervata ſparſis ſimili ratione circa pharetram literis pro ΘΑΡΣΥΔΙΚΑ. legeram ΑΥΡΙΑ.

Quia margo numi mei in antica ita abſciſſus erat, ut ſuum literis urbis nomen exprimentibus, & vultui adverſis ſpatium eſſe potuiſſet, ſicut rei literariæ damno amiſſum nomen deplorabam, ita hoc in dolore Inl. Arigonii numus *Tab. XXIII. N. 226.* ob capitis aliquam ſimilitudinem, indicatasque, eo omnino, quo ſuſpicabar, loco literas: ΔΥ., amplius me involvit, etſi videbam, nec eundem eſſe pharetræ ſitum, nec judicaverim, niſi præcipitatione autoris, eum Zanclæ adtribui potuiſſe.

Ad

Digitized by Google

Ad muſea igitur alia confugiendum erat; edoctus hac de re Vir omni honore major Marchio Savorgnanus ectypon ſubpeditavit, quod ſubjicio:

II. Caput Jovis laureatum.)(Aquila ſtans in partem converſa: ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ. Ζ. *Tharſydicas. VII. Tab. II. N.* 5.

Ut ſciebam, diverſis in urbibus viros ejuſdem nominis magiſtratu functos eſſe, ita, quia hic nullum in antica integerrimi numi veſtigium literarum vel conjici poterat, doctus fui certiſſime, urbes aliquas ſuum in monetis nomen prætermiſiſſe; Ipſæ tamen per aream averſæ diſperſæ, ut in meo, literæ velut digito in eandem utriusque officinam intendebant. Obportune tum in memoriam ſubivit Haymii numiſma ipſo, quem Latinum feceram *T. II. pag.* 143, 144, *edit. Ital. pag.* 117. deſcriptum. Aquila ſe in eo ſiſtit, qualis in Savorgniano, literæ ſimiliter per aream diſſeminatæ alterius alicujus Coſmi nomen, & in recto quidem caſu ΜΝΗΣΘΕΟΣ. *Mneſtheus*, ut ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ., atque ΑΥΡΙΑ. objiciunt, denique ſignum numerale Β., quemadmodum in moneta Inl. Savorgnani Ζ., in tertio aliquo muſei Auſtriaci, qui meo, primum propoſito, cetera ſimillimus, Α. conparet.

Membra hæc, ſi in argumentationem ſtringuntur, absque omni dubio conficient, numum, quem ex meis cum nomine ΘΑΡΣΥΔΙΚΑ - - exhibui, Cnoſſo notiſſimo Cretæ oppido eſſe adſcribendos. Verum nec tam anguſta eſt ſupellex, ut non eadem ſententia magis ſtabiliri poſſit. Adſervantur in ſelectiſſimo muſeo Granelliano conlegii Academici noſtri numi hi duo:

III.

III. Caput Jovis.)(Aquila ſtans. ΚΝΩΣΙΩΝ. ΜΗ. *Tab. II. N.* 6.

IV. Caput Dianæ.)(ΚΝΩΣΙΩΝ. *Cnoſiorum.* Pharetra recta cum arcu. *Tab. II. N.* 7.

Primus propterea mihi jucundiſſimus erat, quia literis in diverſas partes poſitis, modum, quem hactenus in aliis controverſis vidimus, magis referebat, quam ille Haymii nam primum Κ. atque poſtremum Ν, nonnihil quidem diſtortum in contrariam partem eſt conjectum; literæ ΜΗ. probabilius magiſtratus nomen occipiunt, cujus tamen continuatio cruſta aliqua terrea, qua iam poſtremum Ω involvitur, in obpoſita numi parte obtegi videtur.

In elegante altero numulo nollem aliquem a pharetra recta in transverſum agi, ſatis id quid demum cunque diſcriminis conpenſat lorum ita tenſum, ut oblique, quemadmodum in numo I. pendere debeat, quidquid etiam inſcriptionis lineæ, a minus perito artifice hoc ſitu ad angulum rectum ductæ refragentur. Inperitiam ſcalptoris monetarii jure reprehendo, quia produxi cum Frœlichio optimæ memoriæ ex gaza Auſtriaca ejuſdem urbis monetam ſimilem *pag.* 82. *Tab. XIV. N.* 14. ubi telorum theca ponderi ſuo relicta declinat.

Ex hactenus dictis conſecutione neceſſaria velut fluit, numos eos æneos, atque ſatis obvios, in quorum antica caput Jovis barbatum, in poſtica vero aquila alis expanſis cum epigraphe: ΚΥΔΑΣ. conſpicitur, & Cydoniæ, & Cytæo, ad quæ oppida plerique antiquarii eos referre ſolent,

ſolent, multo vero magis Cydæ ignotæ urbi, cui illos Golztius adtribuit, ereptos, Cnoſſo reſtituendos eſſe, etenim nomen ΚΥΔΑΣ viri in magiſtratu conſtituti eſſe habendum, vel in Creta percuſſi ciſtophori docere debuiſſent viros literatos, in quibus ipſum quod ΚΥΔΑΣ geſſit, munus adjectum, nempe ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ, legitur, id quod *νῦν ἐν ἁγίοις* Panelius noſter de *Ciſtoph. pag.* 87. iam notaverat, ubi Cydæ nomen tam ex Polybio, & Livio, quam ex Cicerone viros aliquos inter Cretenſes publica autoritate conſpicuos tuliſſe conprobat.

His ſi adjunguntur cælaturæ ratio, ſignorum ſimilitudo, moles, æs ipſum, quæ omnia in hujuſcemodi numo tam gemina cum eo, quem N. III. indicavi, repereram, ut ſub eodem cuſum fuiſſe malleo pene jurarem, ſi hæc, inquam, in unum contrahuntur, intra certitudinis limites conſiſtimus profecto, præſertim ubi ad id advertitur, conventus gentis alicujus univerſæ fere in urbe, vel ad urbem principem habitos, quibus præpoſiti pro regionis nomine Lyciarchæ, Bithyniarchæ &c. dicebantur.

Cretarcham ex numo tenemus Cydam aliquem; nemo autem facile negaverit Cnoſſum caput in Creta extuliſſe tempore non modico Strabone teſte *L. X. pag.* 476. *Καὶ δὴ καὶ διετέλεσε μέχρι πολλοῦ φερομένη τὰ πρῶτα. Diu ſane primo ſplendore conſervato inter alias eminuit*, atque etſi in Gortynam & Lyttum multa ornamenta aliquamdiu abſtracta fuerint, proſequitur: *Ὕστερον δ᾽ἀνέλαβε πάλιν τὸ παλαιὸν σχῆμα τῆς μητροπόλεως. Recuperavit tamen deinde veterem metropolis ſpeciem.*

Ne quid diſſimulem, ut ſinceriſſimæ ſum mentis, atque perlibenter meliora doceor, intermittere non poſſum epiſtolam Cl. Ilgneri, Venetiis, quo excurrerat, ad me datam hic conmemorare, qua monebat, videri ſibi numum cum magiſtratus nomine ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ ad Caryſtiorum urbem referri poſſe; cum ſimile caput Jovis, & in averſa parte aquila objiciatur, quid quod luſtrando ditiſſimum Inl. Savorgnani muſeum in numum inciderat, qui etiam pharetram, quamvis ſitu aliquantum diverſo, cum indicato urbis nomine eodem præferebat; utriuſque numiſmatis ectypon, ut ab Inl. XViro Venetorum R. P. ad me ſumma benevolentia transmiſſum eſt, ita libenter antiquariorum erudito uſui conmunico:

I. Caput Jovis laureatum.)(ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ. Aquila ſtans alis expanſis. *Tab. II. N.* 8.

II. Caput, ut videri poteſt, Dianæ.)(Pharetra ſitu obliquo. ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ. *Tab. II. N.* 9.

Adtamen neque hæc numorum biga, neque conſulentium amicitia me a Cnoſſo dimovebit unquam; Produxerat ſimiles Inl. Arigonius *Tab. IV. N.* 33. & *Tab. V. N.* 52. qui tamen in priore minus, ut ſuſpicor, integro admodum eſt hallucinatus, dum, neſcio, quam urbem *Ariſtæum* nobis adnunciavit. Nihil, inquam, his moveor, ut a Creta in Eubœam trajiciam, nimis enim multa me retinent; atque primum illud; numos ejuſcemodi (ſumma enim cum adtentione ſimiles in muſeo Auſtriaco hujate exploravi) tam rudis eſſe humilisque cælaturæ, ut nec Cretenſes mei cum his, nec iſti cum Euboicis conparari poſſint, quivis enim

enim novit, quam elegante artificio ſe commendent Hiſtiæorum, Chalcidenſium, Eretrienſium monetæ.

Liberalis ero, fingamus ſcalpturæ laudem parem eſſe, moleſtius ab orthographia petitum erit argumentum. Quotquot Euboicæ Caryſti certos tenemus numos, omnes illi ſecundam vocalem Υ habent, ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ. inſcripti, eo nimirum modo, quem apud omnes Græcos hiſtoricos obſervamus; ubi paullo ſuperius adducti, & quos alios vidi, I. ſubſtitutum præferunt. Erit, qui reponat, potuiſſe ſane temporis lapſu, ut ipſa cælatura defluxit, ita in orthographiam etiam aliquid mutationis, aut labis obrepere.

Verum nec ſub hac lorica tutum eſſe patiar: adſunt imperatorum numi Trajani, & Antonini Pii apud Vaillantium, qui ne minimum in urbis epigraphe ab antiquiore illo Goltzii *Tab. XI. N.*1. diſcedunt, cedo iam, quando ergo Caryſtii in eam barbariem, quam Savorgniani, & iſtiusmodi alii numi exhibent, devoluti ſunt, ut vel emendate ſcribendi urbis ſuæ nominis oblivilcerentur? Quid quod hæc ipſa auguſtalium numorum conparatio novum mihi telum ſubpeditet; magna ſemper vis ineſt ſignorum ſimilitudini ad monetas forte dubias ſuis urbibus adſcribendas, eundem vero gallum gallinaceum in Antonini numo cum inſcriptione ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ conſpicimus, qui iam remota ætate intra quadratum Goltzii criſtas erigebat, id quæro, an nulla ratione ſit probabile, ut cives, qui ſuæ pecuniæ ſigna ad Antonini imperium tam religioſe conſervaverunt, in urbis nomine literas aliquando mutaſſent?

Hæc iam in unum conlecta profecto conficient, neque duos hos numos Eubœæ, neque I, & II. initio hujus diſputationis propoſitos, huic quali demum cunque Cariſto adtribui poſſe. Aſt adeſt in poſtremis his numis aquila, pharetra; adeſt aquila, ſed quam parum maſcula, ſi cum Cnoſſiis confertur, adeſt, verum abſunt ſparſæ per aream literæ, in quibus momenti plurimum pono: adeſt pharetra, fateor, ſed quam diſpar noſtris!

Quid igitur de duabus his monetis fiet? Siquid video, ad Ligures remitti poterunt; quam parum in cælando priſcis illis temporibus periti fuerint Galli, cum Gallici alii, tum poſteriores Maſſilienſium numi ſatis oſtendunt. Cariſti oppidi haud procul a mari Liguſtico meminit Livius *LXLII. c.* 7. ſcilicet in agro Statiellate, hac ex officina, dum quid melius docear, eas prodiviſſe conjicere liceat. Neve quem Græca epigraphe perturbet, teſtem profero Strabonem, qui dum *L. IV. pag.* 202. de Maſſilienſibus, & Antipolitanis, qui Græce numos inſcribebant, ſequente pagina proſequitur: *Τουτεῦθεν δ᾽ ἤδη μέχρι Μασσαλίας, καὶ μικρὸν προσωτέρω τὸ τῶν Σαλύων ἔθνος οἰκεῖ τὰς ἄλπεις τὰς ὑπερκειμένας, καί τινας τῆς αὐτῆς παραλίας ἀναμὶξ τοῖς Ἕλλησι.*

Inde iam (Monœco, ultra Varum in orientem ſito portu, quouſque Maſſilienſium navigationem ſe porrexiſſe arbitrabatur geographus) *ad Maſſiliam uſque, atque non nihil ulterius Salyes habitant oræ maritimæ imminentes alpes, partemque littoris Græcis permixti.* Magis etiam mediterranea Liguriæ incolas habuiſſe Græcos, veterum quorundam apud Plinium autoritas conprobat, etſi quis Herculis in

in Hiſpaniam expeditionem fabulis adnumeraret, ita ille, *L. III. c.* 20. *pag.* 176. de Lepontiis (ſeu ut Ptolemæus Λειπόντιοις) quam gentem Tauriſcam volebat Cato: *Ceteri fere Lepontios relictos ex comitatu Herculis interpretatione Græci nominis* (ſcilicet ἀπὸ τῦ λείπεσθαι) *credunt, præuſtis in tranſitu alpium nive membris: ejuſdem exercitus & Graios fuiſſe Graiarum alpium incolas, præſtantesque genere Euganeos inde* (εὐγενεῖς) *tracto nomine.*

Majus pondus meæ conjectioni adderet numus muſei Arigoniani *Tab. XI. N.* 112. ſi lectio ΙΡΙΑΤΙΝΩΝ ſatis ſibi conſtat, atque adjuncta alia pro Iria addicunt, quod oppidum in Liguria decem leucis a Dertona verſus Placentiam in ortum ſitum fuiſſe novimus, etſi enim delphinus, & gubernaculum maritimæ potius urbi congruunt, nemo tamen facile de Iria Hiſpanica cogitationem admittet. Hæc ſi minus placent, ut nomen ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ, ita alterum ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ viro in magiſtratu conſtituto adtribuam, quo fiet, ut poſteriores duo numi iisdem tenebris ſepeliantur, ex quibus meum illum, qui huic diſquiſitioni occaſionem dedit, protraxi.

* * *

Caput Jovis Ammonis.)(. ΚΟΙΝΟ. Silphium. *Tab. II. N.* 10.

Sine titulo, quem apud alios præfigere ſoleo, comparet hic numophylacii Ilgneriani numus, ne nempe in conlegium augurum invitus coopter; quia tamen, quæ

Digitized by Google

hac de moneta in mentem mihi venerunt, non omnino abjicienda duxi, dubia mea cum viris eadem in arena verſatis conmunicare volui: Cœnopoli Cyrenaicæ eum adtribui poſſe exiſtimo. Verum illico obmovebit, qui hæc leget, *Cænopolis* Καινοπόλεως meminiſſe quidem Ptolemæum inter urbes Cyrenaicæ mediterraneas, nullius tamen Κοινοπόλεως *Cænopolis*, diverſa diphtongo ſcriptæ.

Quid ſi ex numo corrigendum eſſe geographum adſererem? meminit in eodem tractu Neapolis, cedo! quis ſibi perſuadeat, Cyrenæos Græca lingua uſos duobus oppidis idem, quod notionem adtinet, inpoſuiſſe nomen, idem enim Græcanicis auribus ſonat Νεαπολις, quod Καινοπολις, *novam* nempe *urbem*. Absque dubio emendationem hanc ex numo urgerem pertinacius, niſi infortunio peſſimo malleus aliquantum in lævam aberraviſſet, ut, an poſt O. litera nulla, an Π conſequebatur, divinare non liceat, etſi gentis mos addicere aliquo modo videtur, utpote in cujus numis fracta urbium nomina: ΚΥΡΑ. ΒΑΡΚ. fere leguntur.

Video advorſum hic mihi aliquem, qui literam N ad conplendum fabri in noſtro numo σφαλμα obtrudit confidentia majore, crepat numum *P. II. Tab.* 16. muſei Pembrockiani editum, in cujus averſa præter plantam eandem nulla alia epigraphe quam ΚΟΙΝΟΝ. Vidi hæc ipſe, verum an non Π pro Ν haberi poterat? nuper admodum mihi numus ΑΘΗΝΑΙΩΝ pro ΛΟΠΑΔΟΥΣΑΙΟΝ obtruſus erat, in quo nempe deficientibus transverſis lineolis Α pro Λ. Θ pro Ο. tam Η quam conſequens Ν pro duplice Π lectum erat; profecto ſi in noſtro Ν transverſa

ſa linea aliquantum extrita foret, pro Π haberetur potius. Vel an non ex communi notioreque uſu litera ultima facile adjici poterat ab eo, cui ſolum ΚΟΙΝΟ peregrinum nimis videbatur?

Non is ſum, qui ad ſtabiliendam meam ſententiam (opinionis umbram dicere debebam) quemadmodum antiquarii auſi ſunt aliqui, ipſam grammaticam tyrannidi ſubjiciam, nunquam a me transformabuntur literæ pro lubidine, niſi momentum gravis alicujus rationis adſit. Legerit Pembrockiani muſei editor ΚΟΙΝΟΝ; novimus hoc vocabulo conventum aliquem ſacrum deſignari, quem vicinæ & fœderatæ civitates frequentaverant, verum ut hoc certiſſimum, ita omnibus, qui numos viderunt, conſtat, etiam populum, qui ſacris intererat, indicatum fuiſſe ipſo in ære, ita in pluribus: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ΚΡΗΤΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. &c. legitur; in numo vero noſtro area ſuperior tam eſt plana, ut ne veſtigium quidem vel per fraudem extritarum literarum obſervetur.

An ita ingenio indulſiſſe arbitrabimur monetarios Cyrenaicos, ut ſolum ſilphium gentis nomen ſatis indicare exiſtimaverint? Fateor, ipſa ſua raritate notam admodum celebremque fuiſſe hanc plantam, verum non minus notus erat lapis, quem Paphii pro Venere coluerunt, in horum tamen numis nunquam ſolum ΚΟΙΝΟΝ ſine adjecto ΚΥΠΡΙΩΝ leges, etſi templum cum divina illa pyramide ſit conſignatum; neque ulla alius populi forſan producetur moneta, quæ ſolum ΚΟΙΝΟΝ præferat.

Quid

Digitized by Google

Quid quod Inl. Spanhemius *T. I. pag.* 296. numum exhibet, capite Jovis Ammonis in antica, in poſtica ſilphio inſignem cum epigraphe: ΚΥΡ. ΚΟΙΝ. Nempe monetarii ejusdem gentis tam varii, & inconſtantes fuerint, ut jam addito provinciæ nomine, jam vero, idque præter aliorum populorum morem, eodem omiſſo ΚΟΙΝΟΝ ſuum publico in ære indicarent? Regionis ſufficiens indicium in *Pembrockiano* numo erat laudata ſæpius planta, adtamen in Spanhemii moneta ΚΥΡ. addi debuerit?

Et quis intercedet etiam, ſi eandem epigraphen ita legero: ΚΥΡΑΝΑΙΩΝ. ΚΟΙΝΟΠΟΛΙΤΩΝ? Erit, qui rurſus ΚΟΙΝΟΝ Pembrockiani obtrudat; aſt an non hoc ipſum vetuſtum urbis nomen eſſe poterat, quæ deinde Cœnopolis dicebatur? Solorum Ciliciæ infra monetam exhibebo ΣΟΛΟΠΟΛΕΙΤΩΝ inſcriptam, etſi hæc Ciliciæ urbs a geographis, & hiſtoricis ΣΟΛΟΙ. civis Σολεὺς, aut Σόλιος ubivis legatur, atque forſan latebunt alicubi numiſmata, quæ alterutram ΣΟΛΙ, aut ΣΟΛΕΩΝ inſcriptionem præferunt. Hæc de Cœnopoli, qua in diatriba ſi aliquibus ſpinam defixi, gaudeo.

Promiſſionis in mentem venit T. II. Haymii pag. 157 Not. 99 datæ; meminit autor *edit. Ital. pag.* 129. ex Cl. Bayle *Nouvel. de la Republ. des lettres Nov.* 1686. *Art.* 4. Cyrenæos annis ſingulis ſilphii caulem in templo Delphico dedicaviſſe, inſcalpta etiam ſigillo urbis muliere, quæ hancce plantam Batto conditori conſecrabat. Mirabar primum, qui factum ſit, ut diligentiſſimus in recenſendis donariis Delphicis Pauſanias hoc, & annulum quidem omiſerit, idque eo magis, quod duorum dedicatorum a Cy-

renæis

Digitized by Google

renæis ſignorum meminit, nempe *L. X. c.* 13 *pag.* 829: Κυρηναῖοι τῦ Ἑλληνικῦ τῦ ἐν Λιβύῃ· ὗτοι μὲν τὸ ἅρμα, καὶ ἐπὶ τῷ ἅρματι Αμμωνα. *Tum vero Cyrenæi Græci nominis in Libya: currum hi, & in curru Hammonem obtulerunt.*

Deinde *c.* 15. *pag.* 834: Κυρηναῖοι δὲ ἀνέθεσαν ἐν Δελφοῖς Βάττον ἐπὶ ἅρματι, ὃς ἐς Λιβύην ἤγαγε σφᾶς ναυσὶν ἐκ Θήρας, ἡνίοχος μὲν τῦ ἅρματός ἐςι Κυρήνη, ἐπὶ δὲ τῷ ἅρματι Βάττος, καὶ Λιβύη ςεφανῦσα ἐςὶν ἀυτόν. *Cyrenæi Batti in curru ſtatuam Delphis poſuerunt, qui eos ex Thera navibus in Africam deduxerat: auriga currus eſt Cyrene, in curru vero Libyæ Genius Batto coronam inponit.* Quare indagine quadam veſtigia ſum perſecutus, unde hanc notitiam laudatus Bayle protraxerit; cum Erasmi adagia indicata reperiſſem, ab his demum ad conmentatorem Ariſtophanis in Pluto perveni, qui laudato pro ſe Ariſtotele ſane diverſa ſcribit *ad v.* 926.

De dono quidem Apollini facto ita: Οἱ Αμπελιῶται δὲ, ἔθνος Λιβυης, εἰς Δελφὺς ἀνέθεσαν καυλὸν σιλφίυ, ὥς φησιν Ἀλεξανδρίδης. *Ampeliotæ vero, Libyæ populus, caulem ſilphii Delphis dedicaverunt, ut refert Alexandrides.* Quare non oppidi Cyrenes incolæ, *gli abitanti di Cyrene.* Dedicationis unius ſolum meminit Alexandrides quare non, *ogn' Anno.* Videamus jam, quid de ſigillo urbis cenſendum, ita ibidem paullo ſuperius ſcholiaſtes: Οἱ πολῖται οἱ Κυρηναῖοι ανταποδοσιν τῆς ευεργεσίας βυλόμενοι χαρίσασθαι τῷ βασιλεῖ, ἐποίησαν εἰκόνα· ὡς δέ τινες δακτύλιον· ἐν ᾧ ἡ πόλις ἀυτῶν προσφέρει τῷ βασιλεῖ τὸ σίλφιον. *Cives Cyrenæi, ut pro beneficentia, quam experti erant, regi gratiam redderent,*

N *ſtatuam:*

Digitized by Google

ſtatuam: *ut vero alii memorant, annulum fieri fecerunt, in quo civitas regi ſilphium offert.*

Vage hic omnia de ſtatua, vel annulo, qui, an urbis ſignum habuerit, non indicatur, diverſum enim admodum eſſe arbitror, urbis Genium in gemma cælatum, & eandem ipſam ſigillum urbis fuiſſe, neque facile publicum iſtiusmodi σφράγισμα, *ſigillo de la Citta* digito circumlatum credi poteſt.

Aliud ſane laudatus ibidem de Cyrenæorum re publica Ariſtoteles: Βάττος Κυρήνην, ἔκτισεν - - - - ὃν τιμήσαντες Λίβυες ἐχαρίσαντο αὐτῷ τὸ κάλλιστον τῶν λαχάνων τὸ σίλφιον, καὶ ἐν νομίσματι αὐτὸν ἐχάραξαν, τῇ μὲν, βασιλείαν, τῇ δὲ σίλφιον παρὰ τῆς πόλεως δεχόμενον. *Battus Cyrenem condidit - - - - quem ut bonorarent Libyi, olerum pulcerrimum ſilphium ei obtulerunt, atque in moneta illum cælarunt, altera manu regnum, altera ſilphium a civitate accipientem.*

Ex his puto, ſatis liquere, non ſolum quam parum commode in Bayleum inciderit Haymius, ſed illud etiam, apte ad rem ſcripturum abſtinere debuiſſe ea ſententia: *perche ciò* (ſilphium) *era diſtintivo glorioſo a quei di Cyrene, comme piu chiaramente appariſce da cio, que dice il dotiſſimo Bayle.* Cedo enim! quomodo Cyrenes urbis (de hac enim, non de provincia loquitur) ita propria erat gloria ſilphium, ut diſcrimen etiam, *diſtintivo*, alia inter Pentapolis oppida eſſet, ſi Ampeliotæ Delphis ejusmodi caulem dedicarunt?

Nihil

Nihil dicam de Barcæorum nummis, in quibus diverſæ ſpeciei plantam ſuſpicor; protulit editor muſei Pembrockiani ſimilem cum ſilphio monetam ΚΩΦΗΝΩΝ *Cophenorum* inſcriptam, in quam urbem hic inquirere non vacat, geographis ignotam; id ſcio teſtibus Arriano & Strabone in ipſa Media etiam proveniſſe ſilphium, nam ille *de Exped. Alex. L. III. pag.* 145: Ἀλλὰ ἔνγε τέτῳ τῷ Καυκάσῳ ἐδὲν ἄλλο ὅτι μὴ τέρμινθοι πεφύκασι, καὶ σίλφιον, ὡς λέγει Ἀριςόβελος. *At in hoc Caucaſo nihil præter terebinthum & ſilphium naſcitur, ut autor eſt Ariſtobulus.* Ille vero: Φέρει δὲ καὶ σίλφιον ἡ χώρα, ἀφ᾽ ἔ ὁ Μηδικὸς καλέμενος ὀπὸς πολὺ λειπόμενος τἔ Κυρηναϊκἔ, ἔςι δ᾽ ὅτε καὶ διαφέρων ἐκείνε. *Silphium quoque fert regio, unde Medico ſucco nomen, is longe deterior Cyrenaico, interdum tamen illo bonitate præſtat.* Videt hic autor, quam *il diſtintivo glorioſo* evaneſcat, præſertim ſi noſtræ Cœnopoli etiam in Pentapoli officina monetaria conceditur, cujus occaſione huc ſum delapſus.

LACEDÆMONIORUM.

Caput diadematum.)(Vas inter pileos Dioſcurorum. ΛΑ. ΠΕΙCΙΠ. *Tab. II. N. 11.*

Numulum hunc ſolum repræſento, quia, ut ad Haymii *T. II. pag.* 158 *Not.* 100. indicavi, a nobis gazam Auſtriacam Vindobonenſem in ordinem redigentibus in catalogo τῶν ἀνεκδότων omiſſus fuerat, ubi ſane propterea locum merebatur, quia tertius erat, quem Lacedæmoniorum argenteum hactenus vidimus. Quod epigraphen adtinet,

Digitized by Google

fateor, primas literas ita nexas, poſtremam vero ita cælatam eſſe, ut dubitari poſſit an priores Π & Ε an Γ & I, poſterior Π, vel in ΓΙ reſolvenda, quia tamen probabilius viri nomen adſumtis Π formatur, ΠΕΙCΙΠΠπυ, vel ΠΕΙCΙΠΠπος *Piſippus* legendum eſſe exiſtimo, cum vero nullus Spartanorum regum hoc nomine, caput diadematum ad eorum aliquem, quorum tempore luxus inrepſit, ita referendum erit, ut Piſippi nomen magiſtratum deſignet. De hac Spartanæ rei publicæ labe adnotationem indicatam conſule.

LARINORUM.

Caput Herculis leonis exuviis tectum)(Hippocentaurus currens. CADINOD. In infimo numi ſegmento nota quadrantis. *Tab. II. N. 12.*

Numus hic ex muſeo Cl. Ilgneri mihi ſubpeditatus, duplice titulo inter non editos cenſeri poteſt; aliquot quidem cum hac epigraphe male lecta, ut mox oſtendam, comparuere, nullus tamen cum his ſignis. Larino Frentanorum, ſeu Apuliæ in Daunia oppido numum ſumma confidentia adtribuo, mirorque hactenus inter ignotos latuiſſe; quia editor muſei Theupoli numiſma minus integrum habuit, Atinam Latii, omiſſa nempe prima litera ex ΑΔΙΝΟΔ Græcis præterea hodierni uſus Δ ſcripto nobis obtruſit. Melius ſervatos numos habuit Inl. Arigonius, verum tam *Tab. IX.*, ubi de partibus aſſis agit, inter trientes unum *N.* 14, quam inter urbes *Tab. X. N.* 100. alterum profert, cujus epigraphen GADINOD adnunciat, primam proinde literam

Digitized by Google

literam pro G. habuiſſe liquet, quia poſt *Fanum* ante *Gnidum*, *Gnoſſum*, *Gortynam* numum inſeruit.

Felicior erat Pembrockiani theſauri conlector, is enim primum advertit, epigraphen non a G. ſed L., antiquo eo nempe, vel ſi placet dicere, Hetruſco, quale in numis Gelæ urbis, ut in meo aliquo, obſervatur, incipere, adhæſit tamen in D. conſonante repetita, etenim cum *Tab. XVII.* ante ΛΑ-ΜΙΕΩΝ poſuit LADINOD. cum typo delphini, & nota ſextantis, tertiam literam Delta ab ſe habitam confitetur: rurſus cum poſtea *Tab. XVIII.* ante numum ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. alterum depinxit, qui in antica caput juvenile galeatum, in poſtica cum ſimili epigraphe, & nota quincuncis equitem haſta & clypeo armatum decurrentem repræſentat, de Delta ita hæſitaſſe videtur, ut O. forſan habuerit.

Mirum ſane, viris in arte verſatis nunquam caninæ literæ in mentem veniſſe, quam ita formatam in numo Hyrinorum apud Begerum *Theſ. Brand. T. I. pag.* 320. vidiſſe debuerant; illud vix adſequor, qui factum ſit, ut Inl. Arigonius, qui priſcum hunc characterem *Tab. XXII. N.* 222 in numo ſuo Tutertino agnoverat, eum & geminum quidem tam parum obſervaverit, ut alterum præterea errorem erraverit, dum *Tab. XIII. N.* 132 numum recentioribus Græcis literis ΛΑΡΙ. inſcriptum Larino Apuliæ adtribuit, qui tam ob cultrum taurobolio adhiberi ſolitum, qualem in monetis Philippi & Perſis poſtremorum Macedoniæ regum videmus, quam ob ipſam epigraphen Græcam Lariſſæ Theſſalicæ potius eſt adſcribendus.

Erit, qui meis me armis impugnet, atque Arigonii nu-

mum Dauniæ vendicet; an non, inquiet, vicinum Larino oppidum Arpi eadem lingua monetas ſuas ΑΡΠΑΝΩΝ inſcripſit? quid ergo numiſmati Arigoniano Græca inſcriptio adeo oberit, ut in Theſſalicam officinam relegetur? Tam parum his moveor, ut, quæ adſerui, inde confirmem atque inluſtrem potius. Græca perpetuo epigraphe uſi ſunt Arpani, nempe quia Argivorum colonia, nam teſte Strabone de hac urbe & Canuſio *L. VI. pag.* 283: Λέγονται δ' ἀμφότεραι Διομήδους κτίσμα. *Utramque Diomedes fertur condidiſſe*, hunc præterea ſanguinem ab Ætolis regibus traxiſſe novimus, unde factum, ut non ſolum Virgilius *Æneid. L. X. v.* 28 caneret:

> *Atque iterum in Teucros Ætolis ſurgit ab Arpis*
> *Tydides.*

Sed ipſi etiam cives in moneta Calydonium aprum conſignaverint, quo luculentum magis Ætolicæ originis teſtimonium nemo facile petierit. Diverſa ſunt de Larinatibus, qui ex Liburnis, & Hetruſcis orti perhibentur a Catone *de Originibus*. Vicina etiam oppida Teanum, Luceriam Latina inſcriptione uſa ſcimus.

Gravius aliud obponi poſſe video ex Pembrockii numo *Tab. XVII*, & alio Arigonii *Tab. X. N.* 100 qui delphinum in poſtica exhibent, ſuperius indicatis; ſignum enim hoc urbem maritimam fere demonſtrat, aſt Larinum præeunte Ptolemæo, ad dextram Tiferni ripam in mediterraneis ſitum fuiſſe, omnes hodie conſentiunt. Ad rem quidem belliſſime hæc dicta ſunt, minime tamen ejus ponderis, ut vel lectionem numi, vel officinam monetariam mutem.

Omitto

Digitized by Google

Omitto in muſeo Pembrockii *Tab. XIX.* depictum eſſe Luceriæ numum cum nota quadrantis, qui delphinum etiam cum tridente præfert, novimus vero omnes Luceriam multo magis, fere ad fines Hirpinorum, a mari recedere. Nec ab hiſtoria naturali præſidium quæram, ſcilicet delphinos etiam aquas dulces ſubire teſte Bellonio apud Aldrovandum; Larinatium agrum non anguſtis pomœriis conſtrictum ad mare etiam ſe porrexiſſe contendo, atque ut alia teſtimonia prætercam, nunquam, ſi res aliter ſe haberet, profecto ceciniſſet Silius *L. XV. v.* 565.

Quaque jacet ſuperi Larinas accola ponti.

Et en ſalſæ ſuæ aquæ innatantem delphinum.

Numi noſtri ſigna ſi conjungere placet, centaurus averſæ Oreus erit, cujus cum Hercule pugna in ſella Apollinis Amyclæi a Bathycle Magneſio cælata deſcribitur a Pauſania *L. III. c. 8. pag.* 256: Ηρακλέυςτε πρὸς Ορεῖον Κένταυρον μάχη πεποίηται. Herculem ubivis in Italia cultum Dionyſius Halicarn. *L. I. Ant. pag.* 33 nos docet de Hercule loquens: Πολλαχῆ δὲ καὶ ἄλλη τῆς Ιταλίας αἰνεῖται τεμένη τῷ θεῷ, καὶ βωμοὶ κατὰ πόλειςτε ἵδρυνται, καὶ παρ᾽ὁδοῖς, καὶ σπανίως ἂν ἕυροι τὶς Ιταλίας χῶρον, ἔνθα μὴ τυγχάνει τιμώμενος ὁ θεός. *In multis etiam aliis Italiæ locis templa huic deo ſunt ſacrata, & per urbes, atque in ipſis viis aræ ſunt erectæ: nec facile reperias ullum in Italia locum, ubi hic deus non coleretur.* In ipſa Daunia honores ei habitos numus theſauri Brandeburgici Luceriæ cuſus, in quo apud Begerum *T. I. pag.* 317, aut eundem inberbem, aut Omphalen adſignatis conſuetis in averſa armis intueberis. Quod ſi quis centaurum ad Bacchum referat, ſiticuloſæ etiam conſulet Apuliæ.

Diſſi-

Digitized by Google

Diſſimulare hic non poſſum, quod Larinatium numum vetuſto Hetruſcorum aut Samnitum charactere inſignem verſanti in mentem venit; *T. II.* Haymii *pag.* 167 in notis ad numiſmata ORRA inſcripta, de quorum explicatione, ſeu urbe, in qua cuſa fuerant, prodenda hactenus fere deſperatum eſt, conjecturam aliquam ex Amoris ſigno ſæpius in illis cælato eruditorum diſcuſſioni ſubtimide propoſui. Alteram, quæ hic ſubnata eſt, non majore quidem confidentia, communicandam tamen duxi.

Conſtat ex marmorum, atque æncarum tabularum inſcriptionibus vetuſtiore charactere exaratis, eam priſcis fuiſſe ſcribendi rationem, ut conſonantes nunquam geminarent; hinc arbitrabar, male hucusque in hisce monetis lectum fuiſſe ORRA., ſed alterutram conſonantem alius ſoni eſſe debere, cumque ex priſcis alphabetis ſcirem, magnam τȣ K cum R fuiſſe ſimilitudinem, utraque enim pede uno brevior id ſolum habebat diſcriminis: R ſuperius clauſum, K apertum fuiſſe, quæ diverſitas in numis aut minus ſervatis, aut incruſtatis facile adcuratos etiam oculos fugit, cenſebam, aut OKRA, aut ORKA legendum potius.

Fateor, me in primam lectionem magis inclinare, habemus in Umbria cis Appenninum ad Naris cum Tiberi confluentem municipium Ocriculum; quid ſi, ajebam, vel in vicina aliqua Italiæ regione urbs aliqua Ocra fuiſſet, ad cujus diſcrimen oppidum alterum Ocriculum nominatum fuerit? vel vero hoc ipſum municipium amplitudine, ut nomine diminutum ex ruinis alicujus Ocræ ſurrexerit? ſuſpicionem hanc qualemcunque ita boni conſulat lector, ut non tam luxurianti ingenio, quam intento

in

Digitized by Google

in minimas etiam veri eruendi venulas animo eam tribuat.

PAMPHIORUM.

Caput juvenile, comis retortis, aliquo pilei genere tectum.)(ΠΑΜ. *Pamphiorum.* Pharetra, quam tridens hinc, inde prora ambit; infra: ΦΑΗΣ. *Phaes. Tab. II. N. 13.*

Numuli hujus ænei optime conſervati ex muſeo Ilgneriano inter incertos mentionem fecerat Inl. C. Criſtiani in adpendicula tomo I. Haymii adjecta *pag.* 71. Quod tum ambos latebat, fortuna mihi oblatum eſſe exiſtimo tam certo, ut non facile contra adſertionem, quam edo, probabilius aliquid, niſi me Juno Moneta oderit peſſime, a quoquam proferendum ſperem. Aliud quid agens Polybium verſabam, cum forte in Pamphium Ætoliæ mediterraneum oppidum incidi, cujus nemo veterum geographorum meminit, atque illico animum adjeci ad monetam præſentem urbis hujus officinæ vendicandam.

Non raro antiquarii in adſignando ſingulari numo hoc uno argumento nituntur: loci nullius nomen ſeu in Stephani catalogo, ſeu apud alios iisdem literarum elementis incipere; idem ſane hic evenit: neque enim arbitror, quemquam de Pamphylia ſomniare, quis enim vidit unquam, in numis univerſæ gentis nomen magiſtratus adjectum, niſi urbes peculiari fœdere, ut Achæorum, ipſorumque Ætolorum in commune aliquod concilium conſpiraviſſent, quod tamen de

O Pam-

Digitized by Google

Pamphylia adſerere nemo poterit, non enim hic agitur de viris, qui ſacris faciundis ab gente aliqua conſtituti ſunt, ſcilicet de Lyciarchis, Cretarchis, qui munus ſuum & populi nomen adjectum ſemper habent. Verum non tam curta mihi ſupellex, ut hanc unicam extremis in rebus tabulam adripere cogar.

Aliud in diſcernendis numis earum urbium, quæ *idem* nomen præferunt, præſidium numariæ rei ſtudioſis ſubpeditat æris, molis, atque cælaturæ potiſſimum ſimilis cum aliorum ejusdem gentis oppidorum moneta ratio: ita Heracleas, Apollonias, Ægas, alias ſuis provinciis probabiliter adtribuere ſolemus. Hujus ipſius criterii normam quam feliciſſime adplico; ſcalpturæ modum, molem, æs, omnia gemina reperio in numis Ætolicis, contuli Pamphiorum numum cum meo ΑΙΤΩΛΩΝ inſcripto integerrimo drachmæ unius granorum XIII, atque æquilibrium faciebant, ubi illud minime negligendum, tam in meo indicato, quam in eo, quem Inl. C. Criſtiani ediderat cum epigraphe ΑΜΦΙΣΣΕΩΝ, qualem ipſe poſſideo, averſæ partis aream verſus centrum ita concavam eſſe, ut in duobus Pamphiorum ejusdem typi numis, quos præ manibus habeo.

Aſt erit, qui me tridente, roſtrove navis de poſſeſſione ab ſe deturbandum ſperabit; quod enim, audire mihi videor, certius maritimæ urbis indicium, quam prora, Neptunique ſceptrum? nempe Khellius

Delphinum ſilvis adpingit, fluctibus aprum?

Ne minimum me Horatiana reprehenſio perterret, vel ipſum aprum Calydonium ἀνδρωῒ cum tridente & navigio con-

conciliabo. Ad iter Philippi regis in expeditione contra Ætolos ſub annum A. X. 218 ſuſcepta advertendus eſt animus, quod minutim ad magnum geographiæ veteris lumen nobis deſcripſit Polybius *Hiſt. L. V. pag.* 496 *& ſeq. edit. Amſtel.* 1670: Narrat ibidem regem ſuadente Arato celebri illo Achæorum prætore, ut ne protelatione occaſionem amitteret, inceptum iter perſecutum; narrationis partem priorem, quia longior eſt, Latinam ſolum ſubpedito:

Deinde Acheloum transgreſſus, Thermum verſus feſtinato agmen ducit - - - - - in tranſitu reliquit ad ſiniſtram quidem Stratum, Agrinium Theſtienſes: ad dextram vero Conopen, Lyſimachiam, Trichonium, Phœteum, deinde ad oppidum venit, quod Metapan dicunt, ad Trichonidem lacum, & ipſas illius fauces ſitum, ab eo loco, quem Thermum nominant, ſtadia LX diſtantem. Hanc ab Ætolis deſertam quingentorum militum præſidio inducto rex tenuit, ut per fauces ingredienti, atque exeunti munimento eſſet, eſt enim ripa tota illius lacus montoſa & aſpera, ac propter ſilvas viæ imminentes anguſta.

Tum ipſum profectionis ordinem perſequens, Thraces extra militarem viam ad tuendum dextrum latus diſpoſitos refert, & ſubjicit: Τὴν μὲν γὰρ ἐυωνύμων ἐπίφανειαν τῆς πορείας ἠσφαλίσθη λίμνη σχεδὸν ἐπὶ τριακοντα ςάδια· Ανύσας δὲ τὲς προειρημένες τόπες, καὶ παραγενόμενος πρὸς τὴν καλεμένην κώμην Παμφίαν (Πάμφιον) ὁμοίως καὶ ἀυτὴν ἀσφαλισάμενος φρȣρᾷ προέβαινε προς τὸ Θερμον. κ. τ. λ. *Nam lævum agminis latus tegebat ipſe lacus fere per triginta porrectus ſtadia; confecto per dicta loca itinere oppidum nomine Pamphium poſtquam adtigiſſet, illudque etiam muniviſſet præſidio, Thermum rex progrediebatur* &c.

Digitized by Google

Habemus hic oppidum non ignobile, quia præſidio non indignum videbatur cato duci, & quidem ad lacum, eumque magnitudine inſignem ſitum, nollem enim eum ex paullo ante adductis ad triginta ſolum ſtadia conſtringi; id ſolum vult ſcriptor, tanto ſpatio a lacu, adeoque lato admodum, agminis iter fuiſſe protectum, quod minime prohibet, eum non longius ſe porrexiſſe etiam, imo ampliorem multo fuiſſe, ipſum nomen docet, quod non aliunde, quam a Trichonio urbe habere poterat, quare etiam hæc lacui adſidebat; aſt inter Trichonium & Metapam Phœteum interjacebat, dolendum quidem, a Polybio ſpatium, quod inter Trichonium, & Metapam intererat, adnotatum non fuiſſe, adtamen vix errabit, qui huic intervallo ſexaginta adtribuerit ſtadia.

Ob lacum ultra ſexaginta ſtadia diffuſum (quis enim Trichonium ad ipſum illius initium, nullo teſte, adfiget?) poterant ſane Pamphiorum monetarii ſua in pecunia proram. & tridentem ferire, neque enim hæc indicia mare ſemper ſignificare exemplis docere poſſum: deſcriptus eſt in muſeo Theupoli numus Tiberiadis *pag.* 880., qui in poſtica mulierem repræſentat pede proram navis prementem; novimus, urbem hanc lacui Cenereth adſitam, cui Joſephus C. ſtadia in longum tribuit. Si quem tridens offendit, is Neptuno lacuum dominium eripiat; alia veterum erat opinio, refert Pauſanias *L. III. pag.* 264 de lacu in Laconia: Ενταῦθα ἔςι μὲν λίμνη καλεμένη Ποσειδῶνος· ἔςι δὲ ἐπὶ τῇ λίμνῃ ναὸς, καὶ ἄγαλμα τε̃ Θεε̃. *Eſt ibidem lacus, qui Neptuni dicitur: & in ejus ripa delubrum dei cum ſimulacro.*

Si

Si quis porro moleſtus fuerit, ex ipſo tridente lacus majorem etiam, vel Galilæo illi parem, amplitudinem inferam, quod inſtrumentum forſan ob aliquam Hebrææ religionis reſiduam reverentiam procudere omiſerint Tiberienſes. Eam hic geographorum, qui mappas deſcripſerunt, negligentiam ſatis mirari non poſſum, qua factum, ut magni hujus lacus cum ipſo Pamphio ne minimum veſtigium indicetur. Medium inter tridentem & proram ſignum ne quis primo intuitu columnam eſſe exiſtimet, ſolicite moneo; ob extrema tam ſuperius, quam inferius rotunda, tum quator circa medium annulos aliud exhibere non poteſt, quam pharetram, atque ſuſpicari liceret, illud ipſum inſtrumentum hic repræſentari, quod in numo Goltzii *Tab. VII. N.* 4. vir nudus ad latus habet, ſi arcu etiam armatus foret.

Subjectum nomen ΦΑΗΣ. magiſtratum indicare, qui alios apud Goltzium Ætolorum numos viderit, nemo dubitabit, advertet enim iſtiusmodi nomina inferiore numi loco eſſe poſita, ut in noſtro. De capite in antica ſignato in tantis hujus urbis tenebris hariolari nolo, id certum pilei formam admodum eſſe illius ſimilem, quem nuda illa figura apud Goltzium in dorſo pendulum habet. Quod cetera Pamphium adtinet, id ſolum ex laudato Polybio *pag.* 505. ſcimus, oppidum eadem Philippi expeditione ab redeunte poſtremo agmine crematum fuiſſe, *οἱ περὶ τὴν ἐργαγίαν ἐμπρήσαντες τὸ Πάμφιον*; quem locum eam etiam ob rationem adduco, ut genuinum urbis nomen conſtet, emendavi enim ſuperiore loco editionem, quæ ita habet: *πρὸς τὴν καλουμένην κώμην Παμφίαν*, exiſtimo enim deſcriptorem Polybii ab articulo ad *κωμην* referendo deceptum,

Digitized by Google

ptum; cum libri ejuſdem poſteriore lcco ἀδελφῶς ſcribatur.

PATRENSIUM.

Caput Jovis laureatum, & barbatum)(ΠΑ. *in monogramma contractum*, ΑΓΥΣ. ΑΙΣΧΡΕΩΝΟΣ. *Patrenſium. Agys Æſchreonis* filius intra lauream. *Tab. II. N.* 14.

Etſi abſit P. & E, quæ literæ in monogrammatis numorum æneorum hujus urbis videri ſolent, non dubitavi tamen hunc muſei Ilgneriani numum argenteum Patris Achaiæ adtribuere; Forma numi, Jovis Homagyrii ſatis a Cl. Bayero contra Begerum *Comm. Petrop. T.* [illegible] *pag.* 364 *& ſeqq.* ſtabilitum caput Achaicam monetam prodebat illico, Patris eam fuiſſe cuſam, ſine erroris periculo exiſtimari poſſe, confirmabat me monumentorum aliorum conſenſio potiſſimum.

Nempe urbs hæc paucarum more, magiſtratus ſuos non ſolum in recto caſu, ut dicimus, adnunciat, ſed parentis etiam nomen adjicere ſolet, ita in muſeo Theupoli legimus: ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ. ΚΑΛΛΙΣΤΡΑΤΟΥ. *Nicoſtratus Calliſtrati* filius: item ΜΗΤΡΟΔΟΡΟΣ. ΜΕΝΕΚΛΕΟΥΣ; in numo Galliarum regis apud Harduinum: ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ. ΔΑΜΗΝΟΣ loco Δαμωνος Jonice ſcilicet, & ΑΙΣΧΡΙΩΝ. ΛΥΣΙΑ. *Æſchrion Lyſiæ* filius.

An

An hic Æſchrion noſtri prætoris pater fuerit, avusque Lyſias, præſtare ſatis non poſſum etiam propterea, quia nec de Harduini, nec de mea lectione certiſſimus ſum, etenim E ita conpreſſum in præſente numo, ut hanc literam primum, pro vetuſto L haberem; P vero ita vitiatum, ut L tum arbitrarer; re quidem melius examinata, ſicut nec de P jam, nec de E fere dubitandum cenſui, ita fieri ſane poterat, ut Harduinus ſimili ratione male contortum E pro I legerit.

Quia in numo abeſt commune Achæorum monogramma, vix erravero, ſi eundem intra Olympiadem CXXIV. & CXXXII cuſum ſtatuo; teſtem habemus Polybium *L. II. c.* 41 ante hoc temporis punctum rei publicæ Achaicæ fundamenta jacta non fuiſſe: Ολυμπιὰς, ait, *μὲν ἦν εἰκοςὴ, καὶ τετλάρλη πρὸς ταῖς ἕκαλον, ὅτε Πaλρεῖς ἤρξαντο συνφρονεῖν, καὶ Δυμαῖοι. Olympias agebatur quarta & vigeſima ſupra centeſimam, cum Patrenſes cum Dymæis bujus ſocietatis fœdus primi inierunt.* Scio quidem eundem paullo inferius ſcribere: *πρῶτοι μὲν συνέςησαν Δυμαῖοι, Παλρεῖς, Τριλαιεῖς, Φαραιεῖς. Primi quidem omnium concordiam pepigere Dymæi, Patrenſes, Tritæenſes, & Pharæenſes.* Si tamen cum ſuperioribus conferatur, arbitror, gloriam jactorum fundamentorum Patrenſibus concedi debere, etſi forſan eodem anno memoratæ duæ urbes adceſſerint etiam.

Quis jam in animum inducet, urbem, quæ tanti operis inſtitutrix erat, in eam legem primam peccaviſſe, qua cavebatur, ut Polybius ſuperius *c.* 37. Καὶ *νόμοις χρῆσθαι τοῖς αὐτοῖς, καὶ ςαθμοῖς, καὶ μέτροις, καὶ νομίσμασι. ut non ſolum iisdem legibus, ponderibus, menſuris, ſed moneta etiam*

uteren-

uterentur? An omiſſura fuiſſet ſiglam illam civitas, quam forſan pro ſocietatis teſſera ſubgeſſerat ipſa, niſi eo tempore flatus fuiſſet Ilgnerianus numus, quo adoleſcens corpus, quatuor ſolum urbibus quia definiebatur, etſi id optabat maxime, non audebat tamen commune Achæorum nomen conſignare; Id quod factum fuerit, ubi Olympiade CXXXII Sicyonii, Ægienſes, Burii, Carynenſes eadem inſtituta ſunt anplexi.

Fateor, ex eodem Polybio certum eſſe, jam ante Philippi & Alexandri tempora ſtatum popularem ea in re publica ex duodecim urbibus conflata viguiſſe, prægraves etiam & vetuſtos Ægienſium numos in muſeis conſervamus, verum ut huic ætati numulus præſens ne minimum addicit, ita ea habet omnia, ſi Achaicam notam excipias, quæ in confinia indicatæ epochæ conſpirant: ſimillimum eſt Jovis Homagyrii caput, averſa pars intra lauream epigraphen continet, cælatura eadem, pondere examinato, æquale cum aliis monogrammate inſignibus, ſcilicet 38. granorum eſſe inveni, ut adeo pro exemplo communis deinceps monetæ numum adſumtum fuiſſe, ſuſpicari quis poſſet.

Patrenſium urbi, quemadmodum inſtitutæ rei publicæ optimæ laus tribui debet, ita etiam decus ſuum poſtrema fere etiam ſub imperatoribus ætate conſervavit, antiquo quoque Aroës nomine cum coloniæ Romanæ juribus reſtituto, numis, & Pauſania teſtibus, cujus locum, quia ſitum etiam indicat, adferam; *L. VII. c.* 18. *pag.* 569. ita ille: *Αυγουστος δὲ ἢ τȣ̃ παράπλȣ νομίζων κεῖσθαι καλῶς τὰς Πάτρας, ἢ καὶ ἄλλην τινα αἰτίαν ἐπανήγαγεν αὖθις ἐκ τῶν πολισμά-*

λισμάτων τῶν ἄλλων τὰς ἄνδρας ἐς τὰς Πάτρας. *Auguſtus deinde vel quod ad navium adpulſum Patras valde commodas judicabat, vel alia quacunque de cauſa, remigrare omnem illam multitudinem ex oppidis aliis Patras juſſit.* Et paullo poſt: Καὶ ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις Ἀχαίων μόνοις τοῖς Πατρεῦσι εἶναι· ἔδωκε δὲ ἐς τὰ ἄλλα γέρας σφίσιν, ὁπόσα τοῖς ἀποίκοις νέμειν οἱ Ρωμαῖοι νομίζουσι. *Et ſolis certe Patrenſibus ex Achæis omnibus, ſua ut libertate uterentur, conceſſit: atque alia in eam civitatem beneficia contulit, quibus ſuas colonias Romani adficere conſueverunt.*

POLYRHENIORUM.

Caput muliebre obverſum prominente ad humerum pharetra, & arcu)(ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. *Polyrheniorum.* Vir nudus præter faſciam lumbis obvolutam d. extenſa, ſ. virgam curvam *Tab. II. N.* 15.

Numum hunc argenteum ex muſeo conlegii Thereſiani nobilium depromtum lineari pictura deſcripſimus quidem *Cimel. Auſtr. Vindob. Tab. IX. N.* 8. ſine majore tamen aliqua inluſtratione, ut ejus operis inſtitutum erat, meminit ejus etiam muſeum Theupoli, ſed indicio vago nimis, & obſcuro in hæc verba: *Caput muliebre pectoretenus in proſpectu*)(ΠΟΛΙ, *ſic*, ΡΗΝΙΩΝ. *Vir nudus ſtans d. extenſa, ſ. baculum.* Tam de dea, quam de typo averſæ partis pleniorem, certioremque notitiam me daturum ſpero; Illam quidem nequaquam Dianam, ſed venatrici divæ ſociam cariſſimam eſſe exiſtimo, de qua canit Callimachus *Hym. in Dian.* v. 188., *&* *ſeq.*

Εξοχα δ' ἀλλάων Γορlυνίδα φίλαο νύμφαν
Ελλόφονον Βριlόμαρlιν εὔσκοπον.
Præ reliquis tamen una tibi Gortynis amata eſt
Cervineci jaculo Britomartis certa ferire.

Aptiſſime hanc nympham Polyrhenio Cretenſi oppido convenire mox ex Strabone conficiam, ubi ejus hiſtoriam ab ipſis inſulæ incolis hauſtam referente Pauſania *L. II. c.* 30. *pag.* 180. præmiſero: φασὶ δὲ οἱ Κρῆτες - - - - - Διὸς δὲ καὶ Κάρμης τῆς Ευβέλε Βριτόμαρlιν γενέϑαι· χαίρειν δὲ αὐlὴν δρόμοις lε, καὶ ϑήραις, καὶ Αρlέμιδι μάλιϛα φίλην εἶναι. Μίνων δὲ ἐραϑένlα φεύγεσα ἔῤῥιψεν ἑαυlὴν ἐς δίκlυα ἀφειμένα ἐπ' ἰχϑύων ϑήρᾳ. Ταυlὴν μὲν ϑεὸν ἐποίησεν Αρlεμις - - - - - - ἐπίκλησις δὲ οἱ - - - - - - Δίκlυννα ἐν Κρήτῃ. *Narrant Cretenſes - - - - - Jove, & Carme Eubuli filia Britomartin genitam, hanc, cum ſe totam in currendi, venandique ſtudia tradidiſſet, fuiſſe Dianæ cariſſimam. Verum cum Minoem præ amore inſequentem fugeret, in mare præcipitem in retia, piſcibus capiendis expanſa, incidiſſe, a Diana in deorum numerum relatam. - - - - - cognomen ei in Creta Dictynna.*

Quia in vulgus notum eſt, monetarios veteres patria, & domeſtica præcipue numina publico in ære cælaviſſe, ea ſcilicet, quorum ſacræ ædes ſuis in urbibus, aut agro fundatæ erant, Strabonem audiamus *L. X. pag.* 479. Πρὸς ἑσπέραν δ' ὅμοροι τοῖς Κυδωνιάlαις Πολυῤῥήνιοι· παρ' οἷς ἐϛιν τὸ τῆς Δικlύννης ἱερόν. *Ad occaſum Polyrrhenii Cydoniatarum vicini ſunt, ubi præcipuum Dictynnæ templum.* Ita interpretandum locum cenſui ob peculiarem articuli vim τὸ τῆς Δικlύννης ἱερόν, arbitror enim nos nunquam melius ſcriptoris

ris alicujus ſententiam adſequi poſſe, quam cum autorem ſecum ipſo conponimus; diverſo ſane ſtilo paullo ſuperius uſus eſt Strabo, de Tityro Cydoniæ monte agens: *ἐν ῳ ἱερόν ἐςι ὐ Δικλαῖον, ἀλλὰ Δικλυνναῖον, in quo templum eſt non Dictæum, ſed Dictynnæum.* Quam obiter hic rem perſtringit!

A piſcatoribus ſervatam nympham tenemus, idque ipſum Polyrhenios indicare voluiſſe averſa in numi parte, pene certus ſum, etenim ut nullum alicujus dei vel minimum adtributum conſpicor, ita in piſcatorem, cujus forſan etiam nomen olim celebre aut cum libris interiit, aut a ſcriptoribus prætermiſſum eſt, conveniunt omnia: panno aliquo ſubcinctus eſt, quem habitum in deorum ſignis nemo facile oſtenderit, nudus cetera, quid ad mare ſubeundum adcommodatius? manus non baculo, aut haſta eſt armata, ſua ſe curvitate piſcatoria virga nitidiſſime prodit. Id hic velim, ne quis de Britomarte velut hamo capta nugetur, ſatis perſpectum eſt nobis pictorum cælatorumque ingenium, variant inſtrumenta, obvio indicio ejus, quem repræſentare volunt, contenti.

Ceterum quidſi etiam retia in numiſmate huc pertinente oſtenderem? Luculenter altero abhinc anno Inl. comes Criſtiani in adpendicula tomo primo Haymii adjecta *pag.* 67. Magneſiorum ad Mæandrum ductam a Cretenſibus originem tam ex Strabone, quam ex labyrinthi typo, in numo Goltzii *Tab. XXI. N.* 9., item Liebei *c. V. pag.* 183. pro Mæandro habito conmonſtravit. Ut cum illis angulis male actum antehac, ita non multo melius cum ſigno nudo, atque inſtrumento ad dorſum adſtituto; Nonnius muliere

Digitized by Google

nuda contentus, altum de hoc ſilet. Cl. Liebeus in ſuo Apollinem vidit, de inſtrumento ita loquitur: *pone, ut arbitror* (en ut hæſitat) *ſymbolum Apollinis tripos cum cortina, & impoſita forte* (iterum dubitat) *lyra.*

Quemadmodum nunquam alias ſatis adſequi poteram, ubi cortinam, lyramque vidiſſet laudatus antiquarius, ita dum Polyrheniorum numum verſarem, ſtatus, geſtusque viri nudi fere ſimilem illius, qui in Magneſiorum numiſmate conparet, non ſolum in memoriam revocavit, ſed origo Cretica, Britomartis hiſtoria, ſuſpicionem movit non levem, an non in antica horum numorum pro Diana Leucophryne eadem hæc nympha, in poſtica vero piſcator eſſet cælatus, idque propterea potiſſimum, quia inſtrumentum, nunquam hucuſque nitide explicatum, mihi nullius fere alterius ſpeciem referre poſſe videbatur, quam retium conlectorum & ad haſtas, funiculis defluentibus, prominentibus etiam ſuperius duobus annulis ligneis, adligatorum.

Ut certius hac de re arbitrium ferat lector, averſam numi faciem ex muſeo meo propterea depingi curavi *Tab. II. N.* 16., quia inſtrumentum, de quo agimus, in Goltziana moneta miſerrime, neque in Gothana ita depictum reperi, ut piſcatoriæ hujus ſupellectilis formam eam, quam in meo objiceret, habebitur forſan minus adhuc tritus, qui ipſa reticuli filamenta repræſentet. Utut ſit, id adfirmare audeo, retia conpoſita potius, quam quidquam aliud hic exhiberi; neque vittæ, quas vir nudus dextra tenet, moleſtiam faceſſunt, utpote quibus Polyrrheniorum bos nunquam non eſt redimitus, niſi adcommode magis ad Britomartin ſerta ex pinu, aut lentiſco quis velit, de quibus loco indica-

dicato. Callimachus *v.* 200. *&* *ſeq.* ubi de feſto & ſacris Dictynnæ perpetratis ita canit:

τὸ δὲ ϛέφος ἤματι κείνῳ
Πίτυς, ἢ σχῖνος.
Pinus dat ſerta coronis
Lentiſcusve die ſacra.

Ut ne mea retia adrodantur, criticis quibusdam ſatisfaciendum eſſe video; horum aliqui querentur, Britomartis ſacra nulla religione per Aſiam ad Magneſiam uſque differri: aliis dolebit ob quorundam poetarum carmina, Dictynnam & Dianam inter, velut dearum duas, diſcrimen fieri. Hos primum ex monumento publico, eoque ſanctiſſimo conficiam: Fœdus aliquod Latiorum, & Oluntiorum Cretenſium civitatum nobis ſervavit Cl. Chishull *Antiquités Aſiat. pag.* 134. *&* *ſeq.* in ſubjecto ad confirmationem jurejurando Latiorum inter conjuratos deos, deasque alias ita lego: Καὶ τὰν Λατῶν, κ'Αρτεμιν, κ'Αρεα, καὶ τὰν Αφροδίταν, καὶ τὰν Ελευσίναν, καὶ τὰν Βριτόμαρτιν. *Et per Latonam, & Dianam, & Martem, Veneremque, atque Eleuſinem, & per Britomarten.* En ut cum Venere & Cerere Mars etiam Dianam a Britomarte dirimit.

Ad cultum Dyctynnæ noſtræ in Joniam etiam promotum ipſa quidem Magneſiorum origo ſatis grave argumentum ſubpeteret; Ceterum tantundem fere viæ ex Creta in Æginam inſulam eſſe exiſtimo, quam ad Jonum littora, apud Æginetas vero divinos ei honores habitos teſtatur Pauſanias *L. II. c.* 30. de Britomarte loquens *pag.* 181. Σέβουσι δὲ ȣ̓ Κρῆτες μόνον, ἀλλὰ καὶ Αιγινῆται, λέγοντες, φαίνεσθαί

εσθαί σφισιν ἐν τῇ νήσῳ τὴν Βριτόμαρτιν? ἐπίκλησις δὲ οἱ παρὰ τε Αἰγινήταις ἐστιν Ἀφαῖα. Colunt eam non Cretenſes ſolum, ſed ipſi etiam Æginetæ, quod in inſula Britomartin ſibi adparuiſſe narrant; cognomen ei apud Æginetas eſt Aphæa.

Eidem ſub aliis nominibus templum Spartæ fuiſſe conſecratum, idem confirmat *L. III. c.* 14. *pag.* 240. Ἐπανελθοῦσι δὲ ὀπίσω πρὸς τὴν Λέσχην ἐστιν Ἀρτέμιδος Ἰσώρας ἱερὸν, ἐπονομάζουσι δὲ αὐτὴν καὶ Λιμναῖαν, οὖσαν οὐκ Ἄρτεμιν, Βριτόμαρτιν δὲ τὴν Κρητῶν. *Redeuntibus vero ad Leſchen ſe objicit Dianæ Iſoræ templum, quam etiam Limnæam nominant, etſi nequaquam Diana ſit, ſed Cretenſium Britomartis.* Ex quo ut de diſcrimine utriuſque deæ iterum docemur, ita Britomartis ſacra nequaquam intra Cretam concluſa fuiſſe videmus.

Illud dolendum, ſignum ejus ligneum a Dædalo ſcalptum, atque Olunte ſervatum a Pauſania *L. II. c.* 11. *pag.* 793. indicari ſolum, non vero deſcribi, dum ait: Δαιδάλου δὲ τῶν ἔργων δύο. - - - - - - τοσαῦτα δὲ ἕτερα ξόανα ἐν Κρήτῃ Βριτόμαρτις ἐπ' Ὀλοῦντι. κ. τ. λ. *Ex Dædali operibus duo. - - - - - - - totidem lignea in Creta, Britomartis Olunte &c.* Adtamen ex iis, quæ de Sparta diſputat, ſatis conficitur, tam ſimili habitu eam repræſentatam, ut pro Diana haberi potuerit ab eo, qui patriarum cujuſque urbis religionum eſſet ignarus, eccur enim tam ſolicite monuiſſet: οὖσαν οὐκ Ἄρτεμιν, Βριτόμαρτιν δὲ τῶν Κρητῶν. *Eam nequaquam Dianam, ſed Cretenſium Britomarten eſſe.* Neque quis obpoſuerit, adcuratum ſcriptorem id adjeciſſe, quia ab ipſis Lacedæmoniis Ἄρτεμις Ἰσώρα nominabatur; Verum cedo! unde hoc ipſum evenit, niſi ab adſuetis ad Dianæ ſigna oculis,

Digitized by Google

lis, antequam Cretenſis hæc religio in Peloponeſum inveheretur.

PRIANSIENSIUM.

Neptunus ſeminudus ſtans d. tridentem)(ΠΡΙΑΝ-ΣΙΕΩΝ *Prianſienſium.* Mulier ad arborem ſellæ inſidens, d. aut paſcit ſerpentem, aut animali adſilienti blanditur *Tab. III. N.* 1.

Argenteum hoc numiſma iam quidem Frœlichii, meaque opera *Cimelii Auſtriaci Vindobon. P. I. pag.* 34. etiam *Tab. VIII. N.* 9. depictum prodiverat, verum cum, quia liber ille ob majus, quo venditur, pretium in paucorum eſt manibus, tum propterea maxime hic locum merebatur, quod a nobis litera una deceptis male lectum Priene Joniæ oppido adtributum fuit; Ad hunc lapſum præter Σ ita diſtortum, aut conpreſſum, ut pro E haberi potuerit, potiſſimum ſane contulit altum apud geographos, & hiſtoricos omnes de Prianſio Cretæ urbe ſilentium, quo factum, ut ne ſuſpicio quidem diverſæ lectionis animum ſubiverit.

Fortuna antiquaria evenit, ut aliud agens in marmor Oxonienſe olim a Cl. Humfrido Prideaux *N. LVII*, nunc adcuratius a Cl. Chishul. *Antiquités Aſiatiques pag.* 129. *& ſeqq.* editum inciderem, quo præclaro monumento, ut inter Hierapytnios, & Prianſienſes communium utriusque civitatis jurium ſocietas ſtabilita, ita Prianſii noſtræ, æternum alias ſepeliendæ memoria eſt conſervata; Prianſii noſtræ, ajo, etenim quam primum res ſinebat, ad Cæſareum muſeum

ſeum advolanti & Jonica Priene omnino evanuit, & ſincera ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ lectio non ſine indignatione de anteriore incuria, non ſolum ſe explicuit, verum ab arbore, quæ in Hierapytniorum moneta fere ſimilis, etiam confirmata fuit.

Citius quidem ad hanc notitiam forſan venire poteramus, niſi in Stephanum Byzantinum, ſeu Hermolai, a quo in conpendium contractus eſt, ſeu ſcribarum errore *pag.* 646. mendum inrepſiſſet, ubi pro ΠΡΙΑΙΣΟΣ πόλις Κρήτης laudatus Prideaux cum eruditis aliis ſuſpicati ſunt legengendum ΠΡΙΑΝΣΟΣ., quod ſane utrumque gentile promiſcue a Coſmis in marmore adhibitum (Πριανσιοι, Πριανσιευς ut in Stephano: *οἱ πολῖται Πριαισιοι, καὶ Πριαισιευς*) ſtabilire videtur. Verum etiam tum anguſtis admodum limitibus geographica hæc eruditio circumſcripta fuiſſet, Cretæ oppidum ſciremus denique, aſt maritimumne, an mediterraneum, quave in regione inſulæ ſitum etiamnum ignoraremus.

Utroque dubio nos expedit cum numus præſens, tum præſtantiſſimum marmor. Mari adſediſſe Prianſum Neptunus anticæ partis ſatis docet, qui item in muſeo Inl. Arigonii ſe ſiſtit in averſa numi *N.* 181. *Tab. XVIII.* cum epigraphe ΠΡΙΑΝ. Pro erroris ſolatio hoc numiſma conmemorare volui, quia itidem Priene adſcriptum, quem tamen ejuſdem Cretenſis oppidi eſſe (ſi lectio adcuratior, quam in conſequente ΠΡΙΑΝΕΩΝ, ubi probabilius ex iis, quæ nobis hactenus conſtant ΠΡΙΑΠΕΩΝ legendum) conjicere licet.

Eun-

Digitized by Google

Eundem ſitum non uno loco conprobat fœderis inſcriptio: Primum circa medium ita habet: Ει δέ τι κὰ ὁ Ιεραπύτνιος ὑπεχθῆται ἐς Πριάνσιον ἢ ὁ Πριανσιεὺς ἐς Ιεραπύτναν ὁτιῦν, ἀτέλεα ἔςω, καὶ ἐσαγομένῳ αὐτὰ, καὶ τῆτων τὸς καρπὸς καὶ κατὰ γᾶν, καὶ κατὰ θάλασσαν. *Seu civis Hierapytnius Prianſium, ſeu Prianſienſis Hierapytnam aliquid terra, marive deportaverit, tam res, quam inde facti fructus ab omni telonio inmunes ſunto.*

Deinde utramque urbem ſuum navale habuiſſe, ex iis, quæ continuo adjiciuntur, infero: Ων δὲ κὰ ἀποδῶται κατὰ θάλασσαν ἐώσας ἐξαγᾶς τῶν ὑπεχθεσίμων ἀποδότω τὰ τέλεα κατὰ τὸς νόμος τὸς ἑκατέρῃ κειμένος. *Si vero quid telonio obnoxium mari exportatur, pendetur id, quod alterutrius legibus cautum fuerit.* Eccur cedo! hæc exceptio? niſi licuiſſet Hierapytniis aliud telonium ſuo ex portu ſoluturis, etiam Prianſienſibus, & viciſſim inponere, redundabit enim alias illud: κατὰ τὸς νόμος τὸς ἑκατέρῃ κειμένος; Denique idem confirmat ſtipulatio de prædis diſtribuendis in hæc verba: Αι δέ τι, Θεῶν βωλομένων ἕλοιμεν ἀγαθὸν ἀπὸ τῶν πολεμίων ἢ κοινᾶι ἐξοδεύσαντες, ἢ ἰδίαι τινες παρ᾽ ἑκατέρων ἢ κατὰ γᾶν, ἢ κατὰ θάλασσαν κ. τ. λ. *Si qui publicis, privatisve auſpiciis terra, marive facta expeditione deorum beneficio aliquid ex hoſtibus ceperint, &c.* fruſtra hic item adjiceretur ἰδίαι & κατὰ θάλασσαν, niſi utraque urbs ſuis navibus, atque adeo portubus inſtructa fuiſſet.

Propinquam Hierapytnæ Prianſum, atque ita vicinam, ut agri agris eſſent contermini, ex iiſdem tabulis conficio; *Linea XVII.* lego: Εξέςω δὲ τῶι τε Ιεραπυτνίωι σπείρεν ἐν τᾶι Πριανσίαι, καὶ τῶι Πριανσιεῖ ἐν τᾶι Ιεραπυ-

τνίαι. *Tam civi Hierapytnio in agro Prianſienſium, quam Prianſienſi in Hierapytnio ſeminare fas eſto.* Quivis videt, conditionem iſthanc, niſi a conterminis civibus poni non potuiſſe.

Ut nihil dicam, tam de communi curia, de qua mentio eſt *Linea XXXIII.* Ο δὲ κόσμος ὁ Ιεραπύτνιος ἐρπέτω ἐν Πριανσίωι ἐς τὸ ἀρχεῖον, καὶ ἐν ἐκκλησίαι καθήσθω μετὰ τῶν κόσμων· ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ τῶν Πριανσιέων κόσμος κ. τ. λ. *Coſmus Hierapytniorum in curiam Prianſiorum intrandi jus habeto, atque cum eorum coſmis in concilio conſidendi: idem liceat coſmo Prianſienſium apud Hierapytnios &c.* Quam de ſacrarum epularum communione in Herochiis, aliiſque feſtis, cujus meminit *Linea XXXVII.* Qui novit, ab ejus ætatis hominibus itinera fere pedibus, nullo, aut rariſſimo vehiculorum uſu confecta, etiam hinc finitimos Hierapytniis Prianſienſes nullo negotio arguet.

Quid quod etiam ex eadem columna de cœli plaga aliquid probabile definiri poſſe mihi videatur, Prianſum ſcilicet magis in occaſum verſus Gortynam jacuiſſe, quia initio marmoris anterius cum Gortyniis fœdus, cui etiam Prianſienſes jam adceſſerant, conmemoratur: Ιεραπύτνιοι καὶ Πριανσιοι, ὁμονοοῦντες (ut Chishull ſubplet) ἐν ταῖς προυπαρχώσαις ςάλαις ἰδίαι τεθείσαις Γορτυνίοις καὶ Ιεραπυτνίοις. *Hierapytnii & Prianſii, qui jam ante fœderati erant, per columnas ſcorſim pro Gortyniis & Hierapytniis conſtitutas &c.* Novimus, inter vicinos, atque continuo aliquo terrarum tractu habitantes facilius iſtiuſmodi pacta coaleſcere, ipſam vero Hierapytnam, ut ita loquar, commodius cum Gortyna conciliabimus, ſi intermedio aliquo loco

Digitized by Google

loco Prianſum conlocamus, atque forſan nec alium nobis determinaſſet Cl. Tournefortii induſtria, ſi de hoc marmore, ſicut de Gruteriano, quo jusjurandum Hierapytniis factum continetur, aliquid notitiæ ad eundem perveniſſet.

Præclari hujus botanici memoria me de averſa numi parte explicanda admonet. Muliebre ſignum, quia nullum certum adtributum reperio, Minervam Poliadem habere non auſim, etſi id templi ſanctitas huic deæ tam Hierapytnæ, quam Prianſi conſtituti ſuaderet, teſte eodem marmore, in quo ſub finem: Στασάντων δὲ τὰς στάλας οἱ ἐνεστακότες ἑκάτεροι κόσμοι - - - - - - - - - οἱ Πριάνσιοι ἐν τῶι ἱερῶι τὰς Ἀθάνας τὰς Πολιάδος. *Pilas autem coſmi utriusque civitatis, qui pro tempore magiſtratu funguntur, erigunto - - - - - - Prianſii in æde Minervæ Poliadis.*

Ad arborem venio, ſcio fere ſimilem in Hierapytniorum numis repræſentari, ſcio, eam ab Inl. Spanhemio, & aliis palmam exiſtimatam fuiſſe, verum neſcio, quantum me Cl. Tournefortii ratiocinatio ad ſe adlicit, ut pinum, quam arborem quamcunque aliam, mavelim, ejus ſententiam Latine reddam, ita ille *Tom. I. Relat. d'un Voyage du Levant ep. 1. pag. 56.* ubi numorum Hierapytniorum Caracallæ meminiſſet, in quorum poſtica aquila fulmini inſiſtit penes arborem, quæ palmæ ſpeciem præfert, proſequitur:

Monetæ hæ mihi in memoriam refricant, ne unam quidem palmam circa Girapetram (nomen id urbis hodiernum) *provenire, atque univerſa in inſula paucas admodum coli, adeo,*

adeo ut dactyli, quibus incolæ veſcuntur, ex Africa adportentur. Spanhemius alius numiſmatis ejusdem oppidi meminit, cujus Genius capite muliebri turrito repræſentatur, in averſa vero item palma cum aquila comparet. Quod exiſtimatas has palmas adtinet, tam rudis cælaturæ ſunt (neque noſtra majorem ætatem ſpirat) *ut perbene pini haberi poſſint.*

Scio, Theophraſtum adſerere, plures palmarum ſpecies ferre Cretam, verum hic autor, qui itinera non ſuſcepit, vix aliquid, quam ex aliorum narrationibus refert. Obſervandum etiam eſt, numi de quo loquimur, oram duobus oleæ ramis cinctam: arbor hæc perfrequens eſt in agro Girapetræ: forſan monetarii hanc non ſecus ac pinum ut arbores in urbis vicinia lætius provenientes, hanc quidem in montibus, illam vero in campis, ubi magna cura rigatur, repræſentare voluerunt. His quod addam, non habeo niſi videri mihi, antiquarium, cum in plantarum regno verſatur, botanico, qui eam ipſam regionem perreptavit, in qua numus ſignatus eſt, omnia deferre debere.

SINOPENSIUM.

Caput galeatum Mileti)(- - ΝΩΠΗ. *Sinope.* Pharetra. *Tab. III. N. 2.*

Duobus in locis ad Tom. II. Haymii ſcilicet *pag. 175.* ad numum Gaziuræ *N. 114.* deinde *pag. 178.* ad numum Chabacti promiſeram ex meo Sinopenſi luculenter me oſtenſurum, inſtrumentum, quod in averſa Ponticarum monetarum videmus, nequaquam parazonium habendum eſſe,

en

Digitized by Google

en illum: ne minimum quidem in hoc ſuperiore parte ita prominet, ut, quemadmodum in aliis capuli ſpeciem præbere poſſit. Verum non ideo ſolum hic locum meretur; nullum hujus urbis cum pharetra in editis libris repererat Cl. Geſnerus, tardius aliquem, etſi non ſine mendo, nobis exhibuit Inl. Arigonius *Tab. XX. N. 196.*, aſt capite multum diverſo, alia item pharetræ forma inſignem.

Tertii promiſſi in ipſa adpendicula *pag. 49.* facti in mentem venit, ne nempe conmentarium in numum Amiſenum nimium onerarem, ea, quæ ad Ponticarum monetarum, & quidem eadem in officina percuſſarum typos, cælaturæ, & metalli diverſitatem ſpectant, hic me pertractaturum ſpopondi. Id antequam exequar, obſervationem aliquam præmitto, quæ ſponte ſubnata eſt, cum in hac pecunia verſarer. Scilicet Ponticas monetas cum pharetra, & capite galeato Mileti hactenus auctas per numum ΛΑΟΔΙΚΕ Inl. Arigonii *Tab. XIII. N. 127*, per alterum ejusdem ΜΙΛΕΣΕΙΩΝ. *Tab. XVI. N. 154.* ſi quis nempe contra meam ſententiam Miletum aliquam etiam in Ponto condere vellet;

Tertius adceſſit Inl. Pembrokii, in quo tamen pro ΤΙΜΩΛΙΣΩΝ legendum ΠΙΜΩΛΙΣΩΝ., Pimoliſorum enim tam Strabo, quam Stephanus meminit, & hic quidem in hæc verba: ΠΙΜΟΛΙΣΑ οὐδέτερον φρούριον τῆς ἐντὸς Ἅλυος Ποντικῆς. *Pimoliſa neutrum, caſtellum Ponticæ intra Halyn*; nemo vero Timoliſis cogitavit. Agmen denique claudit præſens meus Sinopenſis, ut adeo pharetra adhuc in numis ΚΟΜΑΝΩ, ΚΑΒΗΡΩΝ, & ΑΜΑΣΤΡΕ.

Digitized by Google

deſideretur, ſicut ægis cum Victoriæ ſigno in monetis Gaziurorum, Pimoliſorum, & ſi cui placet, Mileti Ponticæ. Arbitror, nemini hanc digreſſionem tædium parere potuiſſe, cum non niſi jucundis oculis rei antiquariæ fines promotos intueri ſoleamus.

Ad propoſitum redeo: Tria numorum *Ponticorum* genera multum inter ſe diverſa, & quidem iisdem in urbibus ſignatorum vidi hactenus, quæ adtentionem aliquam mereri mihi videbantur; ſunt craſſiuſculi flavi æris pharetrati (liceat vocabulo aliquo technico uti) minoris diametri: Alii majoris formæ minus tamen denſi, cælaturæ rudioris ex ære rufo flati: Denique lamellæ tenuioris, æris flavi, ſcalpturæ minus prominentis, ægidem, & Victoriam repræſentantes. Omnibus his ſuam ætatem conjectura aliqua probabili adſcribere operæ pretium *mihi* videbatur.

Eos, qui pharetram præferunt, ad antiquiores atque origini proximos jam retuli, dum de Amiſeno meo agebam. Ad hos proxime adcedere arbitror ex rufo metallo craſſiore Minerva fabrefactos; opinionis rationem reddo: vidi in gaza Cæſarea Sinopenſem numum ejus ſimilem, quem Goltzius *Tab. IV. N. 1.* depinxit, alterum Amiſenum in muſeo Cl. Ilgneri Jovis capite in antica, in poſtica aquila fulmini inſiſtente conſignatum æris, & manus ejusdem, quam paullo ante deſcripſi: aſt ſimillimi typi habemus cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΑΡΝΑΚΟΥ, ſeu ad primum, ſeu ad alterum hujus nominis, ut Frœlichius hæſitando cogitat. *Notit. Elem. Numiſ. pag. 154. & ſeq.*, referatur

Eos

Eos etiam tractavi, quos laudatus Goltzius *Tab. II. & III.* inter Amiſenos exhibet, ejusdem coloris æs, nec cæli majorem laudem dēprehendi; quia Pegaſum paſcentem in Mithradatis Eupatoris numis argenteis etiam conſpicimus, & caput galea clauſa contectum militari ejus ingenio admodum congruit, non aliam ætatem mihi redolere videntur iſtiusmodi numi, neque ab hac ſententia facile dimovebor, dum numus elegantiore artificio & ære flavo proferatur, qui nomen aut vultum Mithradatis VI. exhibeat.

Vidi, fateor, elegantiſſimi operis numum argenteum hujus regis in muſeo bonæ memoriæ D. de France (quod ab honeſtiſſima matrona vidua integerrimum conſervatur) ſed unum etiam eum vidi, qui forſan alicubi in Aſia, ubi artes magis florebant, flatus fuerit; conveniebat ſane hæc rei monetariæ negligentia in regem, qui armis fabricandis magis intentus erat, ut eum deſcribit Appianus *de bel. Mithr. pag. 188.* Αὐτὸς δ' ἀπὸ τοῦδε τοῖς στρατηγοῖς τὰ πολλὰ μεθεὶς ἐστρατολόγει καὶ ὡπλοποίει. *Ducibus poſthac pleraque permittens delectibus faciendis, cudendisque armis intentus erat.* Ex quo conſequitur numos hujus claſſis Ponticorum regum temporibus adtribuendos.

Verum quo demum tertia illa numorum claſſis, quam poſtremo Mithradati vendicabat Cl. Haymius, removebitur? cenſeo, aptiorem eis ſtatui non poſſe epocham, quam tempus, quo Pompejus Pontum conpoſuit, huc me conſtans commune Victoriæ ſignum adlicit. Non relatas victorias Mithradati eripio, aſt alternantem ejus fortunam fuiſſe, nemo eſt, qui neſciat, ſcio claſſe Græciam ſibi ad-

adjunxiſſe, ſed levitate perterritorum Græcorum magis, quam pugna edita, ob cujus felicem exitum tropæum navale erigeretur, quare numus ille Amiſenus, quem Goltzius *Tab. II.* & *III. N. 7.* exhibet cum Victoria navi inſiſtente ad Mithradatem pertinere non poteſt, verum ſignum deæ ſimillimum ſe objicit in reliquarum urbium monetis, igitur neque iſtas Eupatori adſcribere *licebit.*

Quam diverſa omnia ſint de Pompejo, recitata ex Appiano, quæ in triumpho circumlata fuit tabula, ſatis docebit, ita ille *de Bel. Mithr.* ſub finem *pag.* 253. Παρεφέρετο δέ καὶ πίναξ ἐγγεγραμμένων τῶνδε Præferebatur etiam tabula ita inſcripta: Νῆες ἑάλωσαν χαλκέμβολοι ὀκτακόσιαι. *Naves roſtratæ captæ* Iↄccc. quarum nempe, ut idem *pag.* 237. bello piratico tam præclaro conſilio, quam felice eventu intra paucos dies confecto LXXI. expugnatæ, deditæ CCCVI. Ejuscemodi ſane expeditio Victoriæ navalis ſignum in Amiſeno ære promerebatur. Proſequitur tabula: Πόλεις ἐκτίσθησαν Καππαδοκῶν ὀκτὼ, Κιλίκων δὲ, καὶ Κοίλης Συρίας εἴκοσι· Παλαιστίνης δὲ ἡ νῦν Σελευκίς. *Vrbes conditæ in Cappadocia VIII. in Cilicia, & Cœleſyria* XX, *in Palæſtina hodierna Seleucis.*

Omittitur hic fundata in Armenia Nicopolis, ad quam ipſam adluſiſſe videri poſſunt monetarii; omittuntur oppida in ipſo Ponto a Pompeio reſtaurata, ut Eupatoria, de qua Appianus *pag.* 251. Ἐν δὲ Πόντῳ Εὐπατορίαν - - - - ὁ Πομπήιος ἐγείρας, Μαγνόπολιν ἐκάλει. *In Ponto vero Eupatoriam* (quam nempe rex etſi ab ſe conditam & nominatam diruerat) *reſtauratam ab ſe Magnopolin dici voluit Pompeius.* Paullo aliter rem narrat Strabo, cui tanquam ſyn-

Digitized by Google

ſynchrono, & regionis perito plus eſt deferendum *L. XII. pag. 556.* Πομπήϊος δ' ἡμιτελῆ καταλαβὼν, προσθεὶς χώραν, καὶ οἰκήτορας Μαγνόπολιν προσεῖπεν. *Eam* (Eupatoriam) *cum media parte perfectam vidiſſet, agro, & incolis additis Magnopolis nomine condecoravit.*

Nulla mentio fit de Cabiris, de quibus idem geographus de Pythodoride loquens *pag. 557.* τὰ δὲ Κάβειρα Πομπηΐου σκευάσαντος εἰς πόλιν, καὶ καλέσαντος Διόπολιν, ἐκείνη προκατασκεύασε, καὶ Σεβαστὴν μετωνόμασε. *Cum autem Pompeius Cabira in urbis formam adornaſſet Diopolis adjecto nomine, addidit ipſa operi aliquid, atque Auguſtam cognominavit.* Beneficia hujusmodi in Ponticam regionem conlata profecto liberas deinceps urbes inducere poterant, ut ſe gratas publico aliquo monumento teſtarentur.

Sufficiente argumentorum numero armatus ad hanc meam ſententiam defendendam adceſſeram, verum video, ex poſteriore Strabonis aliud emergere, de quo prius ne cogitaveram quidem; nullum habemus Cabirorum numum cum Mileti capite, & pharetra, quem Cl. Haymius *T. II. pag. 142. edit. Ital. pag.* 175. *Latinæ*, primum profert, ad Mithradatis tempora, ut ſuperius indicavi, referri poterit, cum nihil communis typi aliarum urbium præferat, etſi regia aliqua Eupatoris ad delicias, & venationes eo in vico ſtructa fuerit; Aſt ſecundo loco illico ſe ſiſtit numus ſignis iisdem cælatus, quæ Pompeii tempore oppidalia in monetis procudiſſe ſtatuo, ita ut non ſolum ægis cum Victoria luculenter conprobet, oppidulo huic a Pompeio eam dignitatem fuiſſe adjectam, quam reliquæ ante

R jam

jam habuerant, ſed præterea ſtabiliatur, ſimilem aliis in urbibus typum ante hoc tempus non obtinuiſſe.

Ad tabellam triumphalem redeo; Βασιλεῖς ἐνικήθησαν. Τιγράνης ὁ Αρμένιος: Αρτώκης Ιβηρ· Ορίζης Αλβανὸς· Δαρεῖος Μῆδος· Αρέτας Ναυαταῖος· Αντίοχος Κομμαγηνός. *Reges victi fuerunt: Tigranes Armenius.: Artoces Iberus: Orizes Albanus: Darius Medus; Aretas Nabathæus: Antiochus Commagenus.* Quare præter Ponticas gentes conlatis feliciter ſignis, idque uno velut curſu Colchi, Albani, Iberi, Armeni, Medi, Arabes, Syri, Judæi Romanis ſubditi, imperiique fines hinc ad Euphratem, inde ad Ægyptum prolati. Cedo, an non æquiſſimum erat, tot tantasque victorias publica in pecunia celebrari ab iis, qui earum fructus primi fuerant experti, vel da imperatorem, tempus indica, quibus hæc Ponticorum oppidorum grati animi conteſtatio magis congruat.

Suſpicionem, cum de Amiſeno numo cum pharetra agebam, injeci, an non pecuniæ ſimilitudo ſuadere poſſit, Ponticas civitates, ut Ætolos, Achæos priſcis illis temporibus in corpus aliquod rei publicæ coiviſſe. Poſtremum hinc argumentum repeto; extra controverſiam eſt, metalli, molis, cælaturæ diverſitatem aliquam & magnam quidem rei publicæ converſionem indicare, typorum vero ſimilitudinem arguere, eam non aliam fuiſſe, quam qua in eundem ſtatum gentes Ponticæ reſtitutæ fuerunt, quo ante Pharnacis I oppreſſionem fruebantur; Mira vis huic monetarum ſimilitudini ineſt, liberi erant Ponti incolæ, dum conſenſione aliqua Κτίςην ſuum, pharetramque originis indicium pecuniæ conſignaverunt, quare eidem libertati redditos

Digitized by Google

ditos eſſe neceſſe eſt, dum communi conſilio in moneta formæ, metalli ejuſdem hinc ægidem, inde victoriam ferierunt. Hiſtoriam omnem everſum ibis ante, quam felicitati huic aliud a Pompejano tempus deſignabis.

Victoriæ ſignum averſa horum numorum parte cælatum me hactenus detinuit, de antica parte (licebit ita eam nominare, quæ epigraphe caret, quemadmodum in urbium aliarum numiſmatis, in quibus caput ſine characteribus repræſentatur) dicenda quoque ſunt paucula. Ut ex pharetra inſignibus monetis Minervam ſubmovi; ita etiam deæ hic eripiendam eſſe ægidem cenſeo; communis hic typus conplurium urbium communia etiam ſacra indicat, nihil ſimilis erga Palladem religionis in Ponto facile ex hiſtoricis oſtendet aliquis, id cum ex his, tum ex mythologis ſcio, Bellonam ita armatæ Minervæ ſpecie fictam fuiſſe, ut hæc cum illa facile confundi potuerit.

Teſtem Strabonem jam induco *L. XII. pag.* 557. Ὑπὲρ δὲ τῆς Φαναροίας ἐςὶ ταῖε Κόμανα τὰ ἐν Πόντῳ, ὁμώνυμα, τοῖς ἐν τῇ μεγάλῃ Καππαδοκίᾳ, καὶ τῇ ἀυτῇ θεῷ καθιερωμένη. *Supra Phanaroeam ſunt Comana Ponti, ejuſdem nominis cum iis, quæ in magna ſunt Cappadocia, eidemque deæ conſecrata.* Quæ vero illa, declarat id eodem libro, ubi de Cappadocia *pag.* 535. Στενοί εἰσιν ἀυλῶνες, ἐν οἷς ἵδρυται τὰ Κόμανα, καὶ τὸ τῆς Ενυῆς ἱερόν. *Anguſtæ ſunt convalles, in quibus ſita ſunt Comana, & Bellonæ templum.*

Quia nolo hic Strabonem tranſcribere, obiter ſolum recenſeo, quæ de Cappadocico templo commemorat, regi nempe dignitate proximum eſſe ſacerdotem, ſex hominum

millia utriusque ſexus ſacro numinis conlegio fuiſſe adſcripta, agri bonam partem ſummo, ut dicam, pontifici eſſe adtributam. De Pontico templo loco indicato paucis interjectis eadem narrat: Σχεδὸν δέ τι καὶ τῇ ἀγωγῇ παραπλησίᾳ κεχρημένα τῶν τε ἱερουργιῶν, καὶ τῶν θεοφοριῶν καὶ τῆς περὶ τοὺς ἱερέας τιμῆς· καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν πρὸ τοῦ βασιλέων. *Iisdem fere utebatur ritibus ſacrorum, divinorum inſtinctuum, & ſacerdotum veneratione: quod maxime factum eſt ſub prioribus regibus.*

Si non facile aliquid ſanctius, celebriusque alibi terrarum obſervamus, ſi nemo Haymium, antiquarios alios reprehendit, dum ab ædicula aliqua, quam duobus verbis ſolum perſtringit hiſtoricus, ad monetarum ſigna explicanda adgrediuntur, an non reprehenſionem mererer ipſe, ſi ad Palladem potius, quam ad Bellonam ægidem referrem, ubi de Ponticis urbibus diſſero? Quid quod videantur mihi monetarii earum officinarum de induſtria noluiſſe deam *ipſam* cælare, veriti, ne ab ſuarum religionum ignaro pro Minerva haberetur, dum contra ſolum ſcutum huic præſertim averſæ parti conjunctum ſatis aperte Martialem deam deſiſignaturum, arbitrabantur. Gravius huic ratiocinationi momentum inde adcedit, quod, etſi variis in urbibus, atque Athenis præcipue ſumma veneratione Minerva colebatur, nullus tamen ex hactenus editis numus ab ullo hujuſmodi populo, aut civitate ſignatus poteſt oſtendi, in quo monetæ præfecti per ſolam ægidem præſtitem ſuam divam indicaverint, quare minime ambiguum Bellonæ indicium Ponticis cælatoribus merito etiam videbatur.

SIPHNIO-

SIPHNIORUM.

Caput muliebre hedera cinctum)(ΣΙΦΝ. *Siphniorum.* Vas anſatum inter caduceum & lampadem. *Tab. III. N.* 3.

Siphniorum quatuor ſolum numos diverſi typi retulit Gesnerus, duos nempe ex Goltzio, de quibus inferius redibit mentio, totidem vero alios *Tab. LX.*, quos male Seripho fœderatæ inſulæ adtribuit, ſcilicet argenteum communi utriusque inſulæ typo chimæræ ſcilicet, & avis volantis, alterum æneum cum capite Apollinis, & ſimili ave, cujuſmodi ambos inter meos etiam condidi. Id hic miror, Nonnium, Begerum, alios in utriusque inſulæ moneta ſignatam volucrem aquilini generis exiſtimaviſſe, cum potius domeſticæ, aut ſilveſtris avis, menſarum lautitiis deſtinatæ ſpeciem præbeat; Apte hanc in rem Tournefortius, dum in noſtræ Siphni laudes *Relation d'un voyage du Levant T. I. epiſt.* 4. *pag.* 206. excurrit, cum enim narraſſet, ob cœlum ea in inſula ſaluberrimum ſenes 120 annorum ibidem videri, præter aquam & fructus, feras, aves tam cortis, quam ſilveſtres exquiſitiſſimi ſaporis, & ſingulari abundantia eſſe deprædicat.

Unicum ergo aliquid, quod hac in inſula provenit, ex incolarum pecunia hactenus novimus, plura ſingularis mei muſei numus docet; Caput hedera coronatum ſane vitium præſtantiam arguit, conprobat id eodem loco laudatus botanicus, ſcribit enim botros divini quid habere: *Les raiſins y ſont merveilleux.* In averſa medium ſe ſiſtit vaſis genus potui deſtinatum, celebrata inſulæ pocula fuiſſe

Digitized by Google

ex Stephano liquet, ubi *Σίφνιον ποτήριον poculum Siphnium* conmendat. Quid quod aliud præterea mihi innuere voluiſſe videbantur monetarii, ollas nempe fictiles, vaſaque menſis inferenda, quibus ſibi magnum & nomen, & proventum conparaverunt Siphnii.

Deſcribit hæc præter alios adcuratius Theophraſtus *L. de lapid. mihi pag.* 397. Πλείους δ' εἰσιν οἱ δεχόμενοι πάσας τὰς ἐργασίας· ἐπεὶ καὶ ἐν Σίφνῳ τοιοῦτος τίς ἐστιν ὀρυκτὸς, ὃς τρία στάδια ἀπὸ θαλάττης, στρογγύλος καὶ βολώδης, καὶ τορνεύεται, καὶ γλύφεται διὰ τὸ μαλακόν. Ὅταν δὲ πυρωθῇ, καὶ ἀποβαφῇ τῷ ἐλαίῳ, μέλας τε σφόδρα γίνεται, καὶ σκληρός· ποιοῦσι δ' ἐξ αὐτοῦ σκεύη τὰ ἐπιτραπέζια. *Multi etiam ſunt* (lapides) *qui omnia opificia in ſe admittunt; ſiquidem & in Siphno hujuſmodi lapis eſt foſſilis trium ſtadiorum ſpatio a mari, rotundus, & globoſus, qui & tornatur, & cælatur ob mollitiem, idem tamen candefactus ubi oleo delibutus fuerit, nigerrimus fit & durus: vaſa ex hoc faciunt, quibus in menſa utimur.*

Conmercio, quod adhuc hodie floret, olim fuiſſe celeberrimam, cum caduceus in præſente numiſmate indicat, tum metalla auri & argenti, quibus olim Siphnii abundabant, teſte Herodoto *L. III. pag.* 182. τὰ δὲ τῶν Σιφνίων πρήγματα ἤκμαζε τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ νησιωτέων μάλιστα ἐπλούτεον, ἅτε ἐόντων αὐτοῖσι ἐν τῇ νήσῳ χρυσέων, καὶ ἀργυρέων οὔτω, ὥστε ἀπὸ τῆς δεκάτης τῶν γινομένων αὐτόθεν χρημάτων θησαυρὸς ἐν Δελφοῖσι ἀνακέεται ὅμοια τοῖσι πλουσιωτάτοισι. *Vigebant autem eo tempore* (Olymp. LXII) *Siphniorum res, erantque inter inſulares maxime locupletes, quippe quibus in inſula erant auri, & argenti metalla, unde tan-*

Digitized by Google

tantum pecuniæ proveniebat, ut ex ejus decimis Delphis theſaurus reponeretur ditiſſimo cuique par.

Has ipſas fodinarum divitias, etiamſi hiſtoricis careremus, numiſmata ſaltem eo ſub dubio conprobarent, alterutra in inſula, Seripho nempe, aut Siphno, ditiſſima fuiſſe metalla, ſi enim harum numi cum aliis archipelagi inſulis conparentur, paucos etiam ampliſſima muſea drachmales tibi offerent, tetradrachmos vero pauciſſimarum reperies; ubi Seriphiorum non minores ii ſolum, ſed etiam hujus moduli conplures majoribus in numophilaciis adſervantur, qua in inſula ſcopulis horrente de Seripho loquor, cum nec hodie præter ferri & magnetis fodinas reperiantur aliæ, neceſſe ſane erat, ab Siphno peculiari fœdere juncta argenti laminas illuc deportatas fuiſſe. Profecto aliquando etiam Siphnii ejus ponderis numi producentur, cujuſmodi eum eſſe ſuſpicor, quem ex muſeo Granelliano *Notit. Element. Numiſ. Tab. II. N.* 19. Frœlichius ediderat. Hac in divitiarum abundantia nemo iam mirabitur, duas has inſulas ſolas cum Melo aquam & terram Perſis petentibus negaviſſe, teſte Herodoto *L. VIII. pag.* 473.

Ad conmercii frequentiam non parum etiam contulerunt quinque portus, quos laudatus Tournefortius indicat, quorum unum præcipue a ſingulari opportunitate multum conmendat Dapperus *pag.* 365. Nec contenta erat his naturæ beneficiis incolarum induſtria, pharum horum alicui ad nocturnæ navigationis ſecuritatem adſtitutam fuiſſe, cum numus apud Goltzium *Tab. XIX. N.* 5, tum nomen *Faro*, quod cuidam etiam hodie inhæret, manifeſtat.

Opus

Opus hoc cum univerſim, tum inter cyclades Syphno ſingulare fuiſſe, facile inde conficio, quod ejuſmodi turrim in nulla harum inſularum moneta, & rariſſime in aliarum urbium ære, ſi Ægyptiorum numos, qui ſuam perpetuo jactabant, excipias, videre me conmemini; ſubſtructionis magnificentiam ſatis oſtentat inpoſita ſtatua, atque monetariorum conſilium, quo ejus in publica pecunia *repræſentationem* ad inſulæ gloriam multum facturam cenſuerunt.

Quod præclaræ huic moli in Goltziano numo deeſt, ex meo ſubpletur, in quo e regione caducei lampas ab aliis diverſa, atque ad hunc uſum adcommodata conſpicitur, ut adeo, quod initio præfabar, unicus hic numus plura, quam ſeorſim reliqui, nos doceat, vitium nempe nobilitatem, vaſorum præſtantiam, portus nocturnam ſecuritatem, denique conmercii ſtatum florentiſſimum.

SOLOPOLITARUM.

Caput Pompeii nudum ſine epigraphe)(ΣΟΛΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Solopolitarum.* Victoria gradiens d. lauream, ſ. ramum longiorem in humerum reclinatum. *Tab. III. N.* 4.

Maxime ſingulare hoc, atque inconparabilis raritatis Inl. numiſma Marchionis Savorgnani, patroni mei nunquam ſatis laudandi muſeum, tanquam ſummi pretii gemma exornat. Nihil exaggero, ſeu anticam, poſticamve partem, ſeu epigraphen, typumve inſpicimus; Unicum Pompeii numum non ſine raritatis præfatione nobis in fronte imperialium Græcorum Cl. Vaillantius exhibuit, aſt adjecto ad caput

put clariſſimi imperatoris nomine præterea, tam ſigno, quam epigraphe a noſtro diverſum, etenim, quamvis in eadem urbe eſt percuſſus, mutatum iam ab reſtauratore Solorum nomen ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ præfert.

Duos deinde alios theſaurus Theupoli ſubpeditavit, cum eadem inſcriptione utrumque *T. II. pag.* 829. horum alter urbis epigraphen in antica repræſentat, alter caput idem anepigraphum, ut præſens, ſimilemque in poſtica Victoriam cælatam habet, qualem item nobiliſſimus XVir poſſidet. Rariſſimam hanc trigam ſuperat noſter, qui cum capite τȣ̃ Κτιςȣ̃ antiquius urbis nomen inſcriptum oſtentat, quod nec ego, nec alter in veteri moneta ſe legere meminerit, ut adeo moneta hæc ſicut tempore alias præcedit, ita vel tacentibus hiſtoricis, nos doceret, quod oppidum Pompeii M. nomine inſignitum fuerit.

Neque hic omnem raritatis præſtantiam explicui; ſicut unicum iam tenemus hujus Ciliciæ oppidi numum COΛO-ΠΟΛЄΙΤΩΝ inſcriptum, ita unum etiam ſolum cum primo ΣΟΛΕΩΝ nomine in catalogo le Bret adnotatum reperio, ex quo ſane liquet, rariſſimas has monetas habendas, atque antiquarios omnes Inluſtriſſimo poſſeſſori plurimum obſtrictos eſſe oportere, qui aliud præterea beneficium adjecit, dum Pompeii effigiem quam adcuratiſſime ex numo depingi fecit, ut ex hoc ectypo Vaillantii pictura corrigatur, quæ celeberrimo huic imperatori alia vultus lineàmenta adfinxit.

Alia duo in rem meam commoda ex averſæ typo etiam enaſcuntur. Stabiliveram ſuperius, ubi de poſtremis

Ponticis agebam, eos numos, qui Victoriam cum palmâ gradientem in poſtica, in antica vero ægidem exhibent, ad Pompeii expeditionem referendos: ſuſpicabar etiam monetarios ad Nicopolin Armeniacam reſpexiſſe. Utraque mea conjectio ſigno poſticæ hujus numi confirmari videtur: ſimillimam habemus Victoriam, & quod ad rem *facit* plurimum, mitra Armeniaca tectam.

Sicut gemmarum, ita numorum cælatores ex ſtatuis fere, aliisve publicis monumentis exempla ſibi ſumſiſſe certiſſimum faciunt numi, quibus reſtitutio operum, quæ vitium fecerant, eſt inſcripta epigraphe REST. olim peſſime ad reſtitutas ſolas chalybeas formas monetarum contracta, atqui ne extra Pompeianam familiam evager, ſatis id conprobat denarius, qui Scyllam ita omnino exhibet, ut in *Anthol. L. IV. c:* 11. a poeta ejus ſtatua deſcribitur:

Εἰ μὴ χαλκὸς ἔλαμπεν, ἐμήνυε δ᾽ ἔργον ἄνακτος
Ἐμμέναι Ηφαίςυ, δεδαλέοιο τέχνης,
Αὐτὴν ἄντις Σκύλλαν οἴσατο τηλόθε λεύσσων
Ἑςαμεν, ἐκ πόντυ γαῖαν ἀμειψαμένην
Τόσσον ἐπισσείει, τόσσον κότον ἀντία φαίνει
Οἷον ἀπὸ πελάγευς συνκλονέουσα νέας.

Ænea ni facies, fulvo ſplendore, creatum
Mulciberi ingenio proderet artis opus.
Eminus adſpiciens jurabit gurgite Scyllam
Adſtare, & terram præpoſuiſſe mari.
Tam vibrat advorſum, tam preſſas triplicat iras,
Quam dum tecta mari quaſſat iniqua rates.

Per-

Perſpecta hac Romanorum in ſtatuas, quibus ad poſteros res præclare geſtæ tranſmitterentur, propenſione, & cælatorum imitatione, quis facile negaverit, eandem, quæ Nicopoli in Armenia conſtituta fuerat, Victoriam urbes Ponticas ſuo in ære conſignaviſſe: Solopolin vero majoris adulationis cauſa Armeniacum etiam capitis cultum adjeciſſe. Pompeji effigies in antica majorem in modum hæc omnia conſtabilit, neque enim dubitari poteſt, eos ad quorum oppidum etiam tanti imperatoris nomen tranſivit, aliud aliquod ſignum, in averſa cuſuros fuiſſe, quam quod, conditori ſuo placere quam maxime ſciebant.

De occaſione mutati urbis nominis pauca adjicere placet; Oppidum hoc maritimum ultra Latmi oſtia ab Achæis & Lindiis Rhodiorum in campeſtri Cilicia ſtructum adfirmat Strabo *L. XIV. pag.* 671, priſcis temporibus floruiſſe admodum ex Arriano de exped. Alex. *L. II. pag.* 68. confici poteſt, ubi: *Επέβαλον αὐτοῖς τάλαντα διακόσια ἀργυρίȣ ζημίαν, ὅτι πρὸς τȣ̀ς Πέρσας μᾶλλον τὸν νȣ̃ν εἶχον. Ducenta argenti talenta* (Alexander) *eis imperaverat, quod propenſiore in Perſas animo fuerunt.*

Ad ſolitudinem redactam fuiſſe a Tigrane prodit Dio Caſſius *L. XXXVI. pag.* 25. ubi tamen illud: *ἐπορθῆτο ὑπὸ τȣ̃ Τιγράνȣ* nolim de urbis everſione accipi, mitiganda eſt Dionis ſententia per Strabonis: *λειπανδρήσασαν*, ita enim hic: *εἰς ταύτην λειπανδρήσασαν Πομπήϊος Μάγνος κατῴκισε τȣ̀ς περιγινομένȣς τῶν πειρατῶν. In hanc hominum frequentia deſtitutam Pompejus Magnus piratarum reliquos tranſtulit.* Ut adeo, quod a Tigrane perpeſſum fuerat oppidum, aut de agrorum vaſtatione, dilapſisque ob famem incolis, aut de abſtractis vel ad mili-

tiam, vel in ſervitutem civibus intelligendum ſit, neque enim alias de ſua ætate loquens idem geographus urbem ἀξιόλογον *inluſtrem*, *dignam*, *cujus mentio fiat*, nominare poterat. Hoc in ſplendore eam ſe ad Treboniani Galli tempora conſervaſſe, numiſmata Impp. capitibus inſignia teſtantur; ſuperſedeo ulteriore ejus hiſtoria.

SYRACUSANORUM.

Caput Palladis galeatum.)(ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ - - MI in area numi XIIII. cum tribus punctis. *Tab. III. N. 5.*

Si Solopolitarum moneta antiquariorum oculos perſtrinxit, majorem etiam admirationem obolus hic argenteus muſei Ilgneriani ſingularis præſtantiſſima raritate ſua excitare debet, etenim, quamvis Cl. Paruta magnam argenteæ monetæ vim in ærarium Syracuſanum ita conraſit, ut Corinthum etiam, ductasque inde colonias depeculatus fuerit, hoc tamen, ſimileve numiſmation omnem non ſolum ejus induſtriam effugit, verum nec ab ullo alio hactenus in lucem eſt productum.

Ut primum in manus venit, fateor me miratum eſſe plurimum inſcriptioni Græcæ Latinos numeros adjectos, pro his enim habere debebam, cum ex forma primi elementi, quod in ipſa cælatura non tam X, quam duo ſibi converſis apicibus inpoſiti quinarii obſervantur, neque enim aliunde apud Romanos numerales notæ, quam ex conbinatione linearum natæ ſunt, ut in *Notit. Element. numis. pag.* 13. iterum monuit Frœlichius meus; tum quia, ſi X

Græ-

Græcum foret, aliud nihil hic denotare poſſet, quam χαλκȢς, numos nempe æneos minores, verum quid tum conſequens ternarius? cum leviore conputatione obolus argenteus, qualem ſe numulus ſua magnitudine prodit, ſex æneos ſeu χάλκȢς apud Athenienſes, aliorum opinione decem valuerit.

Non minorem mihi crucem fixit poſtremum MI., præſertim cum in ſpatio intermedio ne veſtigium literæ, etiam ſcalpello eraſæ conpareat in numo cetera integerrimo. Ecquid tandem ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ in recto? Nodum hunc Græcum, de cujus ſolutione deſperabam libenter me doctioribus aut felicioribus ſecandum relinquo; lucem ſane aliquam adfundere poſſet Excell. Joannis Carafæ ducis Nojæ XII millium numorum magnæ Græciæ, & Siciliæ, patriorum nempe dives muſeum, id quod nuper in ſchediaſmate de inſcriptione Græca Heracleæ reperta ab amiciſſimo mihi P. de Simone tranſmiſſo cum voluptate legi, cupioque quam maxime, ut votum a Cl. Nicolao Ignarra, præclari hujus commentarioli autore, *pag. 7.* conceptum quantocyus inpleatur.

Græca hac ſarcina in alienos humeros reclinata, quia ex mole obolum eſſe non dubitavi, ad libram antiquariam, ex qua aliquod præſidium ſperabam, confugi, expertusque ſum, numismation 12 omnino grana æquare, hinc obſervavi per numerum XIII pondus indicari non poſſe, niſi forſan aliquando Syracuſis pondera variaſſent. Sciebam ex Heſychio, & aliis, obolum Siculis etiam λιτραν dictum, ita enim ille: Λίτρα, ὀβολὸς· οἱ δὲ νόμισμα παρὰ Σικελοῖς, οἱ δὲ ἐπὶ σαθμῷ Quare conſulendum arbitrabar

de litris Siculis Cl. Sperlingium *de numis non cuſis*, verum bilem potius, quam quid in rem præſentem utile inde conlegi, ita contra cuſam minutam argenteam pecuniam, quam tamen præ manibus habebam, eſt obfirmatus, unum, alterumve exemplum ſubpedito:

Poſtquam *c. XXXIII. pag.* 229 *&* *ſeq.* de libella, & ſembella Romanorum diſſeruiſſet, ita concludit: *qui quales numi dicendi ſint, in argento puro vix comprehendi poteſt, tam exigui ſunt, & vix palpabiles, ita ut eos cuſos unquam Romanis in argento mihi nequaquam perſuadere poſſim, niſi κέρματα eos ſtatuamus & λεπτὰ non cuſa, nec ſignata, qualia quoque λίτραν, & ἡμίλιτρον Siculorum in argento credo fuiſſe, cujus rei magnum mihi argumentum eſt, quod nusquam hodie tam minuti argentei Romanorum, aut Siculorum reperiantur omnino.*

Et paullo poſt pagina verſa: *Hinc eſt, quod nec ſeſtertii argentei ſuperſint ulli - - - - - adeo ut poſt drachmas & ἡμίδραχμον apud Græcos, denarios & quinarios apud Romanos, reliquos numos, ipſosque obolos in argento, quotquot fuerint, κέρματα & non obolos cuſos ſtatuere malim, quam plane negare, argenteos iſtos nulla ratione fuiſſe, qui toties in ſcriptoribus adducuntur, ut argenteos fuiſſe ſatis appareat, ſed tales ut nec operæ pretium fuerit in illis cudendis, nec facile cudi potuerint, aut tractari, niſi ſub forcipe, & libra, non vero ſub cuneo, & malleo.*

Duplicis erroris redarguendus eſt Sperlingius: Seſtertios minime *κέρματα* forficem paſſa fuiſſe, docent ſuperſtites cum noto illorum valoris charactere IIS, exhibetur

talis

talis *Muſ. Pembrok.* *P. III. Tab.* 18. *N.* 13. ſimilis refertur a Cl. Morellio *T. I. inter incerta familiarum Tab. IV. N.* 12. Cuſos, nempe *ſub cuneo & malleo*, ut ait Sperlingius, fuiſſe minutos iſtiusmodi numos, ſi quis de Syracuſano dubitaret, arbitrareturque, Siculos monetarios jam cochleis, & cylindris (quod quidem ne Sperlingius vult) quemadmodum nos ad minores monetas ſignandas uſos, liquidiſſime docet muſeo meo ab Inl. Marchione Savorgnano dono datus 11 fere granorum obolus Rheginus (huic enim præ alia urbi propter obverſum leonis caput eum tribuendum, cenſeo) *Tab. III. N.* 6 repræſentatus, ſiquidem quadratum averſæ parti incuſum ſatis mallei ictum probat illis, qui tentamen palæographiæ numiſmaticæ Cl. Barthelemy *Mem. de l'Academie des inſcript. T. XXIV. pag.* 30. legerunt.

Longius etiam veterum induſtriam patientiam in minima argentea pecunia feriunda progreſſam duobus exemplis ex numophylacio conlegii Thereſiani nobilium, quod meæ cuſtodiæ ſubeſt, conprobo: adeſt hic præter duos obolos argenteos Athenienſes granorum 10, hemiobolus eodem ex metallo flatus, qui, etſi exacte 5 grana adpendit, nec Palladis capite, nec bubonis ſigno in averſa deſtituitur. Illud admirationi eſſe poteſt, curam eorum, qui officinis monetariis, & ærario præerant, ut auctum aut inminutum pecuniæ valorem in æneis numis majoribus per notam incuſam, *contre-marque*, declarabant, ad ipſa, de quibus loquimur numiſmatia ſe porrexiſſe; teſtatur id ex eadem gaza obolus Siculus a Selinuntiis percuſſus granorum 10 depictus *N.* 7, qui parvulum incuſum caput exhibet, ex quo ipſo docemur, illis nequaquam artem, aut voluntatem de

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe ea typaria cælandi, quæ hemiobolis & minoribus etiam bracteolis malleo feriundis ſervirent.

Tenemus ergo obolos argenteos Syracuſanum, & Selinuntinum eosque ſignatos, Siculis λίτρας; In notas jam Syracuſani inquirendum. Commode nobis Pollux fragmentum Ariſtotelis de re publica Agrigentinorum adſervavit L. IX. c. 6. *pag.* 1057 *edit. Amſt.* ubi: Ἐν Ακραγαντίνων πολιτείᾳ φησὶν Ἀριςοτέλης, ζημιῶσθαί τινα τριάκοντα λίτρας· δύνασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν Αἰγιναῖον. *In Agrigentinorum re publica, ait Ariſtoteles, aliquem mulctari triginta litris, litram vero valere obolum Æginæum.* Videnda jam proportio inter obolum Æginæum & Atticum, quod ex valore drachmæ Æginææ optime conficietur, hanc enim ut Atticam ſex obolis conſtitiſſe notum eſt. Subcurrit rurſus Pollux *Ibidem pag.* 1049. Τὴν μὲν Αἰγιναίαν δραχμὴν μείζω τῆς Ἀττικῆς, δεκὰ γὰρ ὀβολὲς Ἀττικὲς ἴσχυσεν, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλεν. *Æginæam drachmam Attica fuiſſe majorem, decem enim adpendebat obolos Atticos, quam Athenienſes drachmam craſſam nominabant.*

Ex quo conſequitur, obolum Atticum ad Æginæum fuiſſe in ratione 10 ad 6: Ex eodem vero Polluce *pag.* 1034 obolum communem, quales ſex item drachma Attica habebat, conſtat valuiſſe æreos numos octo: Ο μέντοι ὀβολὸς ὀκτὼ χαλκὲς εἶχε. Quare ob proportionem jam indicatam Æginæi oboli argentei pretium æquabunt chalci ſeu numi ærei XIII cum triente. Atque hoc ipſum ab Romanis jam Syracuſarum dominis ſuis numeralibus characteribus Græcæ inſcriptioni adjunctis indicatum fuiſſe mihi eſt perſuaſiſſimum ita quidem, ut per tria puncta, facta forſan

modica

modica valoris diminutione, quadrantem ſignificaverint etiam.

Neque enim quis exiſtimaverit, monetarios Latinos granorum numerum indicare voluiſſe, cum quod numus integerrimus granum amiſiſſe non poterat, & præterea ſine ſignificatione manerent tria illa puncta, tum quia Romani in moneta argentea nunquam pondus, ſed in omnibus valorem reſpectu æneæ ſignaverunt. Confirmatur præterea ex hac præclariſſima litra, non ſolos Agrigentinos, ſed Syracuſanos etiam drachma παχεία Æginetarum fuiſſe uſos.

TAPHIÆORUM.

Caput muliebre.)(ΤΑΦΙΑΙ. *Taphiæorum.* Clava, cui caduceus inpoſitus, intra quadratum, ut conjicio, cujus unum latus ramus facit, infra dubiis nonnihil literis ΔΤΟ. *Tab. II'. N.* 8.

Taphiam, Taphum aut Taphiuſam, omnia enim hæc nomina habuerat, inſulam eſſe Teleboidum ad Leucadem ſcivimus ex geographis, neque tamen ullam ejus monetam proferre potuit Geſnerus, abeſt item ex conlectione Inl. Arigonii, magis fortuna meo muſeo benigna fuit, ex quo minoris hunc formæ numulum cælaturæ perelegantis profero. Ad utriusque partis explicationem materiam mihi ſubgerit Apollodorus *Bibl. L. II. c.* 4. *pag.* 89. ubi dum Perſei genealogiam perſecutus, Meſtoris etiam inter filios meminiſſet, ſubjicit: Ἐκ δὲ Μήστορος, καὶ Λυσιδίκης τῆς Πέλοπος Ἱπποθόη· ταύτην ἁρπάσας Ποσειδῶν, καὶ κομίσας ἐπὶ τὰς

 Ἐχι-

Ἐχινάδας νήσους, μίγνυται, καὶ γεννᾷ Τάφιον, ὃς ᾤκισε Τάφον, καὶ τοὺς λαοὺς Τηλεβόας ἐκάλεσεν, ὅτι τηλοῦ τῆς πατρίδος ἔβη. *Ex Meſtore, ac Lyſidice Pelopis filia Hippothoe nata eſt: Hanc Neptunus cum rapuiſſet, deportatæ in Echinadas conſuevit, atque ex ea Taphium genuit, qui in Taphum colonia ducta, incolas Teleboas, quod procul a patria iverit, nominavit.*

Videtur ex hac narratione Taphius nomen inſulæ impoſuiſſe, an vero quoad omnia fides adhibenda Apollodoro, hæſito, cum in Strabone *L. X. pag.* 459. legam: Αἱ δὲ τῶν Ταφίων νῆσοι, πρότερον δὲ Τηλεβόων, ὧν ἦν καὶ ἡ Τάφος. κ. τ. λ. *Taphiorum vero inſulæ, ante dictæ Teleboarum, quarum una fuit etiam Taphos* &c. præcipue, quia idem *pag.* 461 ſcribit: Φασὶ γὰρ τοὺς Ταφίουςτε, καὶ Τηλεβόας λεγομένους οἰκεῖν τὴν Ἀκαρνανίαν πρότερον. *Ajunt, Taphios & Teleboas dictos principio Acarnaniam tenuiſſe.* Et ſcholiaſtes Apollonii *ad L. I. v.* 747. ἡ Τάφος νῆσος ἐστι μία τῶν Ἐχινάδων, ἣν ᾤκισαν Τηλεβόαι, οἱ πρότεροι τὴν Ἀκαρνανίαν οἰκοῦντες. *Taphos una Echinadum, quam Teleboæ incoluerunt, qui prius Acarnaniam habitaverant.*

Si ex Acarnania ſuos colonos adcerſivit Taphius, profecto nequaquam τηλοῦ a patria receſſerunt, atque ſi ante Teleboarum inſulæ nominabantur, neque adcerſere hos potuit; nodum hunc extricet, qui volet, mihi id non eſt otii, contentus ſum, me in Apollodoro Hippothoen nympham Taphii matrem reperiſſe, cui elegans anticæ partis caput probabiliter adſcribam. Ad epigraphen & ſigna in poſtica parte cælata propero.

Quod

Digitized by Google

Quod illam concernit etſi fatear, inferiore parte numi aliqua literarum veſtigia deprehendi, atque forſan ΔΥΟ, quod initium nominis magiſtratus erit, ſolius Plinii, & Stephani ſcribendi ratio optime cum vetere meo monumento conſentit, etenim ille *L. IV. c. 19. pag.* 207 *& ſeq. Inter Leucadem autem & Achaiam permultæ, quarum Teleboides, eædemque Taphiæ ab incolis ante Leucadiam adpellantur, Taphias, Oxiæ, Prinoeſſa &c.* Stephanus vero: ἔςι καὶ νῆσος ἀπὸ τριάκοντα ςαδίων Ταφίας καλυμένη. *Eſt etiam inſula triginta ſtadiis* (a Cephallenia) *diſtans Taphias nominata.*

Clava & caduceus nullo quidem negotio ad cultum religioſum Herculis, & Mercurii adplicaretur, niſi aptius aliquid, quia Taphios magis adtinens, indicatus ſupra Apollodorus ſubpeditaret *L. eodem pag.* 90 *& ſeq.* Ηλεκτρύονος δὲ βασιλεύοντος Μυκηνῶν μετὰ Ταφίυ (arbitror Τάφιον, quippe Pterelaus filius Taphii) οἱ Πτερελάυ παῖδες ἐλθόντες τὴν Μήςορος ἀρχὴν τῷ μητροπάτορι ἀπήτυν, καὶ μὴ προσέχοντος Ηλεκτρούνος ἀπήλαυνον τὰς βόας. *Ad Electryonem autem Mycenis poſt Taphium imperantem Pterelai filii profecti, ab eodem Meſtoris regnum jure avi materni repetebant, hic cum eorum poſtulata negligeret, illi ejus boves abegerunt.*

Narrat deinde prælium inter Electryonis & Pterelai filios commiſſum, in quo omnes ex utraque parte interierunt, præter Electryonis filium Licymnium, quod admodum puer erat, & Everem Pterelai, qui naves adſervabat, Taphios, qui fuga evaſerant, vela feciſſe, atque abactas ſecum boves Polyxeno Elienſium regi conmendaſſe; Amphitryonem vero redemtarum a Polyxeno vaccarum reductionem Mycenas ſuſcepiſſe, hoc in actu ſubjicit: μίας ἐκθορύσης Αμ-

Digitized by Google

φιτρύων ἐπ' αὐτὴν ἀφῆκεν ὃ μετὰ χεῖρας εἶχε ῥόπαλον, τὸ δὲ ἀποκρουσθὲν ἀπὸ τῶν κεράτων εἰς τὴν Ἠλεκτρύονος κεφαλὴν ἐλθὸν ἀπέκτεινεν αὐτόν. Earum una cum aufugeret, in ipſam Amphitruo, quam tum manibus forte gerebat, clavam jecit, hac vero a vaccæ cornibus repulſa, atque in Electryonis caput inpacta ipſum occidit.

Si odium illud, quod perduraſſe has inter familias etiam deinceps, conmemorat Apollodorus, perpendimus, exiſtimo, Taphiæos potuiſſe ex vetuſta ſua hiſtoria ipſum cædis inſtrumentum, quod velut per prodigium ultoribus bonæ cauſæ, diis ſerviebat, ſuo in ære ſignare, qui Pauſaniam, alios de ſimili numinum vindicta legerit, conjectionem meam inprobare vix poterit, ramus adjectus profecto aliquid commodi de hoſte relati indicat; vereor, ne ingenium monetariorum Taphiæ nimis expeditum, politumque effingam, ſi ſuſpicionem injicio, ob primam expeditionem, qua vaccæ abactæ, ad Mercurium, qui boves Apollini aliquando ſubripuerat, eos reſpexiſſe, velut hujus numinis præſidio res tam feliciter peracta fuiſſet, ut caduceo in ære ſignato, ipſum hoc beneficium in moneta cælatum voluerint.

TEGEATARUM.

Editi primi Tegeatarum numi poſt illum Haymii cum Alei regis capite gloriam Inl. C. Criſtiani ſuperiore anno abſtulerat, neque minus tamen felicem me reputo, qui numero vincam, etenim vix intellexerat Inl. Savorgnanus, me eodem autumno, quo tomus primus prodiverat, manum alteri tomo Haymii admoviſſe, miſſo gemini, ſed integerrimi

Digitized by Google

rimi numi ectypo monuit, Haymium emendarem ex ſuo, qui nempe non viderat, a puella vas ſublime teneri, tripodem item monogrammati ſubſtituerat, denique Martis manui galeam inſeruerat; etſi hæc Viri eruditiſſimi ſollicitudo tardius mihi innotuerat, labore nempe eo jam peracto, ut ad Alei numum *pag.* 3. *Not.* 1. indicavi, jucundiſſima tamen non ſolum fuit, ſed utiliſſima præterea, quippe præter illud ectypon ſex alia ſubmiſerat, quorum quinque ordine hic ſubjiciam.

I. Caput galeatum juvenile.)(ΤΕΓΕΑΤΑΝ. *Tegeatarum.* Cerva Telephum lactans, in area eadem duo monogrammata, quæ in Alei regis numo. *Tab. III. N.* 9.

II. Caput galeatum matronæ.)(Epigraphe & monogrammata eadem. Minerva galeata ſtans ſ. haſtam, d. aut protrahit aut inponit aliquid vaſi a puella adſtante ſublato. *Tab. III. N.* 10.

III. Caput laureatum Apollinis, aut Dianæ.)(ΤΕΓΕ. typus ſimilis, in area ΙΕ. *Tab. III. N. 11.*

IV. Caput galeatum matronæ.)(ΤΕΓΕΑ. Mars nudus gradiens d. enſem ſ. ſcutum, intra pedes ſolitum Arcadum monogramma. *Tab. III. N. 12.*

V. Caput muliebre.)(Epigraphe eadem. Minerva gradiens d. elata, ſ. ſcutum, deſluente, ut videtur, utrinque ex humeris ſtrophio. In area duo monogrammata alia. *Tab. III. N. 13.*

Etſi ſola tot ejuſdem urbis anecdotorum numorum recenſione magnam jam apud antiquarios gratiam me conlecturum ſciam, paucula tamen, ubi opus fuerit, atque res tulerit, fere ad ſingulos adnotabo. Primi partem averſam jam ita pertractavit Inl. C. Criſtiani, ut, quod addam, non habeam, niſi obſervatione digna eſſe ambo monogrammata, quorum ſuperius primas nominis *Arca*dici literas connexas habet; inferius illi ſimile, quod in *Mi*leſiorum monetis obcurrit, quid hic ſibi velit, adhibita diuturna meditatione, inquiſitioneque, fateor me adſequi non potuiſſe. Caput illud Telepho jam adultiori, quam Cereri Corythenſi adtribuere malo.

De capite galeato numi II. inferius ad numiſma IV, in quo ſimile eſt cælatum, diſſeram. Ad partem averſam, in qua eadem monogrammata areæ inſident, illud *obſervo*, videri omnino ſignum Aleæ Minervæ huic ſimile fuiſſe, cum in quatuor numis invariatum repræſentetur, atque in eo pene ſum, ut exiſtimem, ipſam puellæ ſtatuam ita adſtitutam fuiſſe, ut per hoc velut adtributum Aleæ effigies ab aliis, diverſique cognominis Minervæ ſignis dignoſceretur. Video, mihi reponi poſſe, Pauſaniam *L. VIII. c. 47. pag. 695.* aram deæ a Melampode erectam minute deſcribere, meminiſſe Rheæ & Oenoes nymphæ parvulum Jovem tenentium, aliarumque ſtatuarum ipſa in ara conſtitutarum, nihil vero de noſtra puella σκευοφόρῳ, contra vero eodem loco ſcribere: Ἱερᾶται δὲ τῇ Ἀθηνᾷ παῖς χρόνον οὐκ οἶδα ὅσοντινα, πρὶν δὲ ἡβάσκειν καὶ πρόσω, τὴν ἱεροσύνην. *Sacerdotio deæ fungitur puella, quam diu vero, neſcio, id teneo, eam, ubi pubertatem adtigit, ſe abdicare.*

Præ-

Præſtabit ergo, inquiet aliquis, hanc icunculam cum Haymio pro ipſa puella, quæ tum ſacris faciundis præfecta erat, haberi. Neque ego ſacerdotem hic deſignari negavero, vivam illam, quæ tum, cum numus flaretur, munere fungebatur, repræſentari, id inficior. In Alei numo puella vas ſublime gerit, velut aliquid a Pallade acceptura, in tribus, quorum ectypa intueor, atque in eo, quem *N. 10.* exhibeo, dea aliquid aut protrahit, aut quod veri ſimilius, vaſi inponit, quivis videt, ejusmodi actum inanimi ſtatuæ nequaquam convenire.

Quare exiſtimo, priſcam aliquam hic ſubeſſe fabulam, qua diditum erat, deam primæ forſan ſacerdoti ſe ita ſpectabilem dediſſe, atque aliquid ad ſacra pertinens eidem largitam eſſe, quod Minervæ beneficium ipſo in monumento conſervatum fuerit. Pauſaniæ ſilentium facile concilio, dearum nempe ſolum ſtatuas aræ inpoſitarum enumerare voluit, fruſtra arbitratus de icuncula ſacerdotis mentionem facere, quam Aleæ ſemper adſtitutam paſſim omnes noverant, eo omnino modo, quo quis ſignum equeſtre ſancti Martini, Poſonii ex ære poſitum, conmemorans, de ſubjecto mendico taceret.

Ad numum III. nihil peculiare, quod adnotem, habeo, niſi adeſſe depictum numum alium, hujus in poſtica ſimilem, in cujus area Λ eo loco, quo in præſente IE, conparet; fateor, Λ quidem Lacedæmonios aliquamdiu Tegeæ dominos indicare videri potuiſſe, niſi moneta præſens IE exhiberet. Mea ex ſententia præſtabit interim ignorantiam fateri, quam hæc elementa vel ad numerorum characteres, vel ad nominum magiſtratu functorum

rum

rum initia referre, non hoc, quia hæc nuſpiam una litera tam vage indicantur, non illud, quia epocharum monetæ inſcribendarum uſus nullus non ſolum apud Arcades, ſed alios etiam Peloponneſi incolas eſt deprehenſus.

Numus IV. in adverſa parte caput ſimile repræſentat, quale numo II. vidimus, Marpeſſæ illud Tegeatidi matronæ cognomento viduæ, cujus etiam ſcutum in templo Aleæ adpenſum *L. VIII. c. 47. pag. 695.* conmemorat Pauſanias, quam optime tribui poſſe exiſtimo, cujus enim clypeo is honos inter memoratu maxime digna anathemata eſt habitus, ejus profecto in publica moneta galeatum caput cælari poterat. Tegeatidum facinus in bello contra Lacedæmonios, quia ex Pauſania jam indicaverat Haymius *T. II. edit. Lat. p. 6. Ital. pag. 5.* repetere hic nolo, id dolet, eum de Marpeſſa nullam mentionem facere, quare, quod Haymius omiſit, ſubpleo.

Narrata feminarum ſubita ex inſidiis eruptione tam felice, ut in fugam verſi fuerint hoſtes, ſubjungit Pauſanias *C. 48. pag. 697.* Μαρπήσσαν δὲ τὴν χήραν ὄνομα ζοιμένην ὑπερβαλέσθαι τῇ τόλμῃ τὰς ἄλλας γυναῖκας. *Virtute quidem feminas anteiviſſe ceteras prædicant Marpeſſam, cui Viduæ cognomen erat.* Occaſione hujus heroidis Haymii conjecturam, qua in numo Alei Martem Γυναικοθοίναν repreſentari cenſuit, corrigendam eſſe arbitror, placidus nimium Mars ibidem exhibetur, neque etiam ejus de quo loquimur, ſignum in templo Aleæ adſiſtebat, teſte Pauſania, qui ibidem: Εςι δὲ καὶ Αρεως ἄγαλμα ἐν τῇ Τεγεατῶν ἀγορᾷ· τῦτο ἐκτετύπωται μὲν ἐπὶ τῇ ςήλῃ, Γυναικόθοιναν δὲ ὀνομάζουσι. *Eſt etiam in Tegeatarum foro Mar-*

tis

tis ſignum pilæ inſculptum, Gynæcothænes nomine. Illud ipſum quod ſpeciem in hoſtes ruentis præfert noſtro in numo Marpeſſæ capiti ita conjunctum exiſtimo, ut ſe ambo typi mutuo conprobent.

Poſtremi numi caput, etſi ſine galea ſit, eidem probabilius heroidi adſcribi poterit, nec enim vel vultus lineamenta deæ alicui congruunt, nec minimum etiam adtributum ſe objicit, ex quo conjectura capi poſſet; Quia Minerva Alea ſuam ſemper cum vaſe puellam, ut vidimus comitem habet, atque ne minimum bellum ſpirat, typus averſæ pro Minerva Poliatide explicari poterit facem præferente Pauſania loco ſuperius indicato *pag. 696.* Τεγεάταις δέ ἐστι καὶ ἄλλο ἱερὸν Ἀθηνᾶς Πολιάτιδος ἑκάστου δὲ ἅπαξ ἔτους ἱερεὺς ἐς αὐτὸ εἴσεισι κ. τ. λ. *Habent aliud Tegeatæ templum, in quod ſingulis annis ſemel duntaxat ſacerdos mas ingreditur: propugnaculi templum id nominant &c.* cum quo nomine ſane geſtus pugnantis optime conſentit; ceterum ſi quis ipſam Marpeſſam in Lacedæmonios ruentem cælatam velit, non multum repugnabo.

PHENEATARUM.

Caput, ut videtur Proſerpinæ monili, & inauribus ornatum)(ΦΕΝΙΚΟΝ. *Phenicum.* Taurus ſtans, intra pedes Π antiquum. *Tab. III. N. 14.* Quinque ad id tempus non editos Peloponnenſi numos ſua in adpendicula in lucem produxerat C. Criſtiani ſcilicet Eleorum, Thuriatarum, Thyreatarum, Meſſeniorum, Tegeatarum; de Elide, Meſſenia, Argolide, & Arcadia etiam optime meri-

tus, quæ regio triſte hoc fatum hactenus habuit, ut ejus monetæ, ſi communi gentis nomine ſignatas, & Stymphaliorum excipimus, omnes antiquariorum oculis ſe ſubduxiſſe videri poſſent, nulla nempe apud Geſnerum depicta, duorum Frœlichius *Notit. Elem. Num. pag. 85.* obiter meminit in catalogo nempe urbium his verbis: ΦΕΝΕΩΝ, vel ΦΕΝΕΑΤΩΝ Arcadiæ *Pheneum* adſcripto etiam nomine ΑΡΚΑΣ. deinde: ΦΕΝΙΚΩΝ. *Bos gradiens &* Π)(*caput muliebre* Coll. Acad. Vindob. *argenti parvi, Pheneo Arcadiæ tribuo.*

Mira ſane hic inſcriptionum varietas; ubi primum numum cum epigraphe ΦΕΝΕΩΝ viderit Frœlichius divinare non poſſum, alteram ex Harduino hauſit, qui duos numos imperiales ita inſcriptos profert, quia tertius numulus mei ſimillimus videbatur, ſi unam literam excipimus, aditum eſt ipſum muſeum Granellianum, deprehenſumque, ut in meo nequaquam ΦΕΝΙΚΩΝ, ſed ΦΕΝΙΚΟΝ cum antiquo etiam intra pedes Π inſcriptum, quæ vocabuli terminatio virum optimum fugerat. Certum mihi eſt, etſi antiquioris formæ Π adeſt, numum minime eam ætatem ſpirare, qua Ο pro Ω utebantur Græci, quare alterum hic habemus κτητικὸν, ut ſuperius in numo Ægienſium, an hic ſubintelligatur νόμισμα, aut aliud monetæ nomen conjicere non poſſum, ſi numulus plura quam 42. grana adpenderet, aut conſtaret, minore libra uſos Arcades, Π ſub ventre bovis Πεντώβολον ſatis commode deſignaret.

Caput anticæ partis Proſerpinæ adſcripſi ob juvenilem vultum, & nimium ornatum, quamvis, ſi gentis hiſto-

riam

Digitized by Google

riam ſpectamus, Cereri potius Cidariæ conveniret; refert enim Pauſanias *L. VIII. c. 15. pag. 630.* ad Pheneatarum agrum etiam deam veniſſe, eidem ſub Eleuſiniæ nomine templum extructum, atque myſteria præterea ut in Attica celebrata fuiſſe, ſubjungit: prope templum lapides prægrandes duos eminere, quos Petroma nominant, denique proſequitur: Φενεάτων δὲ οἶδα τȣ̀ς πολλȣ̀ς καὶ ὀμνύοντας ὑπὲρ μεγίςων τῷ Πετρώματι? καὶ ἐπίθημα ἐπ' ἀυτῷ περιφερές ἐςιν, ἔχον ἐντὸς Δήμητρος πρόσωπον Κιδαρίας. *Horum lapidum ea eſt religio, ut noverim plures, qui ſuper bis de maximis negotiis jurent; impoſita eſt illis ſpecies aliqua umbellæ, ſub qua etiam conſervatur imago Cereris cognomento Cidariæ.* Arbitror, qui matrem tanta religione coluerant, neque filiæ oblitos fuiſſe.

Regioni paſcuis & pecore abundanti bovis ſaginati ſignum optime convenit, talem vero eam fuiſſe, cum ſitus, tum alia conprobant. Pauſanias *L. VIII. c. 14. pag. 627.* cum paullo ante vallem, per quam Pheneum via fert, fonte in ejus medio orto inriguam conmemoraſſet, ſubjicit: Φενεατῶν δὲ τὸ πεδίον κεῖται μὲν ὑπὸ ταῖς Καφυαῖς, πλεονάσαντος δέ ποτε ἀυτῷ τȣ̃ ὕδατος, καταλυθῆναί φασι τὴν ἀρχαίαν Φένεον, ὥςτε καὶ ἐφ' ἡμῶν σημεῖα ἐλείπετο ἐπὶ τῶν ὀρῶν, εἰς ἃ ἐπαναβῆναι τὸ ὕδωρ λέγȣσι. *Campi Pheneatarum ſubjecti ſunt Caphyis, ager hic ab adcreſcente aqua ita inundatus fuit, ut antiquam Pheneum ſubmerſerit; adhuc hodie in montibus ſigna monſtrantur, quousque aquam pertigiſſe narrant.*

Paucis interjectis: Καφυῶν δὲ ςάδια πέντε ἀφέςηκεν ἥτε Ορεξις καλȣμένη, καὶ ἕτερον ὄρος Σκίαθις· ἐφ' ἑκατέρῳ-

δὲ ἐςι τῷ ὄρει βάραθρον τὸ ὕδωρ καταδεχόμενον τὸ ἐκ τῦ πεδίῦ. Quinque ſtadiis abſunt a Caphyis montes Orexis, & Sciathis, ad cujus utriusque pedem altæ ſunt foſſæ velut aquarum ex vicinis campis defluentium cloacæ. Opus hoc L. ſtadia longum, XXX. pedes profundum Herculi adtribuebant incolæ.

In tanta aquarum abundantia quis lætiſſimum gramen proveniſſe dubitet pro omni pecorum genere? Rem comprobat ipſum Ulyſſis conſilium, qui ut ſuas vaccas in continente Ithacæ objecta, ita equarum armentum apud Pheneatas paſci volebat. Pro minoris pecoris gregibus facit ſtatua a Pheneatis Jovi Olympio dedicata, de qua idem *L. V. c. 27. pag. 449.* Ο δὲ Ερμῆς ὁ τὸν κριὸν φέρων ὑπο τῇ μαχάλῃ - - - - - - ὑπὸ δὲ Αρκάδων ἐν Φενεῦ δέδοται τῷ Θεῷ. *Mercurius vero arietem ſub ala portans - - - - Arcades ex Pheneo deo dedicaverunt.* Atque hæc de numis ſuis urbibus certo, aut probabili conjectione adtributis.

Sepoſitos quieſcere ſinebam dubios, & ignotos, dum nempe diu deſiderata, atque fruſtra quæſita editionis occaſio ſe daret, facile tum velut calones in extremum agmen conjiciendos; Interea ſub hiemis exitum noſtram in urbem ad principem Kaunizium adveniſſe tres, quos adeo metuebam, Pariſinos tomos intellexi, quare illico vidi, ut per amicum eorundem inſpiciundorum mihi copia fieret, boni ſuperi! quantum ad tantum ſelectiſſimorum numorum numerum hæſi, quales nunquam uno velut miſſu in lucem prolati ſunt.

Quam-

Quamvis præventus eram, gratulari debebam rei numariæ veteri tam inſignem adceſſionem, non paucas cum meas, tum Ilgneri mei monetas his velut obſtetricibus e tenebris erui, placuere quam plurima, atque illud præcipue monetas provinciarum ordine eſſe diſpoſitas, illud doluit, mappas geographicas, quibus adcuratis caremus, omiſſas eſſe, idque eo magis, quo facilius Academia ſcientiarum ſororiam hic operam obferre potuiſſet.

Ubi librum adtentius percurri, etiam de eo mihi gaudebam, Inl. C. Criſtiani ante numos aliquos edidiſſe, ut Alexandriæ Troadis, qui *Tom. II. Tab. LII. N. 14.* Damaſti, qui Tom. I. Tab. XII. N. 6. & 7., Caſſopes, qui ibidem *N. 10.*, Megaræ, qui *Tom. I. Tab. XXIII. N. 24.*, Meſſenes, qui ibidem *Tab. XVIII. N. 7. & 8.*, Stratoniceæ, qui *Tom. II. Tab. LXVIII. N.* 53, exhibetur. Omiſi de induſtria numos Thuriæ, cujusmodi *Tom. I. Tab. XII. N.* 4, Thyreæ, qui *Tom. I. Tab. XXV. N.* 26, Tegeæ, qui *Tom. III. Tab. C. N.* 59 ab anonymis Gallis repræſentati, prius ab eodem meo diſcipulo præclaro ſuo conmentario ſuo quivis oppido fuerunt adſcripti.

Omiſi, inquam, hos, quia hinc liquet, adpendiculam noſtram, quam tamen Pariſios eum in finem miſeram, ad virorum eruditiſſimorum manus non perveniſſe, neque enim alias ita, ut mox oſtendam, prolapſuros fuiſſe veri quam maxime ſtudioſos, cogitari poteſt; Eundem Thuriatarum numum, de quo C. Criſtiani *pag.* 36 Buthroto adtribuerunt *Tom. I. pag. 80.*, præſtitiſſet ſane hunc inter ignotos referre, cum ipſi fateantur, *qui n'a de bien liſible, que les lettres BOY dans le champ a la gauche avec le nom*

de magiſtrat. ΝΙΚΩΝΤΜΟΣ.; in noſtro, in quo non ſolum idem adeſt magiſtratus, ſed reliqua omnia ſunt gemina, ΘΟΤ. quam certiſſime legitur, neque ſuſpicionem eſſe poſſe aliarum præterea literarum, & Ilgnerianus, & tres integerrimi muſei Marchionis Savorgnani, hac de re conſulti, conprobant, ex quo conſequitur, etiam primam literam fuiſſe ita male adfectam, ut facili lapſu Θ *pro* B legeretur.

Thyreæ numulum ſane ſingularem exhibuerat C. Criſtiani *Tab. I. N. 9.*, atque ex hoc ipſo *pag. 41. & ſeqq.* nervoſis argumentis Haymianum etiam Thebis eripuit; Galli antiquarii ejusmodi, qualem fere Haymius ediderat, *pag. 157.* Theſpiis adjudicaverunt ob muliebre caput ſimile in ejusdem urbis monetis, verum exiſtimo, ſigna averſæ partis cum monogrammate Argivorum, atque duobus luporum capitibus facile qualecunque illud a feminei capitis cultu petitum momentum everſura fuiſſe, ſi editores Ilgnerianum numulum præ oculis habuiſſent.

Depictum Tegeæ numum *Tab. II. N. 13.* laudatus juvenis antiquarius *pag. 79.* Arcadiæ adſignavit, Telephumque a cerva lactatum in averſa cælaviſſe monetarios, docte evicit. Scriptores anonymi eundem in Cretam abſtrahunt invito toto regno animali; perſuaſerat illis hoc artificii ſimilitudo cum numis Cydoniatarum, in quibus Miletus a lupa lactatus repræſentatur.

Fateor cælaturæ rationem parem multum efficere, ſi alia adjuncta non obſiſtunt, verum hic colli curvatio, crurum altitudo, & poſtremorum flexio, cauda, quæ male in

Digitized by Google

in Gallico opere eſt depicta, ſi cum noſtris conparetur, uberum ſitus diverſus, quæ noſter Telephus inter poſtremos pedes quærit, cervam ſane luculenter conprobant; utque adverſam conjecturam omnino jugulem, opus erit ſolum numum I. Tegeatarum, de quo *pag. 149. & ſeq.* egeram *Tab. III. N. 9.* depictum intueri, nemo etenim duobus monogrammatis refragari poterit, etſi etiam cerva minus ſcite ſcalpta fuiſſet, quod tamen ſine monetariorum injuria dici nequit.

Monuerant eruditi Galli ad numum Buthroto male adſcriptum, epigraphen minus eſſe legibilem, optaſſem, ut idem feciſſent ſæpius, aut ſaltem literarum veſtigia, aut ſuſpicionem, ut Haymius præſtitit, in ſcalptis imaginibus indicaſſent; hujusmodi aliquid ſe dat *Tom. I. pag. 46.* profertur ibidem numus illorum ſimilis, quos Goltzius *Tab. I.* depinxit; ex meo, quem *Tab. III. N. 15.* cælari feci, hæſito, an ſatis tutò præter monogramma ex K & P conpoſitum adverſum O. ſit lectum, in meo enim, etſi corona abeſt, integerrimum Φ conſpicitur, ut adeo hic meus absque dubio Crotone flatus non fuerit, quid enim, ſi monogramma etiam urbem eam indicaret, Φ denotabit? nunquam ſane magiſtratus nomen unica deſignatur litera:

Quid ſi monogramma illud Cretam, litera Φ Phæſtum deſignarent? omnia ſane belle conſpirarent, oppidum hoc nomen ſuum ſola prima litera indicaviſſe, conſentiunt ipſi anonymi *Tom. III. Tab. CI. N. 68. 69.*, boves in quatuor monetis ibidem conparent, atque *N. 65.* etiam ſolum caput; Hercules, cujus ſolum caput meus habet, in

in tribus ibidem numis integra ſtatura conſpicitur, hæc mea conjectio ſi obtinet, forſan etiam duo numi *Tom. III. Tab. XCVI. N. 16. & 18.* non ad Corcyram, ſed Cretam potius referendi erunt, nec enim puto, Corcyræos monogramma ſuum, quod *N. 14. & 17.* ibidem videtur, adeo pro lubidine variaviſſe, quid quod duplicatum illud ex K & P contractis in ejusdem numi *N. 18.* eadem averſa parte ſcalptum opinionem meam confirmet, id ſcio, nomen urbis idem non nunquam tam in antica, quam poſtica parte legi, nunquam vero in eadem bis conparere, etiam monogrammate expreſſum.

Pari ſinceræ lectionis cautela opus fuiſſe mihi videtur *Tom. I. pag.* 195., ubi de Ariſtæo oppido a Plinio indicato Italicum Arigonii errorem, niſi omnia me fallunt, altero Gallico confirmaverunt editores *du Recueil*, vide, quid de hujuscemodi numis ad Cnoſſiorum monetas *pag. 90. & ſeq.* diſſeruerim; manifeſtum enim eſt ex cælatura numorum rudiſſima numum huncce ab illis non differre, qui ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ inſcribuntur, quorum plures manibus verſabam. Avertere ab hac Italicæ ſententiæ adprobatione debuiſſet, me judice, ipſum gentile ab Ariſtæo peſſime derivatum ΑΡΙΣΤΙΩΝ; eodem hic argumento utor, quod viri clariſſimi adhibuerunt *Tom. I. pag.* 148. contra Frœlichium & me de numo Azetinorum Atticæ adſcripto.

Simile *σφάλμα* obſervavi eodem tomo *pag.* 206, ubi numus a C. Criſtiani inter ignotos propoſitus ad Cherſoneſum Tauricam abſtrahitur, etenim in integerrimo noſtro ΠΑΜ. non ΠΑΝ. legitur. Nihil de pharo aliqua cogitandum eſſe, ſatis intelliget lector ex iis, quæ *pag. 105. & ſeqq.*

indi-

Digitized by Google

indicavi, ubi Ætolicæ urbi Pamphio, juvante Polybio nummum vendicavi, profecto in duobus noſtris numis ſignum illud medium ob inferiorem, & ſuperiorem terminum rotundum nec pro columna, minus pro pharo haberi poteſt.

Tomo II. *du Recueil.* etſi in quatuor numis *Tab.XLVI. N.* 67. *ad* 70. Phrygiæ urbem Salam agnoſcam, fieri tamen poſſet, ut mihi ex numo *N.* 66. propoſito quis dicam inpingat, velut ipſe minus adcuratus fuiſſem in meo Alienorum, vel Alenorum de quo *Adpend. pag.* 32. *&* *ſeqq.* tractavi, legendo, excutiendoque; cum pleraque in utroque hoc numo ſint gemina, videri poterit alicui, etiam in meo CAΛHNΩN legi oportuiſſe, verum literam ante Λ. certiſſimo Γ. eſſe duobus conficio: luculentum punctum non meis ſolum, ſed aliorum oculis, atque ne omnes deciperemur, etiam in ectypo gypſeo ex moneta ſumto, A præcedit, æquo intervallo a Γ ſeparatum; deinde pro ſigmate quadrato id haberi non poſſe antica conmonſtrat, in qua ſigmata rotunda, ut in numo Cl. Pellerinii conparent, non ita profecto eodem in numo characteres variavere monetarii.

Diligentiorem etiam induſtriam, aut minorem in pronunciando confidentiam deſideraſſem ad numum *Tom. II. pag.* 155. *Tab. LXXI. N.* 15. propoſitum, atque Seleuciæ Pamphyliæ adſcriptum, cervus hic totum negotium conficit, velut Seleucienſes Dianæ Pergææ cultum ſuum etiam in oppidum traduxiſſent; Verum miror, eos, qui tam bene in recenſione ſua *T. I pag.* 148. numum Azetinorum duobus ſolum verbis *pag. CLXIX.* indicatum in cimelio Auſtriaco viderunt, non advertiſſe ad *Tab. XV. N.* 19. ejuſdem

cimelii, in qua ſimillimus exhibetur numus, qui tamen poſt collum cervi certiſſimum Λ cum exhibeat, Selgæ æque, quam ex notitiis ſolum eccleſiaſticis notæ Seleuciæ, adtribuendus erat.

Non forſitan ſolum, ut prudenter dubitant anonymi eruditi *Tom III. pag.* 27., moneta *Tab. LXXXIX. N.* 2. depicta, non inquam, forſitan ſed certo Chalcidis eſt Eubœæ, etenim ſimillimum cum eadem epigraphe ΑΛΟ & ΦΙΛΙΠΙ poſſidet Cl. Ilgnerus, in quo tamen præterea ad caput obverſum diſtincte legitur ΧΑΛ. Ut hunc non optime conſervatum habuerint, ita idem cogitandum eſt de numo ibidem *Tab. XCVI. N.* 19. repræſentato, quia, ut Frœlichius *Animadverſ. in quosd. numos vet. urb.* Florentiæ recuſo *Tab. I. N.* 1. poſt dorſum ſatyri piſciculum depinxerunt, in quem cauda ſatyri mira metamorphoſi tranſivit, nam in meo integerrimo optime caudicula pertenuis erecta *tergori* hærere videtur, quæ deinde in floccum terminatur, qua extrita ſane vitio verti non poteſt, viris etiam oculatis piſciculum objectum fuiſſe.

Piloſa hæc adpendicula ſufficiens, arbitror, erit teſtimonium, nimium cenſuram ſuam præcipitaviſſe autores Gallos, dum *pag.* 58. ita ſcribunt: *Mais la figure repreſentée - - - n'eſt pas un ſatyre, comme il a penſé. C'eſt un homme nud, qui n'a pas les pieds de chevre;* præſertim, quia ad numos Arcadicos *Tom. I. pag.* 135. hæc adnotarunt: *Il eſt à propos d'obſerver, que ſur les médailles, qu'on vient de rapporter, Pan eſt repréſenté ſans pieds de chevre, & ſans barbe - - - - - - il n'en doit être cherché d'autres raiſon, ſi non que les différents peuples le figuroient de différente manière ſuivant les idées qu'ils s'en etoient formées;*

quia

quia Silenum nemo caudatum viderit; idem ſane judicium pro ſatyro de Corcyræ nigræ incolis formari potuiſſet.

Neque alter numulus cælaturæ ſimillimæ eripi debet parvæ huic inſulæ ob Victoriæ ſignum, etſi enim ſolam bellum geſſiſſe vix probabile eſſe libenter concedo, an non Illyricis regulis fœderata, horum tropæa celebrare poterat? Denique ſcio, argumentum Frœlichii petitum a ſolo Delmatico, ubi inventi fuerant, parum probare, ſi de uno, alterove alicujus urbis numo agitur, contra non vulgaris tamen, præcipue ſi cælaturæ ſunt diverſæ a monetis controverſæ alterius urbis, ut in præſenti caſu, non vulgaris tamen, inquam, eſſe ponderis, ubi magna copia ejuſcemodi monetæ ſimul eruuntur, cujuſmodi magnus numerus utriusque typi, nempe cum ſatyro & Victoria a tirone antiquario hoc anno explicandus Labaco mihi ſubmiſſus erat, ut citra dubium in eodem, ut ita dicam, nido deprehenſi fuerint.

Numum, quem *Tab. CIII. N.* I. repræſentatum *Tom. III. pag.* 81. Lesbo adtribuunt antiquarii iidem, inter ignotos edere decreveram ante, quippe ſimilem apud civem hujatem tractavi, cujus etiam ectypon exhibeo *Tab. III. N.* 16., atque id quoque poſt lectos Gallicos commentarios non ſine ratione. Fateor, ubi primum obiter monetam hanc vetuſtam argenteam adſpexi, Lesbi inſulæ veniſſe in mentem, verum cum nullus in hac Lesbiacus congreſſus indicetur, ad ignotos rejiciendum numum cenſui, ubi tamen nimis confidenter eum Lesbo adtributum vidi, monendum cenſui, in hoc noſtro literarum luculenta veſtigia ſe in peripheria oſtendere, quæ dimidia ſui parte ſuaderent OΠIΛ

 aut

aut OΥΙΑ legendum, id aliorum etiam judicio certum, nunquam ex reſiduis elementorum pedibus Lesbi nomen extundendum, ut adeo Theſſaliæ, ubi centauri domeſtici, atque iſtiusmodi priſci commatis numi reperiuntur plures, aut Ætoliæ eum judicarem adſcribendum, fabulamque Neſſi cum Deianira per Evenum portata exhiberi.

Alium ad claſſem incertorum rejectum deprehendi *T. III. Tab. CXVII. N.* 10, minus eum conſervatum habuerit muſeum Pellerinianum, in meo enim ΓΕΛΑΔΗΣ diſtinctiſſime legitur; ita tamen, ut duæ vel tres literæ præcedant, quæ ΑΡ vel ΑΙΡ, poſtremo elemento certiſſimo, nomen ΑΡ vel ΑΙΡΓΕΛΑΔΗΣ conficiunt; ſcio, ad urbis determinationem nihil me hic quidem iam contribuere, novi tamen ejuſcemodi ſportulas aliquando prodeſſe poſſe, quem in finem numum etiam depingi feci *Tab. III. N.* 17.

Poſtremum non parvo dubio angor, an numus *Tab. CXXIII. N.* 16. in ſubplemento relatus, bene lectus fuerit, atque Salentinis Meſſapiæ adſcriptus, qui quoad omnia ſimillimus eſt numi ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ Siciliæ ab iisdem autoribus Gallis *Tab. CIX. N.* 33. depicto, antica ſcilicet parte Palladem referre videtur, poſtica bubonem diotæ everſæ inſidentem; ſcrupulum dubitationi injicit, præter facilem deceptionem, qua Σ pro Κ, ſecundum vero Κ pede inferiore extrito pro Ν legi poterat, ipſum ſilentium antiquariorum Pariſinorum, qui ne minimam rationem reddunt, aliquo coloniæ, aut fœderis vinculo duas has urbes junctas fuiſſe.

Et

Digitized by Google

Et ſane contrarium potius ſcriptores veteres conprobant, de Salentinis ita Strabo *L. VI. pag.* 281. Τοὺς δὲ Σαλεντίνους Κρητῶν ἀποίκους φασίν. *Salentinos Cretenſium eſſe colonos ajunt:* Calactes conditorem prodit Diodorus Sic. *L. XII.* exulem Corinthi Deucetium; Προσποιησάμενος χρησμὸν ὑπὸ τῶν θεῶν ἑαυτῷ δεδόσθαι, κτίσαι τὴν καλὴν ἀκτὴν ἐν Σικελίᾳ, κατέπλευσεν εἰς τὴν νῆσον μετὰ πολλῶν οἰκητόρων. *Ficto prætextu dati ſibi a diis oraculi, ut pulcram acten* (ſeu littus) *in Sicilia conderet, cum multis colonis trajecit in inſulam.*

Subjicio ignotos reliquos mei fere nummophylacii, quos ſane mirum eſt, tantæ conlectioni elapſos eſſe. Qui tabulam III. claudit *N.* 18. lineari pictura expreſſus, caput, ut videtur, nudum exhibet, circa quod in orbe numi extimo literarum veſtigia eſſe ſuſpicor; pars averſa de ſingularibus eſt, ſerram aliquam, aut repagulum claudendis portubus refert, nullius hinc epigraphes indicium plana area prodit; ſerviet hic numus forſan eruditis Inl. Caylus obſervationibus. Ut ne quid taceam, craſſiuſculus eſt, atque drachmas IV, grana 30. quam proxime adpendit, aliqua etiam ratione Hetruriam redolere videtur.

Paucos Hetruſcos, aut Hetruſca lingua inſcriptos protulerunt præclari conpilatores *du Recueil;* academici Cortonenſes, ut alia optimis conmentariis perſecuti ſunt, ita numos ſuæ gentis fere neglexerunt hactenus, atque hinc eſt, potuiſſe me unum aliquem ex muſeo conlegii regii Thereſiani *Tab. IV. N.* 1. indicare, quem nuſpiam editum reperi; in antica caput Mercurii, ut videtur, repræſentat ſatis nitide, verum literarum veſtigia, quæ in orbe a collo

ad frontem ſe porrigunt, nullam, ut ita dicam, medicam manum admittunt: pars averſa Pegaſum bonæ cælaturæ in poſteriores pedes adſurgentem repræſentat, infra cujus ventrem tripus: in infimo monetæ ſegmento incerta tamen prima, quam in pictura indicavi, litera, hæc a dextra ad ſiniſtram certo leguntur integerrimis characteribus: IƎ◁TNƎ - - prima, quæ mutila eſt, litera pro A aut Π Hetruſco haberi fere poſſet. Jucundiſſimum mihi erit, ſi a quopiam, qui magis integrum poſſidet, numi lectionem edoctus fuero.

Numus II. *Tab. IV.* muſei mei nullo quidem vitio eſt adfectus; adtamen, quia unica litera nomen loci indicat, fluctuare antiquarium ſinit. Antica caput galeatum virile perita manu ſcalptum objicit ſine epigraphe, poſtica duos ſibi adverſos delphinos habet, inter quos in media area ſolum P. Quid mihi in mentem venerit, pandam; quia, ut optime obſervarunt Galli antiquarii, inſulæ fere paucis, & ſæpe unica ſolum litera nomina ſua ſignaverunt, atque delphini optime loco mari circumfluo congruunt, eum Rheneæ parvæ ad Delum inſulæ adtribui poſſe exiſtimavi, dum certior aliqua lux adfulgeat; ſtabiliverunt hanc meam conjectionem Deliorum numi, quorum aliqui officinam etiam per ſolum Δ adnunciant.

Deterior eſt conditio trium conſequentium: *Tab. IV. N.* 3. in adverſa parte caput Jovis laureatum habet, infra collum duæ comparent dubiæ literæ nempe vel EM. vel PH. in averſa bos currens videtur paullo aliter, quam in Aradiorum numis, ſuperiore numi parte quinque lineæ rectæ ſine omni fere nexu lectionem admodum intricatam reddunt, ut ex cælata imagine lector ipſe obſervabit. Ad col-

collum bovis ΚΑ conjungendum videtur cum inferiore ΜΙΛΟ. aut ΜΙΔΩ, quid ſi ſolum magiſtratus nomen hac parte exprimeretur: ΕΠΙ. ΑΡΙΣ. ΚΑΜΙΛΟΥ.?

Qui *N.* 4. depictus eſt, muliebre caput lauro coronatum objicit ſine epigraphe, in poſtica duo diverſæ formæ ſunt haſtarum pila, penes quæ verſus orbem numi, hinc forſan K, aut P cum K in monogramma contractum, inde E rotundum diſtinctius videtur. Nihil, quod ad ſingularem hunc numum adpropinquaret, conſpicere me unquam memini. Moneta, quam *N.* 5. profero, una parte delphinum cælatum habet, infra quem incertarum literarum aliqua ſuſpicio, pars altera magno Π inſignis eſt, in cujus medio aut granum frumenti, aut haſtile quale in Polyrheniorum numo *Tom. III. du Recueil Tab. C. N.* 49. exhibetur, ad quam urbem forſan etiam Π referri poſſet.

Numulum *N.* 6. eadem tabula cælatum poſtremo loco reſervaveram, non quod certius aliquid erui, ſed quod errorem ſaltem jam inde a Goltzii ætate a nemine impugnatum detegere poſſum. Protulerat hunc primum Goltzius *Tab. XXVI. N. III.* cum epigraphe ΚΥΡΙΕΩΝ. Nonnius in commentario eum Curio Cypri oppido adtribuit, caputque Veneris eſſe cenſuit. Pluribus ſingulari libro de eodem diſputavit Cl. Begerus, ubi monetam Cypro ereptam, ita Ætoliæ adſcribit, ut caput ipſum provinciæ effigiem, aves meleagrides eſſe contendat.

Duo hic miror plurimum, primum: Virum eruditum tam cœco obſequio fidem Goltzio habuiſſe, ut de ſinceritate lectionis ne minimum dubitaret; alterum, nullum hujuſce-

juſcemodi numum in ditiſſima Pellerinii gaza fuiſſe repertum, cum tamen Vindobonæ tres viderim, unum in muſeo collegii academici, meum alterum, tertium in numophylacio amiciſſimi Ilgneri, quem etiam hic depingi curavi.

Dolendum ſane primi epigraphen legi non poſſe, ſicut mei etiam, in quo etſi ſigna optime ſervata ſunt, area tamen numi ſuperior adeo denſa viridi cruſta obtecta eſt, ut tenues literæ ne minimum adpareant. Felicior eſt Ilgnerianus, in quo ſupra caudam primæ aviculæ diſtinctiſſime ЄΥ. aut ΟΥ. ſine præcedente litera alia, cum numi orbis punctulis ſit cinctus, ſupra alterius ΥΕ, aut ΥΣ legitur, nullo omnino aliarum inter utrumque caput, aut in area literarum veſtigio; quia proinde primum elementum K eſſe nequit, alia item non conſentiunt, patet & hallucinatio Goltzii & inanis Begeri labor, quo quia meum per *hanc* adpendiculam utiliorem fuiſſe ſpero, divæ Monetæ hilarius litandum eſt hodie.

F I N I S.

Tab. I.



P. Khell Appendic.

Tab. II.




P. Khell Adpend.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. III.




P. Khell Adpend.

Digitized by Google

Digitized by Google




2




Æ

4



Æ

6



Æ

P. Khell Adpend.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google